CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

484

JURIS CANONICI
ET
JURIS CANONICO-CIVILIS
COMPENDIUM

A. DE MEESTER, D. J. C.
CANONICUS AD HONORES CATHEDRALIS BRUGENSIS,
IN SEMINARIO BRUGENSI PROFESSOR.

JURIS CANONICI

ET

JURIS CANONICO-CIVILIS

COMPENDIUM

olim a Rev^mo De Brabandere et R^do adm. Dom. Van Coillie editum

NOVA EDITIO

AD NORMAM CODICIS JURIS CANONICI



Conserva, fili mi, praecepta patris tui,
et ne dimittas legem matris tuae....
Quia mandatum lucerna est, et lex lux,
et via vitae increpatio disciplinae.

PROV., VI, 20 et 23.

TOMUS PRIMUS

Praenotiones

Liber fundamentalis de Ecclesia

Liber I, Normae Generales — Liber II, tit. 1-6.

BRUGIS
SUMPTIBUS ET TYPIS SOCIETATIS SANCTI AUGUSTINI
Anno 1921

26790

APPROBATIO NOVAE EDITIONIS.

Hanc novam editionem operis, cui titulus : *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium*, sedulo recognitam atque expolitam cura et studio R. adm. D. A. De Meester, J. C. D., in Seminario Brugensi professore, libenter approbamus et Clero commendamus, utpote ad normam Codicis juris canonici confectam, recentioribusque documentis et ordinationibus Sedis Apostolicae et civilis jurisprudentiae auctam, atque ampla eruditione praestantem.

Brugis, 7 octobris 1921, in festo Sacratissimi Rosarii.

† G. J., Episc. Brugen.

INDEX

Approbatio novae editionis IV
Praefatio XI

PRAENOTIONES IN JUS CANONICUM.

CAPUT I. — De jure canonico generatim.

Art. I. — De juris canonici natura. 1
§ 1. Vocabula *juris* et *canonis*. 1
§ 2. Juris canonici notio. 3
§ 3. Varia juris canonici nomina. 4
§ 4. Discrimen juris canonici a theologia et jure civili. 4
Art. II. — De Divisione juris canonici. 5

CAPUT II. — De fontibus juris canonici.

Art. I. — De jure naturae. 7
Art. II. — De S. Scriptura. 8
Art. III. — De Traditionibus et Consuetudine. 10
Art. IV. — De Constitutionibus RR. Pontificum. 11
Art. V. — De Canonibus Conciliorum generalium. 14
Art. VI. — De scriptis SS. Patrum. 15
Art. VII. — De jure civili. 15

CAPUT III. — De juris canonici collectionibus.

Art. I. — De Collectionibus anterioribus Codici juris canonici. . . 18
§ 1. De Collectionibus ante Corpus juris canonici. 18
A. Patres Apostolici. Collectiones pseudoapostolicae. 18
B. Collectiones Ecclesiae Orientalis. 21
C. Collectiones Ecclesiae Occidentalis. 22
§ 2. De Corpore juris canonici. 32
A. Decretum Gratiani. 33
B. Compilationes antiquae. 37
C. Decretales Gregorii IX. 38
D. Sextus Decretalium Bonifacii VIII. 39
E. Clementinae. 39
F. Extravagantes. 40
G. Rubricae, superscriptiones, summaria, glossae et notae. . . . 41
§ 3. De Collectionibus post Corpus juris canonici. 42
A. Bullaria et Acta Pontificum. 43
B. Collectiones Conciliorum. Concilium Tridentinum et Vaticanum. 45
C. Collectiones Decretorum nonnullarum Congregationum Romanarum. 47
D. De monumentis juris particularis. 48
Art. II. — De novo Codice juris canonici. 49

CAPUT IV. — De juris canonici subsidiis. 60

CAPUT V. — De quibusdam juris canonici interpretibus. 61

CAPUT VI. — De methodo. 65

Art. I. — De methodo et divisione hujus compendii. 65
Art. II. — De methodo discendi jus canonicum. 68

LIBER FUNDAMENTALIS.

DE ECCLESIA QUA SOCIETATE.

CAPUT I. — De societate in genere.

Art. I. — Natura societatis. 71
Art. II. — Variae societatis species. 72
Art. III. — De statu conflictus. 76

CAPUT II. — De institutione Ecclesiae ut societatis. 77

CAPUT III. — De dotibus Ecclesiae.

Art. I. — Ecclesia est societas spiritualis. 80
Art. II. — Externa. 80
Art. III. — Legalis seu necessaria. 81
Art. IV. — Inaequalis. 83
Art. V. — Perfecta adeoque independens. 86
Art. VI. — Qualibet societate superior tum dignitate tum jurisdictione in spiritualibus et temporalibus. 93

CAPUT IV. — De forma regiminis ecclesiastici. 108

CAPUT V. — De mutua relatione Ecclesiam inter et Statum civilem.

Art. I. — De mutua relatione Ecclesiae et Status in thesi. 112
§ 1. Distinctio et separatio utriusque societatis. 112
§ 2. Concordia inter utramque societatem. 117
§ 3. Conflictus inter utramque societatem. 124
§ 4. De praecipuis erroribus modernis circa relationes Ecclesiae et Status. 124
A. De Liberalismo. 124
B. De Socialismo. 136
Art. II. — De separatione politica Ecclesiae et Status. 137
Art. III. — Regimen politico-religiosum in Belgio. 142

CAPUT VI. — De limitibus utriusque potestatis.

Art. I. — Res et causae civiles. 144
Art. II. — Res et causae ecclesiasticae. 144
§ 1. Res et causae ratione sui ecclesiasticae. 144
§ 2. Res et causae ratione finis ecclesiasticae. 146
§ 3. Res et causae ratione personarum ecclesiasticae. 146

Art. III. — Res et causae mixtae vel mixti fori, sive per se, sive ex jure communi. 146
Art. IV. — Praecipui in hac materia errores. 151

CAPUT VII. — De Concordatis.

Art. I. — Natura Concordatorum. 153
Art. II. — Vitia et vis obligatoria Concordatorum. 156
Art. III. — Materia et forma Concordatorum. 157
Art. IV. — Interpretatio, mutatio et rescissio Concordatorum. . . 158
Art. V. — Concordatum anni 1801. — Textus. 161
§ 1. Juris communis applicatio. 164
§ 2. Juri communi derogationes. 166
§ 3. Statuta transitoria. 167
§ 4. Articuli organici. 167
Excursus de dioecesi Brugensi ejusque disciplina. 168

LIBER PRIMUS.

NORMAE GENERALES.

Titulus I. — De legibus ecclesiasticis. 171

Caput I. — *De potestate Ecclesiae legifera.* 172

Caput II. — *De promulgatione legum.* 175

Caput III. — *De jurisprudentia sacra et SS. Canonum interpretatione.*

Art. I. — De jurisprudentia sacra. 176
Art. II. — De SS. Canonum interpretatione. 176
Art. III. — De modo procedendi in interpretatione. 178
§ 1. Observanda circa leges ipsas. 178
§ 2. Regulae interpretationis. 179
A. Regulae generales interpretationis. 179
B. Regulae speciales a Codice exhibitae. 182
Titulus II. — De consuetudine. 188
Titulus III. — De temporis supputatione. 190
Titulus IV. — De rescriptis. 193
Titulus V. — De privilegiis. 205
Titulus VI. — De dispensationibus. 207

LIBER SECUNDUS.

DE PERSONIS.

CAPUT PRAEVIUM. — Notiones generales.

Art. I. — De personis physicis. 208
§ 1. Notio personae. 208
§ 2. Variae distinctiones personarum. 210
A. Ratione aetatis. 210
B. Ratione loci. 210

C. Ratione propinquitatis personarum. 217
D. Ratione ritus. 218
Art. II. — De personis moralibus. 219
Art. III. — De quibusdam communibus actibus personarum physicarum et moralium. 223
Art. IV. — De praecedentia personarum. 226
Art. V. — Personarum fundamentalis distinctio in clericos et laicos. 228

PARS PRIMA. — DE CLERICIS.

Sectio I. — De Clericis in genere.

Titulus Introductorius. — Notio clerici, hierarchiae, Praelati. . . 229
Titulus I. — De clericorum adscriptione alicui dioecesi. 233
Titulus II. — De juribus et privilegiis clericorum. 236
§ 1. Jura clericorum communia. 236
§ 2. Privilegia clericorum communia. 236
§ 3. Notio et origo immunitatis clericorum. 242
Titulus III. — De obligationibus clericorum. 245
§ 1. De iis quae clericis communiter praecepta sunt. 246
A. Sanctitas vitae. 246
B. Reverentia et obedientia Ordinario. 248
C. Doctrina. 249
D. Castitas. 251
E. Recitatio horarum. 254
F. Externus corporis cultus. 254
§ 2. Nonnulla clericis communiter prohibita. 259
A. Fideijussio. 259
B. Quae statum clericalem dedecent. 260
C. Quae a statu clericali aliena sunt. 262
D. Oblectamenta mundana. 266
E. Militiae exercitium voluntarium. 267
F. Negotiatio. 267
G. Obligatio non discedendi a dioecesi. 278
Titulus IV. — De Officiis ecclesiasticis. 279
Praenotiones. 279

Caput I. — *De provisione officiorum ecclesiasticorum.*

Art. I. — De libera collatione. 284
Art. II. — De electione. 287
Art. III. — De postulatione. 293

Caput II. — *De amissione officiorum ecclesiasticorum.*

Art. I. — De renuntiatione. 295
Art. II. — De privatione. 298
Art. III. — De translatione. 299
Titulus V. — De potestate ordinaria et delegata. 301
§ 1. Notio jurisdictionis. 302
§ 2. Variae jurisdictionis species. 304
§ 3. Adeptio jurisdictionis. 309
A. Potestas in concedente. 310

B. Habilitas subjecti passivi. 313
C. Forma debita in actu concessionis. 314
§ 4. Interpretatio potestatis jurisdictionis. 315
§ 5. Exercitium potestatis jurisdictionis. 316
§ 6. Restrictio et suspensio jurisdictionis. 318
§ 7. Amissio jurisdictionis. 319
§ 8. Suppletio jurisdictionis. 323
TITULUS VI. — DE REDUCTIONE CLERICORUM AD STATUM LAICALEM. . . 326

PRAEFATIO

BENEVOLO LECTORI.

Juris canonici et Juris canonico-civilis Compendium, ab Ill^mo ac Rev^mo D^no P. De Brabandere, dum in Seminario Brugensi munere professoris SS. Canonum fungebatur, prius a. 1861-1865 ad usum privatum auditorum uno volumine editum, dein a. 1866-1869 in duos tomos distributum evulgatum est. Triplex Ill^mum Auctorem adduxit causa ut his institutionibus curandis manum apponeret : prior, opportunitas conjungendi una tractatione institutiones canonicas cum notionibus juris civilis-ecclesiastici ; altera, utilitas exponendi jus ecclesiasticum locale nostrae regionis et dioecesis ; tertia, necessitas accommodandi tractatum juris canonici programmati lectionum Seminarii Brugensis et hodiernae conditioni Ecclesiae in Belgio. Hac de ratione, ex toto praetermittere debuit tractatus non spernendos, de legibus, de voto, de matrimonio, de ordine, etc., et summis tantum labiis delibavit tractatus de judiciis, beneficiis, privilegiis, etc. Quae exposuit Ill^mus Auctor tum e propriae scientiae promptuario, tum ex operibus probatissimorum auctorum hausit, inter quos facile eminet vastissima eruditione et doctrina maxime secura Eximius Dominus Feye, olim professor juris canonici in universitate catholica Lovaniensi [1]. Opus Ill^mi Auctoris, solida tractatione et clara exponendi ratione praestans, haud modicus cleri studiosi favor excepit. Unde a. 1872 tractatum suum denuo recognitum, iterum prelo subjicere debuit ; tum, a. 1881, atque iterum anno insequenti, idem opus, sedulo perpolitum opera sui in cathedra juris canonici successoris Ampl^mi D^ni Van den Berghe, tertio et quarto edidit ; tandem, anno 1894, cura eruditissimi D^ni Van Coillie, qui in munere professoris juris canonici successerat Ampl^mo D^no Van den Berghe, quintam editionem parari mandavit. Ill^us Auctor, primo sui Episcopatus anno Ecclesiae Brugensi ereptus, in Domino obiit die 31^a Martii 1895.

Sextam editionem a. 1898 novis curis recognitam et quoad tractatum

1. Dolendum est hunc auctorem opera sua canonica non edidisse nisi ad modum autographiae, excepto tractatu de impedimentis matrimonialibus.

De libris prohibitis innovatam secundum Leonis XIII Constitutionem *Officiorum et munerum* denuo publici juris fecit professor Van Coillie. Successor ejus Rev^dus^ adm. D^nus^ Mahieu, in septima editione a. 1903 parata, praecipue rationem habuit studiorum historicorum in retractandis iis quae habet Compendium *de collectionibus canonum,* simulque aptavit tractatum *de regularibus* ad recentiora documenta Romana.

Octavae editionis saeviente bello in lucem editae (1914-1916) hoc praecipue fuit intentum : institutiones accommodare multiplicibus modificationibus, quas Pius X, gloriosae recordationis, singulis ferme capitibus juris canonici feliciter attulit, adductis simul quibusdam modificationibus quae praesertim ad methodum et externam libri compositionem pertinebant.

In lucem edito novo Codice juris canonici, hac praesenti editione accommodandum est *Compendium juris canonici et canonico-civilis* hodiernae ecclesiasticae disciplinae. Quare, in consilium adscitis quotquot praesto sunt recentioribus peritorum elucubrationibus, integram materiam canonicam prouti in Seminario Brugensi agitur diligenti rectractationi subjecimus, presse inhaerendo ordini legali codicis, quantum sinebat natura materiae.

Ideo utile duximus tractatum in quatuor distribuere partes. Prima complectitur introductionem, librum fundamentalem de Ecclesia et interpretationem libri I et sex priorum titulorum libri II, seu *Normarum generalium* et canonum de clericis in genere ; altera agit de clericis in specie et de religiosis ; tertia de rebus, de processibus, delictis et poenis; ad quartam remittuntur quae spectant ad jus canonico-civile [1].

In hac nova editione minoribus typis impressa sunt tum quae ad historiam et eruditionem magis quam ad praxim faciunt, tum quae juri particulari dioecesis Brugensis propria sunt. Commentarium *Acta Apostolicae Sedis* signo abbreviationis *AAS.* notatur.

Cum in pluribus a veteri jure non sit recedendum, cumque praeterea novum jus ex connexione cum veteri disciplina sit aestimandum, nemo non videt quam insignis utilitatis fructum nobis priores editiones praebuerint. Quapropter praedecessoribus nostris in hac cathedra juris canonici praesens opus dedicamus in pignus grati devinctique animi.

A. De Meester.

---

1. Van Coillie-De Meester, *La sépulture et les fabriques d'églises en droit civil-ecclésiastique belge,* Bruges, Desclée-De Brouwer et Cie, 1916.

PRAENOTIONES IN JUS CANONICUM.

1. — Partitio. Majoris claritatis et ordinis gratia, has praenotiones, ad modum introductionis in jus canonicum exaratas, in sex capita dividimus : in quorum 1° agitur de jure canonico generatim ; in 2° de juris canonici fontibus ; in 3° de SS. canonum praecipuis collectionibus et de novo Codice juris canonici ; in 4° de juris canonici subsidiis ; in 5° de quibusdam juris canonici commentariis ; in 6° tandem de methodo in hoc nostro instituto adhibita.

De scientiae canonicae praestantia [1] quaedam oretenus dixisse sufficiat. Ex ipsa enim ejus tractatione, multo luculentius quam panegyrica aliqua commendatione, ejusdem summa dignitas, utilitas atque necessitas innotescent. In his praenotionibus usu venient priores tantummodo canones *Normarum generalium* quas *Codex juris canonici* [2] libro primo exhibet.

CAPUT I.

DE JURE CANONICO GENERATIM.

ARTICULUS I. — De juris canonici natura.

§ 1. VOCABULA JURIS ET CANONIS

2. — I. Vocabulum **Jus,** quod alii a *justitia,* vel a *jubendo,* vel ab eo quod a populo *jussum* fuerat deducunt [3], diversimode accipitur ; nempe : a/ pro aequo et justo generatim, sive pro omni eo quod dictamini rationis, legi divinae et humanae conforme est ; b/ pro facultate morali, legitima et inviolabili aliquid possidendi, agendi aut omittendi vel

1. WERNZ, *Jus decretalium* [2], T. I, p. 78 s. Romae, 1905 ; BARGILLIAT, *Praelectiones juris canonici* [31], p. 6 s. Parisiis, 1918 ; MAROTO, *Institutiones jur. can.,* T. I, n° 28 s., Matriti, 1919 ; PRUEMMER, *Manuale jur. eccles.,* p. 6, Friburgi-Brisgoviae, 1920.

2. Citabitur ponendo numerum canonis, v. gr.: can. 5 ; can. 10, 17.

3. WERNZ, *o. c.,* p. 54 ; HERGENROETHER-HOLLWECK, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* p. 3. Freiburg-i-B., 1905. Cf. etiam BRÉAL, *Sur l'origine des mots désignant le droit et la loi en latin,* in *Nouvelle revue historique de droit français et étranger,* 1883, T. VI, p. 603 ss.; MAROTO, *o. c.,* n° 1.

exigendi ; quam facultatem non pauci vocant *jus subjectivum* [1] ; sic dicitur : *Sum mei juris ; utitur jure suo ; c/* pro ipsa lege vel legum complexione, et hac acceptione vocatur *jus objectivum.* Hoc ultimo sensu a nobis sumitur, et designat hic complexionem vel systema legum, quibus regitur aliqua societas, seu ipsius societatis legislationem. Hic sensus est praecipuus, nam lex est regula justi et fundamentum illius facultatis moralis in creaturis [2].

Jus dividimus in *divinum* quod a Deo, et *humanum* quod ab homine sancitum est.

Divini juris duas constituimus species, nempe *naturale,* ad quod partim refertur *jus gentium* [3], et *positivum,* quod in *vetus* et *novum* distinguitur.

Jus humanum a supremis Principibus seu legislatoribus ex rationis jurisve naturalis consulto sancitur, et dividitur in *ecclesiasticum* seu *canonicum,* et *civile.*

De solo jure canonico nobis sermo est ; de reliquis agitur in tractatu *De legibus.*

3. — II. **Canon** vox graeca est, quae proprie denotat normam seu regulam, quaeque de se complectitur omnem legem, tam civilem quam ecclesiasticam, quia utraque est regula morum. Nihilominus, per antonomasiam et ex usu antiquissimo, sola lex ecclesiastica dicitur *canon,* ob excellentiam nimirum potestatis a qua fertur, et finem ad quem dirigitur ; lex vero civilis dicitur proprie *lex.*

Cum igitur vocis etymologiae et grammaticali ejusdem significationi insistitur, omnes leges ecclesiasticae, etiam particulares, quae sunt regula morum, videntur sine ulla difficultate appellandae *canones.* At usus, nunc communiter apud doctores receptus, invaluit, ut *canonis* nomine solae denotentur constitutiones, quae universam obstringunt Ecclesiam quales illae sunt quae a Conciliis generalibus, vel a R. Pontifice promanant aut confirmantur.

Quinimo, non tantum regulae disciplinares, quibus recte instituitur societas, sed etiam definitiones quae ad fidem pertinent, quaeque proprie dicuntur *dogmata,* saepius canonum nomine vocantur. Quam praxim ipsa Tridentina Synodus secuta est, quae fidei definitiones et haeresum damnationes per *canones* proposuit [4].

---

1. FUEHRICH, *Rechtssubjekt und Kirchenrecht.* T. I. *Was ist ein Recht ? Das Wesen des Rechts in Subjectiven Sinne, untersucht an den verschiedenen Privatrechten.* Wien, 1908.
2. WERNZ, *o. c.,* p. 55. Cf. MAROTO, *o. c.,* n° 2 ss.
3. VAN DEN BERGHE, *De legibus* [2], p. 39. Brugis, 1904.
4. Illi canones dogmatici ut plurimum ad theologiam dogmaticam remittuntur.

§ 2. JURIS CANONICI NOTIO.

4. — Ex dictis recte *definitur* jus canonicum : *Complexus canonum sive legum, quae ab ecclesiastica potestate constitutae, propositae aut approbatae sunt, ad rectam institutionem societatis Ecclesiae.*

Dicitur

1° *Complexus legum ;* quod est loco generis et commune cuilibet juri sociali recte instituto.

2° *ab auctoritate ecclesiastica ;* quibus verbis assignatur jus canonicum Ecclesiam habere auctorem, seu sancitum esse ab iis qui jus imperandi in Ecclesia a Christo acceperunt.

3° *constitutae, propositae aut approbatae sunt ;* eo quod earum legum, quibus jus canonicum constat, alias Ecclesia constituit, alias proposuit, alias approbavit. Prioris generis sunt *omnes leges positivae,* quas ecclesiastica potestas ipsa condidit ; secundi generis sunt *leges juris divini,* tum naturalis, tum positivi, quas Ecclesia, ut patet, non constituit, siquidem jure divino sint constitutae, sed quas auctoritate sua subditis declarat et urget ; tertii tandem generis sunt leges, quae licet initio ab Ecclesia non confectae, sed potius vel *potestate civili* (jus romanum, germanicum, jus civile modernum), vel a *populorum moribus* (jus consuetudinarium) primum inductae, factae sunt ecclesiasticae per approbationem, quae accessit, R. Pontificis.

4° *ad rectam institutionem societatis Ecclesiae ;* quibus verbis insinuantur subjectum, objectum et finis juris canonici.

a) Subjectum ; omnes et soli baptizati in Ecclesiae societatem sunt recepti et ipsius juri subjiciuntur [1].

b) Objectum ; ex voluntate sui fundatoris recta institutio societatis ecclesiasticae quatuor postulat : nempe fidei integritatem, morum puritatem, cultus ordinationem, demum constitutionis et regiminis custodiam. Hinc quatuor haec sunt objectum proprium juris canonici : omnes quippe *canones disciplinares,* seu quibus ordinatur societas ecclesiastica, vel ad fidem pertinent quam tuentur et promovent ; vel ad mores quos ad vitae actiones applicant et a neglectu defendunt ; vel ad liturgiam quam ordinant ; vel ad constitutionem et gubernationem societatis, quum jura et obligationes singulorum graduum sacri regiminis circumscribunt [2].

---

1. Cann. 12, 87.

2. LAURENTIUS, *Institutiones juris ecclesiastici*², p. 2. Friburgi-Br., 1908 ; WERNZ, *o. c.*, p. 56, nota (8). Multi canones disciplinares ad theologiae praelectiones apud nos remittuntur : canones liturgici ad liturgiam, canones morales ad theologiam moralem, etc.

c) Finis ; finis proximus est bonum societatis christianae ; finis ultimus est bonum spirituale fidelium et aeterna eorum beatitudo [1].

§ 3. VARIA JURIS CANONICI NOMINA.

5. — 1° Jus, quod communius *canonicum* dici solet, non raro vocatur *jus ecclesiasticum* [2] ; quia versatur circa res et personas ecclesiasticas, quae praecipue hoc jure reguntur, et quia ab Ecclesiae rectoribus constitutum est.

2° Dicitur *jus pontificium,* quia componitur constitutionibus maxima parte ab ipsis Pontificibus sancitis, vel saltem eorum auctoritate probatis.

3° Dicitur etiam *jus sacrum,* quia circa personas resque sacras versatur, et ad finem sacrum tendit.

4° Aliquando nuncupatur *jus divinum,* non quod vere divinum sit ; sed quia vel continet quaedam excerpta ex sanctis Litteris, vel quia canones instinctu et dono aut gratia Spiritus sancti dotati sunt, vel quia sunt conclusiones deductae ex principiis legis divinae, vel denique quia jus istud a Pontifice, tamquam CHRISTI in terris Vicario, divina potius auctoritate est constitutum [3].

§ 4. DISCRIMEN JURIS CANONICI A THEOLOGIA ET JURE CIVILI.

6. — I. Ex illis quae statim de objecto juris canonici dicta sunt, colligitur magnam *inter ipsum et theologiam* esse *affinitatem ;* nam « fidei morumque tractatio, ut recte animadvertit Card. Soglia [4], tum ad dogmaticam et moralem theologiam, tum ad jus canonicum pertinet. Verumtamen res aliter a theologia, aliter ab ecclesiastico jure spectatur.

« Namque : 1° *theologia dogmatica* de fide rebusque divinis universim disserit, ut statuat *regulam credendi ;* atque hinc studium omne et operam collocat in demonstrando quid contra fidem pugnet, quantum et quatenus opinio quaevis sanae et catholicae doctrinae congruat vel adversetur. At jus canonicum res fidei respicit ut ex iis *agendi regulam*

---

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome jur. can.* T. I, n° 3, Mechliniae, 1921.
2. A. HARNACK, *Jus ecclesiasticum. Eine Untersuchung über den Ursprung des Begriffs. (Sitz.-ber. der k. Preus. Akademie der Wissenschaften. Sitz. der phil.-hist. Klasse vom 23 Febr. 1903.* Sonderabdruck.) Berlin, Reimer, 1903. Cf. *Theologische Revue,* 1903, t. II, col. 400-403.
3. SCHMALZGRUEBER, *Jus ecclesiasticum universum.* T. I. Dissertatio prooemialis, § 7, n. 231, editio Romana, 1845 ; REIFFENSTUEL, *Jus canonicum universum.* T. I. Prooemium, § III, n° 39-40. Ingolstad, 1739.
4. *Institutiones juris publici et privati ecclesiastici* [8]. T. I, p. 4, s. Buscoduci, 1857.

hauriat, cum multae sint disciplinae leges, quae a fidei regulis ita pendent, ut credendi regula regulam agendi constituat. »

2° *Ad mores* autem quod attinet, theologia moralis agit de actionibus fidelium quatenus referuntur primario *ad forum internum,* inquirit in rectitudinem actionum humanarum in relatione ad finem ultimum, hominumque sanctificationem. Jus canonicum agit de actionibus hominum quatenus primario referuntur *ad forum externum et sociale Ecclesiae,* inquirit in rectitudinem actionum humanarum in relatione ad bonum societatis ecclesiasticae [1].

7. — Jus canonicum, triplici ratione, differt *a jure civili* istudque antecellit : videlicet origine, objecto et fine, uti oretenus paucis indicabitur [2].

ARTICULUS II. — De divisione juris canonici.

8. — Jus canonicum solet praecipue *dividi :*

1° Ratione *modi* quo inducitur, in *scriptum* et *non scriptum.* Illud constat legibus scriptis, quae promulgantur ; hoc vero traditionibus et consuetudinibus, quae non promulgantur.

2° Ratione *subjecti,* in *commune, particulare,* et *speciale.* Commune dicitur quod pro universa Ecclesia latum est, adeoque per se omnes fideles obligat ; particulare vero, quod pro certis quibusdam locis aut personis statutum est ; speciale tandem, quod in casu particulari statuit exceptionem a regula ordinaria aut privilegium.

Jus particulare subdivitur in *provinciale, dioecesanum,* et *regulare,* prout proprium est provinciae, dioecesi vel regularibus.

3° Ratione *objecti,* in *publicum* et *privatum* [3]. Jus publicum est complexus legum quibus Ecclesiae constitutio et regimen definiuntur. Sic leges, quae determinant formam Ecclesiae socialem, ipsiusque auctoritatem generaliter consideratam, nec non rectorum qui ei praesunt jura et officia, pertinent ad jus publicum. Jus privatum vero est complexus legum, quibus determinantur jura et obligationes singulorum fidelium. Jus itaque publicum ad regimen sive statum totius Ecclesiae refertur inservitque primario societatis utilitati ; privatum autem ad singulos fideles tamquam Ecclesiae membra respicit, inservitque praecipue privatorum utilitati. Jus publicum distinguitur in *internum,* quod constitutionem

1. WERNZ, *o. c.,* p. 76 ; SOGLIA, *o. et l. c.;* HEINER, *Katholisches Kirchenrecht* [6]. T. I, p. 11, Paderborn, 1912 ; MAROTO, *o. c.,* n. 27 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 5.

2. PHILLIPS, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux,* trad. CROUZET. T. I, p. 23 ss., Paris, 1885 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 4.

3. Circa varias hujus divisionis acceptiones, cf. WERNZ, *o. c.,* p. 50 ss.

Ecclesiae et relationes inter superiores et subditos moderatur, et in *externum*, quod societatis Ecclesiasticae relationes ad alias societates determinat [1].

4° Ratione *temporis*, olim dividebatur, in *antiquum*, *novum* et *novissimum*. Promulgato auctoritate Benedicti XV Codice juris canonici jussu Pii X digesto, placet *antiquum* vocari quidquid hunc *novum* codicem praecessit.

Hanc sequimur partitionem, loquendo postea de collectionibus juris canonici.

CAPUT II.

DE FONTIBUS JURIS CANONICI.

Auctores. SCHNEIDER. *Die Lehre von der Kirchenrechtsquellen* [2], Regensburg, 1892 ; WERNZ, *o. c.*, t. I, n. 90 ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 9 ; SAEGMUELLER, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts* [2], p. 81, Freiburg, i-Br. 1909; HEINER, *o. c.*, p. 14 ; MAROTO, *o. c.*, n° 310 ss.

9. — I. Notio.

Fontes juris triplici praesertim modo sumuntur [2].

1° Alii, sed improprie, per *Fontes* intelligunt legum statutorumque collectiones, de quibus capite seq. Quae collectiones dicuntur fontes *cognoscendi juris ecclesiastici.*

2° Alii, magis proprie, *Fontes* appellant ea loca, in quibus jus ipsum invenitur, propterea quod et jura et juris momenta, argumentaque et rationes ab his locis veluti fontibus hauriantur. Hoc sensu fontes numerantur tum quatuor, tum septem : nempe S. Scriptura, Traditio, constitutiones RR. Pontificum et canones Conciliorum generalium, quibus aliqui adjiciunt jus naturale, scripta SS. Patrum et jus civile. His addendas putamus legitimas consuetudines.

3° Alii tandem, strictiori sensu, *Fontes* dicunt causas ipsas efficientes

---

1. Vocatur etiam *intra-ecclesiasticum* et *extra ecclesiasticum*. V. NIEDNER, *Der Begriff der innerkirchlichen Angelegenheiten*. Jena, 1911. Optime notat MAROTO, *o. c.*, p. 34, nota (2) : « Ista divisio (in jus privatum et publicum) procedit inspecta rerum proprietate ; at in scholis aliter est recepta divisio practica quae revera non est scientifica, est tamen praxi accommodata. Nimirum in schola Juris Publici Ecclesiastici traduntur ea dumtaxat quae ex jure divino respiciunt Ecclesiam ut statum seu societatem perfectam, eaque sola vocantur Jus publicum ecclesiasticum ; cetera omnia, etiam quae respiciunt Ecclesiam ut societatem perfectam sed ex jure humano, et alia quae tum ex jure divino tum ex jure humano spectant ad regimen fidelium, censentur formare jus privatum ecclesiasticum, quod dicitur etiam simpliciter *jus canonicum.* »

2. Cf. de variis generibus fontium juxta varios auctores, MAROTO, *o. et l. c.* Ipse distinguit *fontes existendi* seu legislatores, *fontes constitutivos* seu diversa genera legum ex quibus veluti partibus jus resultat seu componitur quoad suum esse et integritatem ; et *fontes cognoscendi*, seu media unde jus nobis promanat quoad cognitionem.

legum, seu personas illas a quibus jura profluunt, scilicet auctoritatem legislativam. Hoc sensu tot juris canonici habentur fontes, quot in Ecclesia sunt vel fuerunt *legislatores*. Qui fontes vocantur fontes *existendi juris ecclesiastici* [1].

10. — II. **Sensus adhibitus. — Divisio.**

Ut autem de fontibus juris canonici utiliori quo potest modo dicamus, fontes secundo sensu intelligimus, quatenus hac voce significantur promptuaria seu loca e quibus jura hauriuntur ; et pro instituto nostro breviter inquirimus de usu et auctoritate, in jure canonico, *juris naturae, S. Scripturae, Traditionis et consuetudinis, constitutionum RR. Pontificum, canonum Conciliorum, scriptorum SS. Patrum et juris civilis.* Ulteriores circa istos fontes notiones repetendae sunt ex aliis disciplinis.

ARTICULUS I. — De jure naturae.

Auctores. CATHREIN, *Moralphilosophie* [5], 2 B^de, Freiburg-i-Br. 1911 ; ejusd. auct. *Recht, Naturrecht und positives Recht* [2]. Freiburg-i-Br. 1909 ; MEYER, *Institutiones juris naturalis*, 2 B^de, Freiburg-i-Br. 1906[2]-1900; MAROTO, *o. c.*, n. 315.

11. — I. **Errores.** « Duo in usu juris naturalis errores vitandi sunt, ait Soglia [2] ; alter eorum est, qui argumenta juris naturalis ab ecclesiastica jurisprudentia ita removent, ac si utraque disciplina sibi esset adversa [3] ; alter eorum est, qui plus aequo rationi tribuunt, dum omnia ex naturali jure definiunt. In primo errore illi versati sunt, qui in pactis et obligationibus interpretandis, in hominum officiis exponendis, in explicandis legibus, quae a jure naturali depromptae sunt, nullam ejusdem juris naturalis rationem habuerunt. In alterum errorem, et eum quidem perniciosissimum, delapsi sunt in primis Protestantes, qui in jurisprudentia canonica universa primum et potissimum locum juri naturali tribuerunt, eo sane consilio, ut sacrum Ecclesiae regimen et hierarchiam omnino destruerent » [4].

12. — II. **Regulae usus.** Igitur haec vitia declinabimus, si *regulas sequentes* adhibeamus.

1° In jure publico ecclesiastico, ubi de statu seu constitutione et potestate Ecclesiae quaestio est, nullus est usus juris naturalis, sed juris divini positivi.

2° Positis natura et fine, ex. gr. alicujus ordinis hierarchici, recte possumus vim potestatis eidem ordini convenientem ex ratione et jure naturali inferre.

---

1. Si modos inspiciamus juxta quos a legislatoribus jus ecclesiae conditum fuit, concordat haec tertia significatio cum secunda.
2. *O. c.*, p. 91.
3. WERNZ, *o. c.*, p. 95, nota (11).
4. *Ibid.*, p. 96. Cf. PRUEMMER, *o. c.*, p. 10.

3° In omnibus iis, quae ad praecepta morum et justitiam naturalem pertinent, si leges positivae deficiant, jus naturale erit lex, ad quam judicia et negotia dirigenda erunt.

4° Cum Ecclesia nihil possit in divinis et naturalibus legibus derogare, immutare, dispensare, cognitio juris naturalis non modo utilis, sed necessaria est ad cognoscendum quae leges sint naturales, et proinde immutabiles, quae vero positivae (*humanae*), adeoque derogationi, immutationi et dispensationi obnoxiae.

Denique jus naturae maxime valet ad legum aequitatem demonstrandam, atque ad easdem leges rite recteque interpretandas [1].

ARTICULUS II. — De S. Scriptura.

Probe distinguendum est inter libros *veteris* et *novi* Testamenti.

13. — I. Ad vetus Testamentum quod attinet, nemo dubitat quin e *praeceptis moralibus*, quae Christus non sustulit, sed clarius evolvit confirmavitque, argumenta in jure canonico firmissima deduci valeant. Sed an idem dicendum est de praeceptis *caeremonialibus* et *judicialibus*, quae Christus abrogavit ?

Respondet Wernz [2] : « Leges caeremoniales et judiciales veteris testamenti inde a momento mortis Christi, quo velum templi scissum est, cessarunt et *mortuae* sunt, imo paulatim *mortiferae* sunt effectae. Nam omnes illae leges ad Christum futurum erant ordinatae et uni populo Israelitico, non universo generi humano accommodatae et promulgatae. »

Tamen Ecclesia, Apostolorum vestigiis insistens, ex praeceptis caeremonialibus nonnullos ritus adoptavit, qui divino cultui plus decoris afferunt, cujusmodi sunt templorum dedicatio, sacrae vestes, thus, lampades, cantus et alia ejusdem generis ; item ex judicialibus plura praecepta deprompsit [3].

« Porro Judaeorum leges in Corpus juris canonici receptae, et, ut aiunt, canonizatae, non tamquam leges divinae, sed tamquam leges ecclesiasticae, sive auctoritate ecclesiastica receptae confirmataeque habendae sunt... ; et proinde Ecclesia potest easdem relaxare, atque etiam penitus abrogare [4]. »

1. SOGLIA, *o. et l. c.*
2. *O. c.*, p. 97 s. Cf. SOGLIA, *o. c.*, p. 28 s.
3. Citantur inter Decretales Gregorii IX : cap. 1, 3, X, de *homicidio*, V, 12 ; cap. 1, 2, X, *de adulterio et stupro*, V, 16 ; cap. 1, X, *de furtis*, V, 18 ; cap. 1 ss., X, *de injuriis et damno illato*, V, 36. Quarum praescriptionum pleraeque fuere reassumptae et breviter coactae in Codice juris canonici, cann. 2354, 2357, etc. Cf. PRUEMMER, *o. c.*, p. 11.
4. SOGLIA, *o. et l. c.* Cf. etiam MAROTO, *o. c.*, n° 318 s.

14. — II. Novum Testamentum est juris ecclesiastici fons primus et praecipuus, nam Christus non est tantum Redemptor noster, sed etiam Rex spiritualis et Legislator noster [1].

Sane, quae ad *jus ecclesiasticum publicum* pertinent, de fundatione Ecclesiae, de institutione potestatis hierarchicae, de sacro imperio Apostolis atque imprimis S. Petro a Christo collato, de gesto ab iisdem imperio circa res omnes ad Religionem et Ecclesiae gubernationem spectantes, ea omnia ex SS. Scripturis novi Testamenti luculenter sumuntur. Et *de jure privato* vix tractari quidquam potest, quin idem ex sacris Litteris erui, confirmari et illustrari queat [2].

At videndum est quis *usus*, quantaque sit vis et pondus argumentorum, quae ex novo Testamento depromuntur. Jamvero ad fidei veritatem morumque praecepta demonstranda certae auctoritatis argumenta habenda sunt, quae ex *litterali* Scripturae *sensu* ducuntur. Ad *sensum mysticum* quod spectat, cum utriusque sensus, litteralis et mystici, unus idemque sit auctor, Deus, sequitur et ipsum per se vim probandi habere, ubi constat eum esse sensum Spiritus Sancti. Alii vero sensus *mystici et spirituales*, licet aedificent, cum non sint contra fidem aut mores, efficacia tamen non praebent argumenta [3].

Attendendum etiam est ad *auctores* scriptorum novi Testamenti. Evangelia nonnisi doctrinam ipsius Christi continent, sed reliqui libri praecepta tum divina, tum apostolica complectuntur. Haec praeceptorum divisio apertissime significata est a S. Paulo, dum ait : *Praecipio non ego, sed Dominus ;* et *Ego dico, non Dominus* [4].

Inter dicta igitur et praecepta Apostolorum, alia *divina* sunt, utpote ab Apostolis prolata Christo mandante, seu ut Evangelii praeconibus ; alia vero *humana* et ecclesiastica, utpote edita ab Apostolis tamquam ecclesiarum rectoribus. Haec derogationi et abrogationi obnoxia sunt, non illa.

Sin autem *regula* petatur, qua instituta divina ab apostolicis distingui valeant, haec generatim tenenda est : quae in scriptis Apostolorum continentur, ea pro divinis habenda sunt, nisi ex verbis, aut ex subjecta materia, aut ex R. Pontificis declaratione, aut consentienti SS. Patrum testimonio contrarium luculenter appareat [5].

---

1. Conc. Trid. Sess. VI de justific. can. 21.
2. ZALLINGER, *Institutionum juris ecclesiastici... liber subsidiarius* I, p. 66, Augustae Vindelicorum, 1791.
3. ZAPLETAL, *Hermeneutica biblica*², P. I. *Propaedeutica*, p. 13 ss., Friburgi-Helv., 1908.
4. I Cor. VII, 10 ; V, 12.
5. SOGLIA, *o. c.*, p. 31 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 323 ss.

ARTICULUS III. — De Traditionibus et Consuetudine.

15. — I. **De Traditionibus.** 1° *Notio.* Traditiones hic objective sumuntur, et dici solent Christi, Apostolorum vel antiquiorum Praesulum doctrinae et praxes in Ecclesia stabilitae, quae a primis auctoribus non scriptae, sed verbis traditae sunt. Dicitur *a primis auctoribus ;* nomen enim Traditionum retinent, etsi postea scriptis fuissent consignatae.

16. — 2° *Divisio.* Traditiones vel *divinae* sunt vel *humanae.* Divinae sunt, « quae, ut docet Tridentinum [1], ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt » ; v. g. eae quae spectant ad materiam et formam sacramentorum. Humanae sunt quae ab hominibus, Apostolis videlicet ut rectoribus ecclesiarum, vel eorum successoribus originem ducunt. Quare in *apostolicas* et *ecclesiasticas* dividuntur [2].

17. — 3° *Auctoritas.* Cum Traditiones *divinae* Deum ipsum habeant auctorem, summae profecto auctoritatis sunt in Ecclesia, quae eas una cum S. Scriptura pari pietatis affectu et reverentia suscipit ac veneratur, ut habet Trid. *l. c.*

Quamobrem immutabiles omnino sunt, nullique potestati obnoxiae. *Humanae* vero tantam habent vim, quantam leges ab iisdem auctoribus constitutae ; sed quemadmodum caeterae hominum constitutiones, mutatis circumstantiis, aut voluntate legislatoris mutari possunt, aut etiam penitus abrogari.

18. — 4° *Media discernendi.* Oportet itaque ut subministretur medium Traditiones divinas ab humanis discernendi. Medium generale est, tum ut ipsa Traditionis materia bene inspiciatur, tum ut SS. Patrum, imprimisque Ecclesiae, sententia exquiratur. Generali huic medio applicando inserviunt quatuor regulae sequentes :

a) Traditio divina est, si ejus materia ad fidem pertineat, quia fides solum Deum auctorem habet.

b) Pariter Traditio divina est, si sit earum rerum, quae humanam potestatem superant, qualis ex. gr. est materia et forma sacramentorum, quia sacramenta a solo Deo institui potuerunt.

c) Sic etiam Traditio divina est, si quod praecipit, aut statuit, id consentientes inter se Patres tamquam oretenus a CHRISTO, vel a Spiritu Sancto dictatum, Apostolos tradidisse testentur, aut id generatim affirment ad praeceptum divinum, sive ad divinam institutionem pertinere ; quandoquidem SS. Patres sunt legitimi testes divinarum Traditionum.

1. Sess. IV, de canon. script.
2. WERNZ, *o. c.*, p. 270 s.

d) Quidquid denique Ecclesia tamquam divinitus traditum observat aut docet, nec in SS. Litteris exstat, minime dubitandum est quin sit divinae Traditioni tribuendum ; neque enim Ecclesia catholica hisce in rebus errare potest [1].

19. — II. **De Consuetudine.** Ad jus non scriptum sicut Traditio pertinet etiam *consuetudo*. Haec est fons juris ecclesiastici positivi introducti actibus repetitis et diuturnis populi, sed cujus ratio obligationis tota est in voluntate antecedenti aut consequenti legislatoris. De consuetudine pauca trademus in libro 1° compendii, remissis aliis ad tractatum *de legibus*.

ARTICULUS IV. — De Constitutionibus RR. Pontificum.

Auctores. WERNZ, *o. c.*, T. I p. 159 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 75 ; HEINER, *o. c.*, p. 17 s., 28 ss;. PRUEMMER, *o. c.*, p. 19; MAROTO, *o. c.*, n. 334 ss.; *Dictionnaire de théologie catholique*, v^is *bref, bulle, encyclique ; Dict. d'arch. chrét. et de liturg.* v^is *Constitutions apostoliques, Decrétales, Formules de dévotion ;* BRESLAU, *Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und Italien.* T. I^2. Leipzig, 1912.

RR. Pontifices suam jurisdictionem explicant, et jura, officia caeterasque res sacras, sive Ecclesiae universalis, sive ecclesiarum particularium, sive etiam privatorum fidelium, moderantur per *vivae vocis oracula*, et potissimum per *constitutiones*, quae cum canonibus Conciliorum generalium sunt praecipui rivuli, per quos legislatio ecclesiastica ad nos defluit.

20. — I. **Vivae vocis oracula** sunt declarationes, decisiones seu concessiones a S. Pontifice [2] oretenus factae. Alia authenticata sunt, alia vero non. Authenticata habentur quae oretenus concessa postea nomine S. Pontificis in scripturam rediguntur et ab officialibus consignantur. Ut autem probandi vim habeant in foro externo requiritur ut eorum legitimas evincatur vel reportata forma authentica vel aliis legitimis probationibus (v. gr. ex testibus) vel testimonio *unius* cardinalis de oraculo pontificio [3] ; secus valent in foro interno tantum.

21. — II. **Constitutiones.** 1° *Notio.* Sub nomine Constitutionis, si *late* sumatur, intelligitur quodlibet scriptum a R. Pontifice emanatum

1. Cf. SOGLIA, *o. c.*, p. 35 ss. ; HONORATUM A S. MARIA, *Animadv. in reg. et usum critices*, L. I, diss. 7 et 15; BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis* [3], p. 35 ss. Brugis, 1903 ; DE SMEDT, *Principes de critique historique*, p. 160 ss. Liége, 1883 ; PRUEMMER, *o. c.*, p. 12. Cf. etiam theologiam dogmaticam generalem *de divina traditione*.

2. Oracula vivae vocis etiam dantur a Dicasteriis Curiae Romanae.

3. Cf. cann. 79 ; 239, § 1, n° 17 ; MAROTO, *o. c.*, n° 338, p. 404 ss.; *Il monitore ecclesiastico*, 1904-1905, t. XVI, p. 175 ss. Cf. Exemplum ap. *Collat. Brugen.*, 1912, t. XVII, p. 552.

circa res ecclesiasticas. Eo nempe veniunt definitiones, decreta, epistolae decretales, encyclicae, rescripta, et generatim ordinationes ac regulae omnes, quae a RR. Pontificibus, tamquam totius Ecclesiae rectoribus, conduntur.

Hoc itaque lato sensu constitutionum pontificiarum duplex est genus : aliae *dogmaticae* sunt, aliae *disciplinares* : dogmaticae, seu definitiones quae ad fidem, disciplinares quae ad mores, ritus sacros externamque Ecclesiae politiam spectant.

22. — 2° *Divisio.* Constitutiones eduntur vel pro tota communitate, id est pro tota Ecclesia, aut saltem pro notabili Ecclesiae parte ; vel pro aliqua privata persona, aliquo particulari negotio.

a) Si prius, constitutiones olim nuncupabantur *Decreta* dum emittebantur a R. Pontifice ad nullius consultationem ; *Decretales* dicebantur, dum ad consultationem vel postulationem alicujus emissae fuerant. Generaliori tamen sensu Decretales vocabantur quaecumque RR. Pontificum leges et statuta. Hodie ea acta pontificia stricto sensu *Constitutiones* [1] dicuntur quae a R. Pontifice dantur motu proprio in forma Bullae circa graviora Ecclesiae negotia ; maxime hoc genere actorum a R. Pontifice promulgantur *leges* quas ipse decernit, approbantur concordata, definiuntur dogmata [2]. Vocantur *Motus proprii* ea acta quae a R. Pontifice dantur motu proprio, sponte et non ad aliorum instantiam ; eduntur forma simpliciori decreti [3]. *Encyclicae litterae* sunt, dum ad universos orbis vel saltem alicujus regionis Episcopos diriguntur. Hac litterarum specie utuntur Pontifices, quando de aliquo puncto doctrinae, vel de aliquo tollendo abusu, vel de aliqua disciplina ab ecclesiis uniformiter servanda decernunt. *Litterae Apostolicae* sunt illae quae sub forma Bullae aut Brevis dantur, generatim non motu proprio et respiciunt negotia praesertim ordinis gubernativi aut administrativi, uti erectionem dioecesis, dispensationes, etc. [4].

b) Si posterius, acta pontificia dicuntur *Rescripta*, de quibus postea specialiter tractabimus, in libro I, tit. 4. Olim dicebantur etiam *Diplomata*, quia membranae quibus inscribebantur, in duas plicas contrahi solebant. Vocantur praeterea simpliciter *Epistolae*, ea acta quibus R. Pontifex personam aut personas particulares laudat, hortatur, congratulatur et ita porro.

---

1. MAROTO, *o. c.*, p. 393 s.
2. V. gr. Const. *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854 de definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis ; Const. *Providentissima*, 27 Maii 1917, qua promulgatus est novus codex.
3. MAROTO, *o. c.*, p. 394 s.
4. MAROTO, *o. c.*, p. 395 s.

23. — 3° *Forma.* Ad formam quod spectat, litterae apostolicae plerumque eduntur sub forma *Bullae, Brevis, Motus proprii* et *Litterarum apostolicarum.*

a) Olim omnes *bullae,* in membranis subfuscis et crassioribus exaratae, munitae erant sigillo plumbeo vel aureo *(bulla)* [1], filis sericis vel canabeis membranae appenso, quod exhibet hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc nomen pontificis regnantis, et exaratae erant charactere theutonico [2] ; at S. Pontifex Leo XIII, die 29 decembris 1878, statuit ut deinceps, abrogato supradicto charactere, omnes litterae Apostolicae communi latino charactere exscriberentur, et illae solae plumbeo numismate cum adjectis cordulis munirentur, quae respicerent erectionem, dismembrationem, et collationem beneficiorum majorum aut alia acta S. Sedis solemnia ; reliquae vero et praesertim eae quae beneficia minora et dispensationes supra impedimentis matrimonialibus [3] respiciunt, ornarentur impresso sigillo rubri coloris referente imagines ipsorum Apostolorum Petri et Pauli, inscriptione nominis regnantis S. Pontificis circumducta [4]. Expediuntur Bullae consistoriales et majores [5] formulis specialibus redactae [6], per Cancellariam Apostolicam. Constitutiones vero componuntur et expediuntur a Secretaria Status et dumtaxat registrantur a Cancellaria [7]. Subscribuntur tum a Cardinali Cancellario, tum a Cardinali Praefecto (aut Secretario) illius Congregationis, ad quam negotium pertinet ; vel si agitur de Constitutionibus, a Cardinali Secretario status et a Cardinali Cancellario vel Praefecto Congregationis competentis. Bullae canonizationis subsignantur ab omnibus Cardinalibus Romae existentibus [8]. Ad Datariam Apostolicam spectat expedire litteras apostolicas pro collatione beneficiorum non consistorialium [9].

In omnibus litteris apostolicis, sive a Cancellaria, sive a Dataria

---

1. *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* v° Bulle (sceau), Paris, 1910.
2. Vocabatur scriptura bollatica.
3. Expediuntur nunc documento forma *Brevis* aut forma *rescripti* redacto. Cf. *Normae peculiares* de ref. Cur., cap. VII, art. III, n° 13, in *AAS.,* 1909, I, p. 89.
4. *Nouv. rev. théol.,* 1879, t. XI, p. 117. Cf. HEINER, *o. c.,* p. 34 s.
5. Cf. can 160 ; C. *Sapienti Consilio,* 29 juin 1898; III, 1°, n° 2, 3, 4, 5, *AAS.,* 1909, t. I, p. 7 ; *Collat. Brug.* 1908, t. XIII, p. 48.
6. Motu proprio, 8 dec. 1910 de novis Bullarum collationis beneficiorum consistorialium formulis, *AAS.,* 1910, t. II, p. 939.
7. Cf. MAROTO, *o. c.,* p. 401 s.
8. Motu proprio, 15 apr. 1910, *AAS.,* 1910, t. II, p. 287 ; cf. MONIN, *De Curia Romana,* p. 361 s., Lovanii, 1912.
9. Can. 261 ; C. *Sapienti consilio,* III, 2°, n° 2.

expediendis, initium anni nunc ducitur, non a die Incarnationis (25 martii) sed a Kalendis Januarii [1].

b) *Brevia* sigillum habent cerae rubrae, vel atramenti rubri, in quo impressa est imago D. Petri piscationem agentis ; ideo dicuntur dari *sub annulo Piscatoris*. Negotia tractant non ita gravia ; latino eleganti charactere, breviore sermone, servataque orthographia ordinaria conscribuntur, et per Secretariam Brevium, quae est tertia sectio Secretariae status, expediuntur in membranis albis et subtilibus. Subscribuntur a Cardinali Secretario Status vel a Cancellario Brevium et datantur juxta civilem anni computationem [2].

c) *Motus proprii* stricta forma epistolari carent et subsignantur a Romano Pontifice.

d) *Litterae apostolicae* forma simpliciori exarantur, nomine Pontificis subscribuntur sed non propria ipsius manu.

Quaenam sit R. Pontificis auctoritas in fidei morumque causis definiendis, traditur in *Prael. theol. dogm. de R. Pont.*

Quaenam autem sit ejus potestas circa leges disciplinares, ex professo docetur *infra*, n. 507 sqq.

24. — *Nota.* Ad hunc fontem reducuntur : *a) Regulae Cancellariae*, in quantum ad jus commune seu universale pertinent, cum hujusmodi regulae, ut in *Praelectionibus*, n. 602 exponitur, non sint nisi quaedam RR. Pontificum decreta, circa expeditionem litterarum apostolicarum, rem beneficialem et judicialem [3] ; *b) Decreta et decisiones SS. Card. Congregationum*, quae pollent auctoritate pontificia ut in *Praelectionibus* probabitur, n. 573.

ARTICULUS V. — De canonibus Conciliorum generalium.

25. — Canones seu decreta Conciliorum generalium, auctoritate R. Pontificis confirmata, si fidem concernant, perinde ac quatuor Evangelia sunt amplectenda ac retinenda ; judicium enim Episcoporum, qui cum R. Pontifice consentiunt, judicium Ecclesiae est, quae in fidei morumque doctrina errare non potest. Si vero disciplinam spectent, vim legis universalis, omnes Christifideles obligantis, obtinent ; nulli enim dubium esse potest, quin in Conciliis generalibus jus legum ferendarum resideat [4].

---

1. *Ibid.* III, 5°, in fine ; MAROTO, *o. c.*, p. 400 s.
2. Can. 263, 3° ; *C. Sapienti consilio*, III, 4° ; MONIN, *o. c.*, p. 368 s.; MAROTO, *o. c.*, p. 402.
3. Pars juridica regularum nunc Codice jur. can. est suppleta, ac proin a juristis historice tantum attendenda, ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 14 ; MAROTO, *o. c.*, n. 98.
4. De Conciliis sermo redibit *infra*. Cf. MAROTO, *o. c.*, n° 345 ss.

ARTICULUS VI. — De scriptis SS. Patrum.

26. — Hic non intelliguntur scripta SS. Patrum, quibus testantur de Traditione, vel quae ab Ecclesia legum auctoritate donata sunt ; sed illa in quibus ut scriptores privati, ut canonum magistri et defensores jurium Ecclesiae, de disciplina ecclesiastica aliquid educunt [1].

Ut autem SS. Patrum scriptis in re canonica debita tribuatur auctoritas, servetur regula sequens : *In negotiis et causis disciplinae ecclesiasticae, in quibus neque RR. Pontifices, neque Concilia quidquam constituerunt, SS. Patrum sententiae, licet per se solas canones non sint, locum auctoritatemque legum obtinent.* Hanc regulam tradit S. Leo IV, in cap. 6 *Epist. ad Ep. Britanniae minoris in Gallia.* Postquam RR. Pontificum decreta et Conciliorum canones enumeravit, per quos, ut scribit, judicant Episcopi et per quos Episcopi simul et clerici judicantur, ita subdit : « Si tale emerserit vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc si illorum quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori vel caeterorum similiter sanctorum Doctorum reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda [2]. » Rationem fontis suppletorii in scriptis SS. Patrum, publicato Codice, non cessasse judicamus, cum inter fontes supplementarios juris canonici recensetur communis constansque sententia doctorum (can. 20), quorum primi sunt SS. Patres [3].

ARTICULUS VII. — De jure civili.

Scriptores. V. SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes.* T. I, p. 158, Graz, 1886 ; LAURIN, *Introductio in corpus juris canonici.* Appendix. *Brevis introductio in corpus juris civilis romani,* p. 235 ss., Friburgi-Br. 1889 ; WERNZ, *o. c.,* p. 294 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 104 ; MAROTO, *o. c.,* n. 376 ss.

Etsi jus civile inter fontes juris canonici per se adnumerari nequeat, tamen jurisprudentiae sacrae candidatis non utilis tantum, sed et necessaria est aliqualis juris civilis, romani et moderni, notio.

27. — I. **Jus romanum** [4]. Etenim ex jure romano, insigni veteris

1. SOGLIA, *o. c.,* p. 96 ; WERNZ, *o. c.,* p. 272 s.
2. Grat. c. 1, D. XX.
3. Cf. tamen MAROTO, *o. c.,* n° 370.
4. Expositionem juris romani praesertim privati inter alios exhibent : GIRARD, *Manuel élémentaire de droit romain* [5]. Paris, 1911 ; STAEDLER, *Cours de droit romain,* 2 vol. Louvain, 1903 ; PUCHTA-KRUEGER, *Cursus der Institutionen* [9], 2 Bde, Leipzig, 1881 ; MAINZ, *Eléments de droit romain,* 2 vol., Brux. 1845-1855, etc. ; quoad jus publicum : MOMMSEN, *Roemisches Staatsrecht* [3], Leipzig, 1887-1888 (editio brevior prodiit Leipzig, 1893) ; WALTHER-BERGMANN, *Das Roemische Recht aus dem Munde seiner Verfasser.* T. I. Paderborn, 1911. Cf. etiam WALTON, *Historical introduction to the Roman Law,* London, 1920.

sapientiae monumento, plures leges Ecclesia desumpsit, quas approbatione canonizavit, uti sunt multae constitutiones juris romani ad processum judiciarium, praesertim civilem, spectantes ; uti etiam ea quae ad personas collegiales pertinent [1].

Olim Ecclesia *lege generali* ut fontem subsidiarium approbavit jus romanum, ad quod judex ecclesiasticus poterat et debebat recurrere si sacri canones causae solutionem non suppeditarent [2]. Illa lex novo Codice non amplius commemoratur.

28. — II. **Jus civile modernum.** 1° Ecclesia in novo suo codice aliquas leges civiles respectivarum nationum explicite probavit et recepit, uti v. gr., in materia praescriptionis (can. 1508), adoptionis (can. 1059), contractuum (can. 1529), etc [3]. Imo sunt nonnulli qui censent jus civile hodiernum supplere posse juris canonici defectui, quia legitima auctoritate conditum est, cui in re temporali obsequium debetur [4]. At deficit tamen hac de re Ecclesiae explicita praescriptio ; imo ad lacunas implendas, si quae sint, can. 20 non enumeratur jus civile inter fontes suppletorios [5].

2° Aliquando leges civiles incompetenter latas *tolerat* Ecclesia ubi de rebus secundariis agitur, v. gr. de acquisitione, administratione, alienatione bonorum ecclesiasticorum ; imo jubet ut fideles has observent. Ita apud nos leges civiles circa fabricas ecclesiarum obligant non ex intrinseca vi sed ex voluntate Ecclesiae [6].

Nota. Qui praecedunt, fontes sunt praeprimis juris canonici universalis ; dantur quoque fontes juris canonici particularis aliquarum ecclesiarum. Inter quos collocanda sunt : 1° concordata ; 2° statuta praesulum R. Pontifice inferiorum pro suis subditis, sive lata fuerint in synodo, sive extra eam ; 3° statuta Concilii plenarii et provincialis ; 4° tandem constitutiones speciales S. Sedis, rescripta et privilegia ; de quibus omnibus tractabitur suis locis.

---

1. Cf. *Nouv. rev. théol.*, 1920, t. XLVII, p. 247. Cf. *Causa Derthonen.* 31 jan. 1919, S. Rot. Rom., ap. *AAS.*, 1919, t. XI, p. 469.
2. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 380.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 73.
4. Cf. *Causa Biturgen.* Locationis, 30 maii 1917, ap. *AAS.*, 1917, t. IX, p. 559 s., ubi D'ANNIBALE [3], *Summula Theologiae moralis*, t. I, n° 201, huic thesi adhaerens laudatur.
5. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 384 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. et l. c.*
6. *Collat. Brugen.*, 1904, t. IX, p. 384 ss., 584 ss.; KISELSTEIN, *Les dons et les legs aux fabriques d'églises*, p. 102 ss. Louvain, 1912.

CAPUT III.

DE JURIS CANONICI COLLECTIONIBUS.

Editiones generales. MIGNE, *Patrologiae graecae cursus completus,* 166 vol. Parisiis, 1857-1888 (citabitur *PG.*) ; *Patrologiae latinae cursus completus,* 222 vol. (citabitur *PL.*) ; A. GALANTE, *Fontes juris canonici selecti,* Œniponte, 1906 (opus praeclarum) ; *Quellensammlung zur kirchlichen Rechtsgeschichte und zum Kirchenrecht,* ed. Dr EICHMANN, 1 fasc. *Kirche und Staat von 750-1122,* Paderborn, 1912 ; DENZINGER, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum* [10], Friburg-Brisg., 1911 ; ROUET DE JOURNEL, *Enchiridion patristicum,* Friburg.-Brisg., 1911 ; KIRSCH, *Enchiridion fontium historiae Ecclesiae antiquae,* ed. 2, Friburg.-Brisg., 1914 ; CAVALLERA, *Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis magisterii ecclesiastici,* Paris, 1920.

Auctores. v. SCHULTE, *Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts,* 3 vol. Stuttgart 1875-1880 ; ejusd. auc., *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts nebst dessen Literaturgeschichte,* 2 Aufl. Giessen, 1868 ; MAASSEN, *Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts* (1um vol. prodiit, pertingit usque ad an. 982), Graz, 1870 ; TARDIF, *Histoire des sources du droit canonique,* Paris, 1887 ; P. VIOLLET, *Histoire du droit civil français,* 2 édit. p. 29 ss. Paris, 1893 ; CREUSEN, *Tabulae fontium traditionis christianae,* Friburgi-Br., 1911 ; WERNZ, *o. c.,* p. 311 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 123 ss.; FRIEDBERG, *Lehrbuch des kathol. und evangelischen Kirchenrecht,* ed. 5, p. 113 ss. Leipzig, 1903 ; v. SCHERER, *o. c.,* p. 178 ss.; PRUEMMER, *o. c.,* p. 44 ss.; *Bull. de littérat. ecclésiastique,* 1917, 6e sér., T. IX, p. 377 ss.; Praefatio Emmi Cardinalis GASPARRI *ad codicem juris canonici ;* MAROTO, *o. c.* n° 31 ss.; BERNAREGGI, *Metodi e sistemi delle antiche collezioni e del nuovo codice di diritto canonico,* in *La Scuola cattolica,* 1920, t. XVIII, p. 125 ss., 204 ss., 352 ss., 446 ss.

29. — Notio et Divisio. I. Jam agendum est de fontibus *cognoscendi* juris ecclesiastici seu de monumentis et collectionibus in quibus leges ecclesiasticae reperiuntur. Magnae sane utilitatis est haec de collectionibus disquisitio, tum ad dignoscendas leges vigentes, tum sub respectu historico.

II. Multiplicatis Conciliorum canonibus et SS. Pontificum decretis, multae decursu temporis prodierunt canonum collectiones quae vario modo distinguuntur.

1° *Ratione materiae,* aliae canones integros, aliae contractos, quaedam solum canones, quaedam canones simul et leges civiles habent atque a Graecis *Nomocanones* appellantur.

2° Quod attinet *ad methodum,* in antiquioribus collectionibus servata est ut plurimum ratio temporum, seu ordo chronologicus, in recentioribus vero ratio materiarum, seu *ordo systematicus,* sc. ad certa capita et titulos relati sunt canones, ut materia ipsa postulare videbatur.

Inde vocantur collectiones chronologicae et systematicae.

3° *Ratione fidei* quam in genere merentur, aliae *genuinae,* aliae

spuriae sunt, prout quoad substantiam vera et genuina jura continent aut e contra juridicis falsificationibus constant [1].

4° Praesertim *ratione valoris juridici,* dividuntur in *privatas* et *publicas* seu authenticas collectiones. *Publica* collectio ea est quae a supremo legislatore Ecclesiae ita est facta — aut saltem postmodum approbata — et promulgata, ut singulae leges, etiam origine particulares aut speciales, *vi insertionis* in collectione, valorem legis universalis quoad suam partem dispositivam adipiscantur. *Privata* est opus privatum alicujus collectoris et, si intercedit aliqua publica auctoritas, non exinde tamen plus valoris obtinent canones collecti, qui tantum valent in collectione, quantum valent extra.

III. Acturi de praecipuis canonum collectionibus, primum agemus in articulo primo de collectionibus anterioribus novo Codice juris canonici ; deinde in articulo secundo quaedam de novo Codice addemus.

ARTICULUS I. — De collectionibus anterioribus Codice juris canonici.

§ I. DE COLLECTIONIBUS ANTE CORPUS JURIS CANONICI.

A. PATRES APOSTOLICI. COLLECTIONES PSEUDOAPOSTOLICAE.

Auctores. HARNACK, *Geschichte der altchristliche Literatur bis Eusebius.* T. I. *Die Ueberlieferung und der Bestand.* T. II, 1. 2. *Die Chronologie.* Leipzig, 1893-1904 ; BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchlichen Literatur.* I. *Vom Ausgange des apost. Zeitalters bis zum Ende des zweiten Jahrh.* 1902. II. *Vom Ende des zweiten Jahrh. bis zum Beginn des vierten Jahr.* 1903 ; III. *Das vierte Jahrh. mit Ausschluss der Schriftsteller syrischer Zunge,* 1902. Freiburg-Br.; ejusdem auctoris, *Patrologie* [3], Freiburg-Br., 1910 ; RAUSCHEN, *Grundriss der Patrologie* [3], Freib.-Br., 1910 ; trad. française par RICARD. Paris, 1911 ; *Dictionnaire de théologie catholique,* verbis infra citandis.

30. — I. Inter monumenta antiquissima juris ecclesiastici memorandae primo veniunt : epistola *S. Clementis Romani* [2] ad Ecclesiam Corinthiorum, circa finem saeculi primi conscripta ; variae epistolae *S. Ignatii Antiocheni,* versus primum decennium saec. II exaratae, et aliquantisper recentior, epistola *S. Polycarpi* ad Philippenses [3]. Haec documenta momen-

1. WERNZ, *o. c.,* p. 303.

2. Praeter hujus R. Pontificis epistolam, conservatae fuerunt ex primis saeculis : S.Cornelii (251-253) duae epistolae ad S. Cyprianum et fragmenta epistolae ad Fabium antiochenum ; S. Stephani (254-257) fragmentum epistolae a S. Cypriano traditum, cf. JAFFÉ-LOEWENFELD, *Regesta Romanorum Pontificum,* n° 110, 111, 106, 125, 126, Leipzig, 1885-1888 ; WERNZ, *o. c.,* p. 311 s.

3. FUNK, *Opera Patrum Apostolicorum* [2]. T. I. Tübingen 1901, 2 vol.; *Textes et documents pour l'étude historique du christianisme* éd. HEMMER et LEJAY. *Les Pères Apostoliques.* II. *Clément de Rome* éd. HEMMER. III. *Ignace d'Antioche et Polycarpe de Smyrne* éd. LELONG. Paris, 1907 et 1910 ; praecipua excerpta ap. GALANTE, *o. c.,* p. 12 ; LAKE, *The Apostolic Fathers,* t. I, London, 1912.

tum haud exiguum praebent pro historia hierarchiae, cultus et disciplinae in primitiva ecclesia.

31. — II. *Collectiones pseudo-apostolicae,* a privatis auctoribus compositae, sub nomine Apostolorum divulgatae sunt, ut eis major vindicaretur auctoritas. Illi fontes apocryphi, demptis erroribus et additionibus, exhibent disciplinam antiquam tempore compositionis vigentem, et vi et efficacia in foro ecclesiastico non caruerunt.

32. — 1° *Doctrina duodecim Apostolorum* (Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων), quae probabilius annis 80-90 prodiit a Judeao christiano, plura habet liturgica in II parte (c. 7-10) ; in III parte, indolis potius canonicae, agit de apostolis et praedicatoribus fidei peregrinantibus suscipiendis, de die dominica celebranda, de episcopis et diaconis ordinandis, etc [1].

33. — 2° *Didascalia Apostolorum* ortum habuit in Syria probabilius in secunda parte saeculi III. Conscripta graece, servata fuit in variis versionibus, notatim in syriaca et partim in latina versione, et agit copiose et per singula de episcopo, de viduis, de clero, de baptismate, de cultu, de poenitentia et de obligatione legis mosaïcae [2].

34. — 3° *Canones ecclesiastici Sanctorum Apostolorum* (Κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων) [3], saec. III vel IV ex Ægypto oriundi, exhibent a C. XV ordinationes circa electionem Episcoporum, constitutionem et officia presbyterorum, lectorum, etc [4].

35. — 4° *Constitutiones Apostolicae* (Διαταγαί vel διατάξεις τῶν ἁγίων ἀπόστόλων). Hoc opus, libris octo constans, est compilatio quaedam facta probabilius in Syria circa finem saec. IV vel initium saec. V. Sex priores libri exhibent retractationem quamdam *Didascaliae ;* septimus est adaptatio *Doctrinae Apostolorum,* additis formulis precum et ordinationibus circa institutionem Catechumenorum et baptisma ; octavus autem liber plurima exhibet de Missa, consecratione episcoporum, officiis ecclesiasticis, charismatibus, etc [5]. Ultimo capite *Canones Apostolorum* habet

---

1. FUNK, *o. c.,* t. I; *Textes et documents,* etc. éd. HEMMER et LEJAY. *Les Pères Apostoliques,* I. *Doctrine des apôtres. Épître de Barnabé,* éd. HEMMER-OGER-LAURENT, Paris, 1907 ; GALANTE, *o. c.,* p. 1 ss. Cf. *Dict. d'archéol. chrét. et de liturg.,* v° *Didaché.*

2. P. DE LAGARDE, *Didascalia apostolorum syriace,* nov. ed. Goettingue, 1911 ; NAU, *La didascalie des douze apôtres traduite du syriaque* [2]. (Anc. littér. syriaque.) Paris, 1912 ; FUNK, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum* 2 v. Paderborn, 1916 ; FRANÇON, *La didascalie éthiopienne* (trad. franç.), in *Rev. de l'Orient chrétien,* 1912, t. XVII ; GALANTE, *o. c.,* p. IX-XII, XXV-XXVI, XXXV-XXXVI ; *Revue d'histoire ecclésiastique,* 1901, t. II, p. 798 ; *Diction. d'archéol. chrét. et de liturgie,* v° *Didascalie.*

3. Germanice *Apostolische Kirchenordnung.*

4. Textum ediderunt : PITRA, *Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta,* I, p. 75 ss. Romae 1864 ; MIGNE, *PG.,* t. XXX ; GALANTE, *o. c.,* (c. 16-30), p. 23-27. Cf. HORNER, *The statutes of the Apostles or Canones ecclesiastici,* London, 1904 ; SCHWARTZ, *Ueber die Pseudo-apostolischen Kirchenordnung,* Strassburg, 1910 ; *Dict. d'archéologie chrét. et de lit.* v° *Canons apostoliques,* col. 1923 ss.

5. FUNK, edit. cit.; A. SPANOLO et C. H. TURNER, *A fragment of an unknown latin version of the Apostolic constitutions,* in the *Journal of theological studies,* 1912, t. XIII, p. 492 ss.; TURNER, *A primitive edition of the Apostolic Constitutions and Canons,* in eodem periodico, 1913, t. XIV, oct. p. 53 ss.; ejusd. auct., *Notes on the Apostolic Constitutions. The text of Cod. Vat. 1506,* in eod. period., 1920,

adjectos. Circa hujus operis octavi libri originem multum disceptatum est[1]. Juxta solidam theoriam recenter propositam, ille octavus liber cum scriptis connexis, nempe hujus Epitome[2], Fragmenta Veronensia[3], Constitutio Aegyptiaca[4], Canones Hippolyti[5] et Testamentum D. N. J. C., penderet ab antiquiore Constitutione Apostolica Romana, opus nempe S. Hippolyti « Traditio Apostolica », circa a. 218 graece conscriptum. At dum Constitutio Aegyptiaca et Fragmenta Veronensia nobis exhibent directe et fideliter, in triplici versione coptica, aethiopica et latina, opus Hippolyti, constat Constitutiones Apostolicas et Testamentum Domini pendere a Constitutione Aegyptiaca et praebere tantum sicuti Canones Hippolyti traditionem indirectam et corruptam scripti primigenii.

Concilium Trullanum (692, c. 2), has Constitutiones rejecit ut ab hereticis interpolatas[6], nec in Ecclesia Orientali nec Occidentali in efformando jure canonico notabilem habuerunt influxum.

36. — 5° *Canones Apostolorum,* numero octoginta quinque, complectuntur varia de clero, ejus ordinatione, officiis et obligationibus[7]. Hos collegit auctor *Constitutionum apostolicarum* partim ex hac collectione, partim ex conciliis saec. IV. Porro Dyonisius exiguus saec. VI ineunte quinquaginta priores canones ex graeco in latinum vertit et suae collectioni inseruit. Inde propter conformitatem cum vigente disciplina transierunt in alias collectiones, puta in Pseudo-Isidorianam. Eos postea adhibuerunt Decretum Gratiani, Compilationes antiquae et Decretales Gregorii IX ; inserti dein fuerunt in antiquis editionibus Corporis juris[8]. Fuerunt authentici declarati a Concilio Trullano[9] ; sed rejecti sunt in decreto *de recipiendis et non recipiendis libris*[10].

---

t. XXII, p. 21 ss.; *Dict. d'archéol. chrét. et de lit.*, v° *Constitutions apostoliques.*

1. Cf. CONNOLLY, *The so-called Egyptian Church-Order and derived documents,* in *Texts and Studies,* VIII, 4, Cambridge, 1916 ; WILMART, *Un règlement ecclésiastique du début du 3e siècle.* La « *Tradition ecclésiastique* » *de St Hippolyte,* in *La Rev. du clergé fr.,* 1918, t. XCVIII, p. 81 ss. Cf. etiam *Rev. d'hist. ecclés.,* 1902, t. III, p. 615 ss.; *Diction. d'archéol. chrét. et de lit.*, v° *Canons Apostoliques,* col. 1931 ss., 1942 ss.

2. FUNK, *ed. cit.,* t. II, p. 72 s.

3. HAULER, *Didascaliae Apostolorum fragmenta Veronensia latina, accedunt Canonum qui dicuntur Apostolorum et Aegyptiorum reliquiae,* Leipzig, 1900.

4. HORNER, *o. c.,* p. 306 ss., p. 244 ss., p. 138 ss.

5. Ed. HANEBERG, München, 1870. Cf. ACHELIS, *Die Canones Hippolyti,* Leipzig, 1891 ; OEHLANDER, *Canones Hyppolyti och besläktade skritter.* Lund, 1911. Cf. *Theolog. Literatur-Zeitung,* 1912, t. XXXVII, col. 301 s. V. etiam TURNER, *The Church-Order of S. Hippolytus,* in *the Church Quarterly Review,* 1917, p. 73 ss.

6. MANSI, *SS. Conciliorum... collectio,* t. XI, p. 940.

7. *Editiones :* PITRA, *o. c.,* t. I, p. 1-44 ; *Les canons des apôtres, texte arabe,* éd. J. et A. PÉRIER. (*Patrologia orientalis,* t. VIII, p. 551-710), Paris, 1912 ; éditions du Corpus juris. Cf. TURNER, *Ecclesiae occidentalis monumenta juris antiquissima.* T. I, fasciculi alterius pars 1a. Appendices ad Symbolum pertinentes. Canonum Apostolorum interpretatio nova. Oxonii, 1913 ; *Dict. d'archéol. chrét. et de lit.*, v° *Canons apostoliques,* col. 1910 ss. Cf. HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* I, 2e partie, p. 1203 ss. Paris, 1907.

8. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 126 ; FRIEDBERG, *o. c.,* p. 117, nota (15), (16). MAASSEN, *o. c.,* p. 408-410 ; VIOLLET, *o. c.,* p. 43 s. Conc. Trid. Sess. XXV, c. 1 de ref. adhuc ad illos provocavit.

9. Decr. Grat. c. 4, D. XVI.

10. *Ibid.,* c. 5, D. XV. Cf. LAURENTIUS, *o. c.,* p. 14, nota (6) et HEFELE-LE-

37. — 6° Denique memorandum venit *Testamentum Domini nostri Jesu Christi* conscriptum graece circa saec. V sed servatum in versione syriaca [1]. Duobus libris praebet antiqua documenta de institutione ecclesiae, vita cleri, liturgia, catechumenatu [2], etc.

B. COLLECTIONES ECCLESIAE ORIENTALIS.

Auctores. P. et H. BALLERINI, *De antiquis collectionibus et collectoribus canonum.* (MIGNE, *PL.* t. LVI) ; MAASSEN, *o. c.*, p. 8 ss.; PITRA, *o. c.*; HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 126 s.

38. — I. **Collectiones chronologicae.** Pace restituta Ecclesiae, numerosi canones, a Synodis praesertim Orientalibus promulgati, in collectionibus redacti sunt. Ecclesiam Orientalem medio saeculo V suam habuisse canonum collectionem, constat ex actis Concilii Chalcedonensis (a. 451) [3]. Haec complectebatur canones desumptos ex Conciliis Nicaeno (a. 325) [4], Ancyrano (a. 314), Neocaesariensi (a. 314-325) [5], Antiocheno (a. 341) et Gangrensi (a. 343, vel 362-370) [6]. Postea additi sunt canones Conciliorum Laodiceni (int. a. 343-381) [7], Constantinopolitani (a. 381), Ephesini (a. 431) et Chalcedonensis (a. 451) ; denique adjecti sunt canones Concilii

---

CLERCQ, *o. c.*, t. II, 2e part., p. 940. Circa auctorem et aetatem hujus decreti consulendum est opus E. v. DOBSCHUETZ, *Das Decretum Gelasianum de libris recipiendis et non recipiendis in kritischen Text herausgegeben und untersucht (Texte u. Untersuchungen.)* Leipzig, 1912. Juxta ipsum esset opus compositum saec. VI extra Romam, ab aliquo privato homine traditioni Romanae favente.

1. *Testamentum D. N. Jesu Christi* ed. J.-E. RAHMANI, Mogunt., 1899 ; COOPER MACLEAN, *The Testament of our Lord.* 1902. Cf. FUNK, *Das Testament unseres Herrn,* Mainz, 1901 ; *Rev. d'hist. ecclésiastique,* 1902, t. III, p. 615 ss.

2. Circa institutionem Ecclesiae in tribus primis saeculis consuli possunt : U. STUTZ, *Kirchenrecht* (HOLTZENDORFF-KOHLERS, *Encyklopädie des Rechtswissenschaft* [5], t. II, p. 809-972), Leipzig, 1904; HARNACK, *Entstehung u. Entwickelung der Kirchenverfassung u. des Kirchenrechts in die zwei ersten Jahrh.* Leipzig, 1910. Contra hanc dissertationem scripserunt : BATTIFOL, in introd. ad quintam edit. sui operis *L'Église naissante et le catholicisme,* Paris, 1911 ; DAUSEND, *Die Entstehung der katholischen Kirche nach Harnack* in *Der Katholik,* 1911, 4 Folge, Bd. VII, p. 411-421. Cf. etiam SOHM, *Das altkatholische Kirchenrecht und das Dekret Gratians,* München, 1918 ; *Essays on the early History of the Church and the Ministry,* edited by SWETE, London, 1917, cf. *Les Études,* 1919, t. CLV, p. 5 ss.; BISHOP, *Liturgica historica. Papers on the Liturgy and religious life of the Western Church,* Oxford, 1918 ; SCHRYNEN, *Uit het leven der oude Kerk,* Utrecht, 1918 ; SCHERMANN, *Studien zur Geschichte und Kultur des Altertums.* T. I. *Die allgemeine Kirchenordnung des zweiten Jahrh.* T. II. *Frühchristliche Liturgien.* T. III. *Die kirchliche Ueberlieferung des zweiten Jahrh.,* Paderborn, 1914-1917. V. etiam STRAUB, *De Ecclesia Christi.* T. I., p. 229 ss. in nota et passim, Œniponte, 1912. Bibliographiam ulteriorem ap. GALANTE, *o. c.*, p. 1 ss.

3. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. II, 2 part., p. 770 ss.

4. Cf. GALANTE, *o. c.*, p. 60 ss.

5. Canones conc. Ancyrae et Neocaesareae in unam collectionem primum unitos fuisse videntur. Cf. v. SCHERER, *o. c.*, t. I, p. 196. Textus horum canonum ap. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. I, p. 298 ss., 326 ss.

6. TURNER, *Eccles. occid. monumenta juris antiquissima,* t. II, pars altera. Concilia Gangrense et Antiochenum. Oxonii, 1913.

7. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, I, 2 p., p. 989 ss.

Sardicensis (a. 343-344) [1], et demum omnibus canonibus praemissi sunt 85 canones Apostolici. In Ecclesia Orientali etiam magnam auctoritatem nacti sunt 102 canones Synodi Trullanae (692) [2]. A Pontificibus Romanis restrictam tantum approbationem retulit haec Synodus [3].

39. — II. **Collectiones systematicae.** Post illas collectiones ordine *chronologico* digestas, prodierunt inde a saeculo VI plures collectiones secundum ordinem *systematicum*. Memoranda est collectio canonum 50 titulorum circa annum 550 a Joanne Scholastico confecta, cui postea adjecit compendium quoddam ex Novellis Justiniani, quod inscribitur *Collectio 87 capitulorum*. Sic orta est nova species collectionum, Ecclesiae Orientali propria, nempe *Nomocanonum*, in quibus addebantur canonibus νόμοι seu leges civiles, quae ad easdem materias referuntur [4]. Hujusmodi sunt collectio quaedam exeuntis saec. VI, falso adscripta Joanni Scholastico, necnon collectio saec. VII composita et per Photium saec. IX retractata [5]. Hic liber, quem postea commentatus est Theodorus Balsamon, magnae auctoritatis in Ecclesia Orientali fuit. Post Schisma productae collectiones minoris faciendae sunt relate ad jus commune Ecclesiae [6].

C. COLLECTIONES ECCLESIAE OCCIDENTALIS.

Auctores. MAASSEN, *o. c.*; TURNER, *Monumenta juris antiquissima. Canonum et conciliorum graecorum interpretationes latinae*, 2 fac. Oxford, 1899-1904. V. *Rev. d'hist. ecclés.*, 1905, t. VI, p. 189 s.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 128 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 317 ss.; V. SCHERER, *o. c.*, p. 198 ss.; HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. III, 2 p., p. 1149 ss.; *Dict. d'archéol. chrét. et de liturg.*, v° *Décrétales*.

Ex canonibus Conciliorum, quae in Oriente celebrata fuerunt, primo loco in Occidente divulgatae sunt versiones latinae canonum *Nicaenorum*, quibus ita uniti sunt *Sardicenses*, ut quasi unius Concilii canones habe-

---

1. MAASSEN, *o. c.*, p. 50 s.; HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. I, 2 part., p. 737 ss.; Séminaire historique de Louvain, Rapp. 1909-1910, dans l'*Annuaire de l'Université*, Louvain, 1911, p. 407 ss.; *Zeitschr. der Savigny-Stiftung für Rechtsgesch.* Kanonist. Abteilung, 1912, t. II, p. 44 ss.

2. Vocatur a trullo seu palatio Constantinopolitano concamerato in quo locum habuit. Appellatur etiam concilium Quini-sextum, quia hujus synodi canones adnexi sunt conciliis quinto et sexto, quae canonibus disciplinaribus caruerunt. Cf. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. III, p. 1, p. 560 s.; V. SCHERER, *o. c.*, t. I, p. 197.

3. HEFELE-LECLERCQ, *o. et l. c.*

4. SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 12; V. SCHERER, *o. c.*, p. 197; VERING, *Handbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrechts*[3], p. 46 ss. Freiburg-Br., 1893.

5. MIGNE, *PG.*, t. CIV, col. 441 ss.

6. Quoad alios fontes posteriores schismate cf. PITRA, *o. c.*; VERING, *o. c.*; J. SILBERNAGL, *Verfassung u. gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirche des Orients*, 2 Auf. hrsg. von J. SCHNITZER, Regensburg, 1904; MILASCH, *Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirche, übers. von Pessic*, 2 aufl. Mostar, 1905; PALMIERI, *Nomenclator litterarius theologiae orthodoxae russicae et graecae recentioris*, T. I. Prague, 1912. Fontes Ecclesiae Orientalis Catholicae recensentur in PAPP-SZILAGYI, *Enchiridion juris Eccles. orient. Catholicae*, [2] M.-VARADINI, 1880 et in tomo secundo *Collectionis Lacensis Conciliorum recentiorum*. Cf. FRIEDBERG, *o. c.*, p. 11, 141.

rentur et pariter tamquam Nicaeni allegarentur[1]. Postea accesserunt canones Conciliorum occidentalium[2] et Decretales Romanorum Pontificum[3]. Praecipuas collectiones latinas recensemus.

40. — I. Collectiones usque ad saeculum nonum. 1° In ITALIA saeculo V ortae sunt duae versiones et collectiones canonum graecorum, quae vulgo dicuntur altera *Isidoriana* vel *Hispana*[4], altera *Prisca* vel *Itala*[5].

Celeberrimae deinde sunt collectiones *Dionysii Exigui* († circ. 555)[6], natione Scythae, monachi romani : Hic saec. V exeunte vel saec. VI ineunte novam composuit versionem canonum graecorum. Haec collectio, in altera sua redactione, continet 50 priores canones Apostolorum, deinde canones synodorum graecarum, quibus additi sunt canones approbati in Concilio Carthaginiensi (a. 419).

Mox ineunte saec. VI composuit *Collectionem Decretalium Romanorum Pontificum* a Siricio (384-399) usque ad Anastasium II (496-498), incl. Tertiam denique subjunxit, nunc deperditam cujus praefatio tantum remansit[7], in qua canonum textus graecus et versio latina exhibebantur. Collectiones postea Canonum et Decretalium in unam redactae sunt, quae licet authentica non esset, tamen maximam celebritatem nacta est, praesertim ab eo tempore quo sub forma auctiori Hadrianus I Papa eam, anno 774, Carolo Magno donavit ; quae collectio *Dyonisio-Hadriana*[8] tamquam *codex* seu *liber canonum* approbata est pro imperio Caroli M. in synodo Aquisgranensi (a. 802). Hujus collectionis prodiit etiam excerptum sub nomine *Epitome Hadriani*[9].

Saeculo VI orta est quoque in Italia insignis collectio *Avellana*[10], quae comprehendit plus quam ducentas epistolas imperatorum et Pontificum Romanorum.

---

1. Disputatur num illa Collectio non fuerit publicae auctoritatis, WERNZ, *o. c.*, p. 318, nota (83).

2. Notatim Concilium Illiberitanum (Elvire) a. 305-306 (?). Cf. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. I, 1e part. p. 212 ss.; GALANTE, *o. c.*, p. 50 ss.; Concilium Arelatense primum (Arles) a. 314, cf. HEFELE-LECLERCQ, *o. et l. c.*, p. 275 ss.; GALANTE, *o. c.*, p. 58 ss.

3. TREZZINI, *La legislazione canonica di Papa S. Gelasio I* (492-496), Locarno, 1911.

4. Ita vocata quia haec versio ex Italia oriunda (420-440) transiit in collectionem hispanicam falso tributam S. Isidoro Hispalensi : *Editio* apud MAASSEN, *o. c.*, p. 924-938.

5. Prisca dicitur quia putabatur a Dyonisio Exiguo in praefatione ad primam redactionem suae collectionis hoc nomine significatam fuisse. Haec praefatio habetur ap. MAASSEN, *o. c.*, p. 960. Editio ap. MIGNE, *PL.*, XVI, 747 ss. Circa illas collectiones, illarumque relationes cum collectionibus Dyonisii Exigui et Quesnelliana, cf. omnino TURNER, *o. c.*

6. Cf. *Spicilegium Cassinense*, Monte-Cassino, 1888, 1893 ; MAASSEN, *o. c.*, p. 422 ss., 960 ss.

7. MAASSEN, *o. c.*, p. 904 s.; MIGNE, *PL.*, LVI, 83 ss.

8. Editio : MIGNE, *PL.* t. LXVII, 139 ; *Spicilegium Cassinense.* T. I, c. III, Monte-Cassino, 1893. Cf. MASSIGLI, *Sur l'origine de la collection canonique dite « Hadriana » augmentée*, in *Mélanges d'archéol. et d'hist.*, 1912, t. XXXII, p. 363 ss.; MAASSEN, *o. c.*, p. 441, ss.; v. SCHERER, *o. c.*, p. 202. Cf. Decr. Grat. c. 1, D. XIX.

9. FRIEDBERG, *o. c.*, p. 119.

10. Ed. GUENTHER, *Epistulae imp., pontific., aliorum inde ab a.* CCCXLVII *usque ad a.* DLIII *datae. Avellana quae dicitur collectio.* (*Corpus script. eccles. lat. Vindob.* XXXV, 1, 2), 1885 ss.

41. — 2° Cum in ECCLESIA AFRICANA [1] mos existeret, ut in Conciliis canones praecedentium Conciliorum denuo recitarentur et confirmarentur, in actis illorum Conciliorum collectio quaedam canonum ex officio facta reperitur. Ita praesertim in Synodo Carthaginiensi III (397) [2], quae ratum habuit *Breviarium canonum Concilii Hipponensis* (a. 393) [3], et in Synodo Carthaginiensi XVII (a. 419) [4], in qua *Codex canonum Ecclesiae Africanae* confirmatus est [5]. Inter collectiones Africanas posteriores citari merentur *Breviatio Canonum* [6], auctore Fulgentio Ferrando († ante a. 546), Diacono Ecclesiae Carthaginiensis, et *Concordia Canonum,* systematice composita circa a. 690 ab episcopo Africano Cresconio [7].

42. — 3° In GALLIA initio saeculi VI prodiit sic dicta *collectio Quesnelliana* [8], nomine accepto a primo suo editore Paschasio Quesnel († 1719), a quo falso appellata fuit « Codex Canonum Ecclesiae Romanae. » Post illam aliae quoque in Gallia factae sunt vel receptae, inter quas *Dionysio-Hadriana* supra memorata. Mentionem meretur etiam collectio *Dacheriana* primo a d'Achery († 1685) publicata [9].

43. — 4° In HISPANIA, cum existeret mos indicatus pro Ecclesia Africana, paulatim exortae sunt collectiones canonum. Ex his memorandae sunt potissimum duae : Prima post a. 563 compilata a Martino, archiepiscopo Braccarensi, quae saepe appellatur *Capitula Martini* [10], altera fuit ille *Codex canonum,* qui jam exstitit in Concilio Toletano IV (a. 633). Qui Codex canonum sive *Collectio Hispana,* postea additionibus locupletata [11], saeculo IX adscripta fuit S. Isidoro Hispalensi et vocata etiam *Isidoriana ;* in fine saec. VII fuit in systematicum ordinem redacta : hinc *systematica Hispana* [12].

44. — 5° In ANGLIA et HIBERNIA, commemoranda est magna collectio circa initium saec. VIII in Hibernia orta [13], quae influxum magnum habuit in Italia et Gallia [14].

---

1. WERNZ, *o. c.,* p. 320 s.
2. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.,* t. II, 1e partie, p. 98 ss. Celebris collectio vocata *Statuta Ecclesiae antiqua* falso tributa Conc. Carthag. IV (a. 398) denotat verisimiliter originem Arelatensem posteriorem. Cf. ibid. p. 102 et 108 ubi textus habetur.
3. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.,* t. II, 1e part., p. 82.
4. *Ibid.,* p. 198 ss.
5. *Ibid.,* p. 201 ss.; ed. MIGNE, *PL.,* t. LXVII.
6. Ed. MIGNE, *PL.,* t. LXVII, 949.
7. Ed. MIGNE, *PL.,* t. LXII, 829.
8. Ed. MIGNE, *PL.,* t. LVI, 359 ; col. 899 ss. Cf. circa hanc collectionem TURNER, *o. c. ;* MAASSEN, *o. c.,* p. 486 ; H. STEINACKER, *Die Deusdedithandschrift* (Cod. Vat. 3833) *und die ältesten gallischen libri canonum* in *Mitt. d. Instit. f. oesterr. Geschichtsforsch.,* 1901, Ergängzbd. VI, p. 113 ss.
9. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 132, nota 1 ; GILLMANN, *Eine Würzburger Dacheriana,* in *Arch. für kath. Kirchenr.,* 1907, t. LXXXVII, p. 587 ss.
10. Ed. MIGNE, *PL.,* t. LXXXIV, 574,
11. Ed. MIGNE, *PL.,* t. LXXXIV, 93 et 849.
12. Ed. MIGNE, *ibid.,* 23 ss. Cf. circa collectiones hispanicas SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 132 s.; V. SCHERER, *o. c.,* p. 198 ss.
13. Ed. MIGNE, *PL.,* t. LVI, 296.
14. Cf. P. FOURNIER, *De l'influence de la collection irlandaise sur la formation des collections canoniques,* in *Nouv. revue hist. de droit franç. et étranger,* 1899,

45. — II. **Collectiones spuriae saeculi IX.** Saeculo IX *spuriae* praesertim divulgatae sunt collectiones, inter quas praecipuum locum occupat *Pseudo-Isidoriana* derivata ex collectione Hispana, dicta *Isidoriana,* sed additionibus falsificatis corrupta. Inter illas spurias collectiones, ratione temporis et dependentiae, memoranda venit :

46. — 1° CAPITULARIA BENEDICTI LEVITAE [1]. Illa spuria collectio capitulariorum francorum et praecipue canonum ex S. Scriptura, scriptis Patrum, jure romano et germanico, ex *Dyonisio-Hadriana* et *Hispana* deprompto-rum, fuit verisimiliter composita in archidioecesi Remensi, circa saeculum nonum. Pro *scopo* habet liberare Ecclesiam ab intrusionibus laicorum ; praeterea hostilem sese praebet chorepiscopis. Probabilius pendet *Pseudo-Isidoriana* a Benedicto Levita.

47. — 2° CAPITULA ANGILRAMNI [2]. Hujus collectionis, quae 71 capitulis ex variis fontibus notatim ex Benedicto Levita constat, objectum praecipuum est ordo judiciarius servandus in accusatione Episcoporum vel clericorum, quos a falsis accusationibus defendere intendit. Qui scopus communis est Pseudo-Isidoro. Quaenam sint relationes inter nostra *capitula* et Pseudo-Isidorianam disputatur. Multi contendunt eumdem utramque collectionem habere auctorem, Pseudo-Isidorum, qui, vel ante majorem publicationem ad modum operis praeparatorii vel post eam ad modum epitome, haec capitula publicavit. Quidquid sit, circa idem tempus, in eademque regione originem duxisse ambas collectiones compertum est.

48. — 3° PSEUDO-ISIDORIANA [3].

a) *Compositio.* Haec collectio tripartita existit. *In prima parte,* post praefationem, quam sequuntur tres epistolae apocryphae et ordo de celebrando Concilio, recensentur 50 canones Apostolorum et epistolae apocryphae Rom. Pontificum a Clemente I ad Melchiadem (circa 90-314). *In secunda* proponuntur ex Hispana, sed sub forma retractata, canones Conciliorum Orientalium, africanorum, gallicanorum et hispanicorum, a Nicaeno usque ad Hispalense II. *Tertia* exhibet collectionem Decretalium ex Hispana, adauctam nonnullis authenticis et pluribus spuriis epistolis

---

t. XXIII, p. 27 ss. Cf. pro bibliographia circa has hibernicas collectiones, SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 132, nota (2).

1. Editio : *Monumenta Germaniae historica. Leges.* II, pars 2, p. 17 ss. Cf. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 140 s.; WERNZ, *o. c.,* p. 322; HINSCHIUS, *Decretales Pseudo-Isidorianae et capitula Angilrammi,* Leipzig, 1863, Introd. p. 183 ss.; SECKEL, *Studien zu Benediktus Levita,* in *Neues Archiv für ältere Deutsche Geschichtskunde,* 1900, t. XXVI, p. 37 ss.; 1903, t. XXIX, p. 277 ss.; 1905, t. XXXI, p. 59 ss.; 1909, t. XXXV, p. 769 ss.

2. Melior editio est illa quam curavit HINSCHIUS, *o. c.* Bibliographia infra et supra.

3. Optimam bibliographiam praebet V. SCHERER, *o.c.,* p. 214 et praesertim SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 138 s. Sequemur praecipue P. FOURNIER, *Études sur les fausses décrétales* in *Rev. d'hist. ecclésiastique,* 1906, t. VII, p. 33-51, 301-316, 543-564, 761-784 ; 1907, t. VIII, p. 19-56. Cf. ejusdem auctoris articulum in *Dictionnaire apologétique de la Foi catholique,* v° *Décrétales* (fausses), col. 903-910. Cf. etiam *Dictionnaire de théologie catholique,* t. IV, col. 212-222 ; HERGENROETHER-HOLLWECK, *o. c.,* p. 174 ss.; WERNZ, *o. c.,* p. 323 ss.; FRIEDBERG, *o. c.,* p. 118 ss. Editio : HINSCHIUS, *o. c.;* MIGNE, *PL.,* t. CXXX, ubi antiquior textus reperitur. Cf. etiam *Neues Archiv f. ält. D. Geschich.,* 1912, p. 219 ss.

Rom. Pontificum, a Silvestro usque ad Gregorium II (314-731). Ex recensione longiori derivata est brevior, quae exhibet tantum Decretales usque ad Damasum (366-384).

Continet, praeter documenta apocrypha anteriora, novas fasificationes non totaliter de novo excogitatas sed compositas ex antiquis monumentis, notatim ex *Libro Pontificali ;* praeterea constat multis documentis authenticis ex *Hispana* et *Dyonisio-Hadriana.*

49. — b) *Auctor, tempus, locus.* Hanc collectionem *non esse genuinam* collectionem S. Isidori Hispalensis atque spuriis et falsificatis textibus abundare, communi nunc consensu scriptores tum catholici tum acatholici admittunt. Verum de specialibus hujus collectionis circumstantiis non eadem certitudine liquet. Atque imprimis si quaeratur de *auctore,* qui in praefatione dicitur Isidorus Mercator, sive etiam peccator vel mercatus, nihil certi proponi potest, multae tamen fuere propositae conjecturae. *Tempus* deinde, quo ista compilatio prodiit, reponendum videtur circa medium saeculum nonum, inter a. 847 et 852. Si quaeratur de *loco originis,* iterum res non est adeo clara : utique fraus non fuit commissa Romae, (haec opinio omnino derelicta est), sed in regno occidentali Francorum, in provincia ecclesiastica Remensi [1], vel probabilius in provincia Turonensi, nimirum in dioecesi Cenomannensi (Le Mans) [2].

50. — c) *Scopus* falsificatoris videtur fuisse praecipuus tum ex una parte assecurare independentiam Ecclesiae, liberando personas et bona ecclesiastica a violentiis et usurpationibus laicorum, tum ex alia parte conservare et restaurare immutabilem constitutionem hierarchicam societatis spiritualis, adductis fictitiis textibus ex exordiis historiae ecclesiasticae. Ideo quoad primum invehitur contra falsas accusationes Episcoporum et violentias quas in eos exercent laici; causas Episcoporum reservat judicibus ecclesiasticis, nimirum concilio provinciali et praeprimis auctoritati supremae et independenti R. Pontificis, sub qua constituuntur tum fideles, tum episcopi etiam in concilio provinciali coadunati ; severe increpat usurpationes bonorum ecclesiasticorum. In hunc finem nititur potestati Sedis Apostolicae tunc temporis agnitae, ut medio necessario ad assecurandam independentiam Ecclesiae. Quoad secundum intentum describit accurate organisationem ecclesiasticam juxta primaevam institutionem restituendam, incipiendo a parochia, quam regit parochus sub immediata auctoritate Episcopi constitutus. Hic electus et consecratus a comprovincialibus episcopis est fundamentum et caput Ecclesiae localis ; hac ratione inimicum se ostendit erga chorepiscopos. Regimen provinciae ecclesiasticae committit non metropolitano sed comprovincialibus episcopis praesidente metropolitano, cujus jura minuit, uti jura Primatum, quorum institutio ei parum utilis videtur. Sed extollit primatum Pontificis Romani, qui juxta Pseudo-Isidorum est lapis angularis totius edificii ecclesiastici.

---

1. Cf. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 143.
2. Cf. dissertationes a P. Fournier conscriptas, ubi probat quod in dioecesi Cenomannensi adjuncta rerum responderint scopo et tendentiis falsificatoris, et quod ibidem tantum alia apocrypha, bono hujus Ecclesiae congruentia et caractere Pseudo-Isidoriano notata, inventa fuerint.

51. — d) Verbulum addimus *de influxu* pseudo-Isidori in jus ecclesiasticum : cavendum ab exaggerationibus tum contendentium universam constitutionem et disciplinam Ecclesiae fuisse immutatam (ita Protestantes quidam, Gallicani et Jansenistae), tum dicentium nihil fuisse immutatum. Verus admitti debet influxus : primo quidem *formalis,* hoc sensu quod statutis juris quoad substantiam saltem saeculo nono existentis et postulatis reformationis tunc temporis propositis magnam auctoritatem addiderit pseudo-Isidorus, ea Decretalibus praesertim Rom. Pontificum, fictitiis utique sed per plura saecula ubique receptis et saepe deinceps in foro et in collectionibus allegatis, confirmando et roborando. In Curia Romana tamen, nec saeculo IX nec saeculo X, influxum notabilem habuerunt Pseudo-decretales. In secunda tantum parte saeculi XI, tempore reformationis Gregorii VII, usus textuum Pseudo-Isidori Romae frequens apparet. Illi, per totam Europam tunc sparsi, efformant medium efficax, quo late diffunduntur fundamentalia reformationis a Sancta Sede propugnatae. *Materialis* deinde fuit influxus, nova quaedam vel quae videbantur nova proponendo : necessitatem consensus Rom. Pontificis ad celebrationem synodi qualiscumque, exclusionem laici ab accusatione clerici, limitationem juris accusandi episcopos vi depositos et nondum restitutos, exclusionem synodi a sententia definitiva pronuntianda contra episcopum. Porro duo priora puncta ne nostra quidem aetate sunt recepta ; tertium vero non erat novum quoad rem ; unde solum quartum tamquam vere novum haberi debet[1]. « De nos jours, scribebat P. Fournier, on s'accorde assez généralement à y voir une œuvre de membres de l'Église franque, dont le but a été non pas, comme on le répétait jadis, de créer ou tout au moins d'étayer le dogme de la primatie du Saint-Siège, mais de réaliser dans l'Église certaines réformes, grâce à l'appui du Siège apostolique, dont l'autorité s'imposait à tous[2]. »

52. — III. **Collectiones a saeculo IX ad Gratianum**[3]. Haec periodus est

---

1. Cf. FOURNIER, *o. c.,* 1907, t. VIII, p. 19-56 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 145 s.; WERNZ, *o. c.,* p. 327 s.; REIG Y CASANOVA, *Cuestiones canonicas,* p. 69 ss., Tolède, 1904.

2. *Dictionnaire d'apologétique, l. c.,* col. 910 ; REIG Y CASANOVA, *o. c.*

3. Bibliographiam usque ad a. 1909 invenies ap. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 145 s.; FRIEDBERG, *o. c.,* p. 126 s.; TARDIF, *o. c.,* p. 159-172 ; VILLIEN, in *Can. Contemp.,* 1920, t. XLIII p. 24 ss. Cf. HAUCK, *Kirchengeschichte Deutschlands,* t. III, p. 595 ss. Leipzig, 1896 ; SOLMI, *Stato e Chiesa secondo gli scritti politici da Carlomagno fino al Concordato di Worms* (800-1122), p. 174 ss. Modena, 1901 ; J. SCHMIDT, *Beiträge zum vorgratianischen Kirchenrecht,* in *Deutsche Zeitschrift für Kirchenrecht,* 1906, t. XVI, p. 195 ss.; *Das Originalregister Gregors VII im Vatik. Archiv nebst Beiträgen zur Kenntniss der Originalregister Innozenz III u. Honorius* III, ed. W. PEITZ, S. J. Wien, 1911 ; J. DE GELLINCK, S. J., *Le mouvement théologique au XII^e siècle,* Paris, 1914 ; cf. ejusdem auctoris articulos in *Revue des sciences philosophiques et théologiques,* 1912, t. VI, p. 527 ss., praesertim in *Revue d'histoire ecclésiastique,* 1909, t. X, p. 290 ss.; 720 ss.; 1910, t. XI, p. 29 ss. : *Le traité de Pierre Lombard sur les sept ordres ecclésiastiques : ses sources et ses copistes,* ubi praeclara de fontibus inveniuntur ; ejusdem auctoris, *Theological literature during the Investiture struggle,* in *the Irish theological Quarterly Review,* 1912, t. VII, p. 315-341 ; ejusdem auctoris, *Les notes marginales du « Liber sententiarum »,* in *Rev. d'hist. ecclés.,* 1913, t. XIV, p. 511 ss., 705 ss.

tempus efflorescentiae scientiae juris romani et canonici. Multiplicantur collectiones, quae primum non sunt nisi compilationes canonum, mox vero induunt indolem codificationis in systema redactae. Tempus est luctae inter Sacerdotium et Imperium [1] et transformationis socialis. Unde apparet in colluctatione et incertitudine jurium necessitas colligendi et in unum redigendi textus juridicos.

Juvat has collectiones, praecipuas saltem, ordine chronologico enumerare.

53. — 1° *Collectio Anselmo dedicata* [2], nimirum dedicata probabilius Anselmo II archiepiscopo mediolanensi (883-897), ex Italia superiore, saec. IX exeuntis, 12 libris constans, late diffusa est ; pendet a *Dyonisio-Hadriana*, a *Pseudo-Isidoro* et a collectione ejusdem saec. IX *Lex Romana canonice compta* ita vocata, eo quod haec jus romanum, maxime justinianum, ad usum ecclesiasticum accommodet [3].

54. — 2° Reginonis, abbatis Prumensis († 915), *libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis* [4]. Haec collectio composita ad modum libri manualis juris synodalis agit primo de clericis, dein de laicis, manifestando luculenter mores et usus temporis. Utitur, inter alios fontes *versione dyonisiana* et *isidoriana* et falsis decretalibus.

55. — 3° *Collectarium* vel *Decretum Burchardi Wormatiensis* episcopi († 1025) [5]. Haec collectio composita verisimiliter inter annos 1008-1012,

---

1. *Libelli de lite imperatorum et pontificum, saeculis XI et XII conscripti,* in *Monumenta Germaniae historica.* Scriptores. 3 vol. 1891-1897 ; FOURNIER, *Les collections canoniques romaines de l'époque de Grégoire VII.* Extr. des *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres,* 1918, t. XLI, in-4°, 131 p.; ejusd. auct., *Un tournant de l'histoire du droit* (1060-1140), extr. de la *Nouv. rev. hist. de dr. fr. et étrang.* Paris, 1917 ; cf. MIRBT, *Die Publizistik im Zeitalter Gregors VII,* Leipzig, 1894 ; HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. V, I, p. 32. Cf. circa theorias politico-religiosas medii aevi SOLMI, *o. c.*, et *Rev. d'hist. ecclés.*, 1904, t. V, p. 573 ss.; CARLYLE, *A History of mediaeval political theory,* 3 vol. Edinburg, 1903-1915 ; SCHMIDLIN, *Die kirchenpolistischen Theorien des 12 Jahrh.* in *Arch. f. kath. Kr.*, 1904, t. LXXXIV, p. 39 ss.

2. Hucusque inedita. Cf. FRIEDBERG, *o. c.*, p. 127, nota (2) ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 146, nota (2): VIOLLET, *o. c.*, p. 60; FOURNIER, *L'origine de la collection « Anselmo dedicata » (Mélanges Girard),* Paris, 1912.

3. CONRAT, *Lex romana canonice compta. Roemisches Recht im frühmittelalterlichen Italien.* Amsterdam, 1909. Cf. MAASSEN, *o. c.*, p. 887-900.

4. Ed. MIGNE, *PL.*, t. CXXXXII, 175 ss.; meliorem editionem curavit WASSERSCHLEBEN, *Reginonis Libri duo,* Lipsiae, 1840. Cf. WAWRK, *De Reginone Prumensi* (Diss.) Bresslau, 1901.

5. Ed. MIGNE, *PL.*, t. CXL. (editio non accurata). Cf. Ed. DIEDERICH, *Das Dekret des Bischofs Burchard von Worms (Beiträge zur Geschichte seiner Quellen)* 1 Teil. Jauer, 1908 ; P. FOURNIER, *Études critiques sur le décret de Burchard de Worms* (*Nouvelle rev. hist. de dr. franç. et étranger,* 1910, Extrait.) Paris, 1910. (Cf. *Archiv für Kath. Kirchenrecht,* 1911, t. XCI. p. 771 ss.), ubi has adducit conclusiones (*o. c.*, p. 142) : « 1° Burchard a disposé ses matériaux d'après un plan inspiré dans une large mesure par l'*Anselmo dedicata,* dans une mesure beaucoup moindre par le recueil de Réginon ; ce plan est d'ailleurs pour une bonne part l'œuvre personnelle de l'évêque de Worms. 2° La liste des sources, placée par Burchard à la suite de sa préface, se distingue par de graves omissions, ou par des indications vagues, tendant à dissimuler absolument certaines sources et à donner à d'autres une importance qui, en réalité, ne leur appartient pas. 3° Burchard, ayant systématiquement éliminé certaines catégories d'*inscriptiones,*

constans 20 libris, ad usum clericorum ministerio inservientium et candidatorum ad statum clericalem, maximum saec. XI habuit influxum in omnes collectiones posteriores, fuitque sparsa in Galliam, Belgium, Angliam, Germaniam et Italiam. Liber XIX « Corrector et Medicus », est Liber Poenitentialis, qui procedit immediate a Burchardo.

Citatur : « Decreta Burchardi » vel « liber Brocardicus. »

56. — 4° *Collectio XII partium,* origine Germanica, saec XI [1].

57. — 5° *Collectio canonum Anselmi junioris episcopi Lucensis* (1073-1085) [2], tredecim libros comprehendens, pendet a *Collectione Anselmo dedicata, a Burchardo ;* hausit etiam documenta ex archivio Vaticano, totaque fere in decretum Gratiani translata est. Multum promovit reformationem gregorianam.

58. — 6° Cardinalis *Deusdedit* dicavit Papae Victori III (1087) collectionem canonum. Ipse etiam documenta deprompsit ex archivio Vaticano, notatim ex registro Gregorii VII [3].

59. — 7° Collectio confecta post 1089 ab Episcopo Sutrino Bonizo [4].

60. — 8° Etiam in Italia prodiit ineunte saeculo duodecimo collectio confecta a *Cardinali Gregorio* (1101-1118), vocata etiam ab ipso auctore *Polycarpus* [5].

61. — 9° In Gallia, praeter collectionem ab *Abbone,* Floriacensis monasterii abbate († a. 1004) confectam [6], specialem mentionem merentur collectiones ab *Yvone Carnutensi Episcopo* († a. 1115 vel 1117) compositae : *Collectio trium partium (Tripartita) ; Decretum,* constans 17 libris,

---

a donné des *inscriptiones* fausses à des canons, dont le nombre dépasse certainement cinq cents ; ainsi est-il responsable d'une foule d'apocryphes lancés par lui dans la circulation, et recueillis par les collections canoniques ultérieures. 4° Non seulement... Burchard paraît avoir fabriqué de toutes pièces quelques chapitres de son *Décret :* il a en outre altéré plus ou moins complètement le texte de beaucoup de chapitres qu'il a puisés à des sources antérieures ». Ejusdem auctoris, *Le Décret de Burchard de Worms. Son caractère, son influence.* Appendice : *Collections canoniques procédant de Burchard,* in *Revue d'histoire ecclésiastique,* 1911, t. XII, p. 451 ss., 670 ss. Auctor sibi proposuit : « de dégager les solutions données par Burchard, dans son *Décret,* aux plus importantes questions d'ordre canonique, qui agitèrent les esprits au XI[e] siècle. »

1. Cf. FOURNIER, ap. *Rev. d'hist. ecclés.,* 1921, t. XVII, p. 31 ss., p. 229 ss.

2. Edit. *Anselmi Ep. collectio canonum una cum collectione minore* ed. THANER. Fasc. 1, Innsbruck, 1906 ; cf. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 147, nota (2).

3. Edit. *Die Kanonessammlung des Kard. Deusdedit.* I Bd. *Die Kanonessammlung selbst,* ed. D[r] V. WOLF VON GLANVELL, Paderborn, 1905. Cf. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 147, nota (3) ; FRIEDBERG, *o. c.,* p. 127 ; HIRSCH, *Die rechtliche Stellung der roemische Kirche und des Papstes nach Kardinal Deusdedit* in *Archiv für kath. Kirchenr.,* 1909, t. LXXXIX, p. 595 ss.

4. Partim edita, ap. MAI, *Nova Patrum bibliotheca,* t. VII, P. III, p. 1 ss. Romae, 1854 ; Cf. FOURNIER, *Les sources canoniques du « Liber de vita christiana » de Bonizo de Sutri.* Extr. de la *Bibliothèque de l'École des Chartes.* Paris, 1918 ; SAEGMUELLER, *l. c.,* p. 148.

5. Nondum edita : SAEGMUELLER, *l. c.,* p. 148, nota (3). — Cf. etiam, P. FOURNIER, *Un groupe de recueils canoniques italiens des X[e] et XI[e] siècles.* Extr. des *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et des Belles-Lettres,* t. XL, 1915, in-4°, 123 p.

6. Edit. MIGNE, *PL.,* t. CXXXIX, 473 ss.

quod nititur duabus prioribus partibus praefatae collectionis ; et *Panormia* 8 libris, quae, a Decreto pendens, a. 1095 concinnata est [1].

62. — 10° In Hispania commemoranda est collectio *Caesaraugustana* [2] *et collectio Tarraconensis* [3].

63. — 11° In Belgio, mentio facienda *Algeri,* scolastici Leodiensis († ca. 1132-1135) [4], qui ante a. 1121, scripsit librum de *Misericordia* et *justitia* [5], tractatum systematicum de disciplina ecclesiastica, cui hausit Gratianus, et a quo methodum suam partim nactus est.

IV. **Collectiones speciales.**

Quaedam addamus de collectionibus versantibus circa speciales materias, maxime practicae indolis et quasi usus quotidiani.

64. — 1° Chronologice et ratione momenti primo veniunt *Libri Poenitentiales.* Sunt libri manuales ad usum sacerdotum administrantium poenitentiam. Determinant regulas pro poenitentia publica adhibendas, maxime vero continent pro confessione privata catalogum poenitentiarum canonicarum pro singulis peccatis infligendarum. Determinati ad limites unius regionis, constituunt documenta attendenda pro historia disciplinae ecclesiasticae et status juridici et moralis populorum. A saeculo sexto ad nonum libri poenitentiales in duplicem familiam dividi possunt : poenitentiales Celtici et Anglo-Saxonici, et poenitentiales Gallo-Germanici. Saeculo nono, damnatis a conciliis pluribus poenitentialibus apocryphis et laxistis, alii plures prodierunt, quorum praecipui sunt : unus ab Haltigaro, episcopo Cameracensi († a. 831), petente Ebbone Remensi episcopo confectus ; duo auctore Rabano Mauro († a. 856) et *Corrector* Burchardi Wormatiensis. A saeculo duodecimo libri poenitentiales facti sunt tractatus methodici et casuistici poenitentiae. Inter quos citandus est tractatus *de poenitentia,* quinque distinctionibus constans, insertus in Decreto Gratiani, quaestione 3 Causae XXXIII [6].

---

1. *Decretum* et *Panormia* edita sunt ap. MIGNE, *PL.*, t. CLXI, 47 ss.; *Tripartita* est adhuc inedita. Quaestiones authenticitatis et dependentiae trium collectionum docte examinavit P. FOURNIER. *Les collections canoniques attribuées à Yves de Chartres,* in *Bibliothèque de l'École des Chartes,* 1896, t. LVII, p. 645 ; 1897, t. LVIII, p. 26 ss., 93 ss., 410 ss. (tiré à part, Paris, 1897) ; ejusdem auctoris, *Yves de Chartres et le droit canonique,* in *Rev. des questions historiques,* 1898, t. LXIII, p. 51 ss., 384 ss. Cf. VIOLLET, *o. c.,* p. 62 ; DE GHELLINCK, *o. c.,* in *Rev. d'hist. ecclés., l. c.,* p. 294 s.

2. Cf. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 148, nota (6) ; WERNZ, *o. c.,* p. 334.

3. WERNZ, *ibid.;* P. FOURNIER, *Le liber Tarraconensis* (*Mélanges* J. Havet.) Paris, 1895, p. 259 ss.

4. Cf. A. DE MEESTER, *Notice sur le canoniste Alger de Liége* (Fédération archéol. et hist. de Belgique. Session XVI. Extrait du Compte rendu.) Bruges, 1903 ; DE GHELLINCK, *o. c.,* p. 299 et passim.; *Séminaire histor. de Louvain,* année 1909-1910, *Annuaire de l'Université cath.,* 1911, p. 409 ss. Louvain, 1911.

5. Edit. MIGNE, *PL.,* t. CLXXX, 857 ss.

6. Bibliographia ap. SAEGMUELLER. *o. c.,* p. 133 ss. Cf. VIOLLET, *o. c.,* p. 49 ss.; MAASSEN, *o. c.,* p. 863-872 ; FRIEDBERG, *o. c.,* p. 125 ; FOURNIER, *Études sur les pénitentiels,* in *Revue d'hist. et de littér. religieuse,* 1901, t. VI, p. 289 ss.; 1902, t. VII, p. 59 ss., 121 ss., 1903, t. VIII, p. 528 ; 1904, t. IX, p. 97 ss. Quoad poenitentiales romanos haec est conclusio hujus auctoris : « Au IX^e^ s., sans doute avec la conquête franque, l'usage des pénitentiels a franchi les monts ; on rencontre alors en Italie des pénitentiels dont les plus anciens sont des transpositions

65. — 2° *Collectiones juris matrimonialis* [1].

66. — 3° *Collectiones rei liturgicae inservientes,* Euchologia, Ordines, Sacramentalia, libri mysteriorum [2].

67. — 4° Libri, quibus « formulae » pro epistolis redigendis et negotiis expediendis traduntur. Hujusmodi est *Liber Diurnus,* qui fuit liber formularum Cancellariae Apostolicae. Ortum habuit saec. VII ; continet autem formulas saeculi quinti et sexti et usque ad Gregorium VII in usu fuit [3].

68. — 5° *Ordines judiciorum,* seu procedurae ecclesiastici fori [4]. Sed hi potius spectant ad aetatem post-gratianam.

69. — V. **Collectiones juris civilis.**

1° E collectionibus *juris romani* [5], commemorandus est : a) *Codex Theodosianus* [6]. Haec collectio authentica, promulgata in imperio occidentali a. 438, comprehendit constitutiones imperiales a Constantino magno ad Theodosium II ; divisaque est in 16 libros, in titulos cum suis rubricis distributos. Adjunctae fuerunt codici 18 constitutiones *Novellae* [7].

Exstincto imperio occidentali (a. 476), jus theodosianum vigere non cessavit. Transivit in speciales collectiones quas dominatores germani pro Ecclesia et subditis suis romanis adornaverunt [8], et quoad plura assumptum est in ipsas leges *Barbarorum* [9]. b) Celebriores sunt collectiones Justiniani I (527-565) [10]. Tres habentur authenticae : *Pandectae* seu

---

de pénitentiels francs, tandis que les plus modernes ajoutent à l'élément franc des matériaux spéciaux aux recueils de la péninsule », *l. c.*, t. IX, p. 104. — Cf. etiam *Zeitschr. der Sav. Stift. Kan. Abt.* 1912, t. II, p. 111 ss.

1. WERNZ, *o. c.*, p. 335 ; t. IV, *Jus Matrimoniale* [2], p. I, n° 11. Romae, 1911 ; MAASSEN, *o. c.*, p. 972.

2. WERNZ, *o. c.*, t. I, p. 336 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 135 ss.; *Séminaire hist. de Louvain,* 1910-1911, *Rapport,* p. 414 ss., in *Annuaire de l'Université,* 1912, p. 414 ss.; *Monumenta Ecclesiae liturgica,* t. I. Sectio I. *Reliquiae liturgicae vetustissimae,* 1900-1902 ; t. V. *Liber Ordinum,* 1904 ; t. VI. *Liber mozarabicus,* 1912. Paris. Cf. CABROL, *Introduction aux études liturgiques,* Paris, 1907. Cf. CALLEWAERT, *Institutiones liturgicae,* p. 56 ss., n° 65 ss. Vide hujus operis *Indicem alphabeticum personarum et rerum.*

3. SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 134 s.

4. WERNZ, *o. c.*, p. 337 ; V. SCHERER, p. 206.

5. Cf. LAURIN, *Introductio in corpus juris.* Appendix. *Brevis introductio in corpus juris civilis romani,* p. 235 ss. Friburgi-Br., 1889 ; KRUEGER [2], *Geschichte der Quellen und Literatur des Roemischen Rechts,* München, 1912 ; GOETZ, *Das Wiederaufleben des Roemischen Rechtes in 12 Jahrh.*, in *Arch. f. Kulturgeschichte,* 1912-1913, t. X, p. 125 ss. ; VIOLLET, *o. c.*, p. 9 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 338 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 136 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 20. Cf. supra, n. 27.

6. Melior editio : *Codex theodosianus,* ed. G. HAENEL. (*Corpus juris romani antejustiniani,* t. II). Bonnae, 1841 ss. Melior modus citandi hunc codicem est : L. (lex) un. Cod. Theod. *de respons. prudentum* I, 4, h. e. liber I, titulus 4. — C. (constitutio) 1. Cod. Theod. *Ne sacrum baptisma iteretur,* XVI, 6.

7. Cf. *Novellae constitutiones Imperatorum Theodosii II, Valentiniani III, Maximi, Majoriani, Severi, Anthemii, XVIII Constitutiones,* quas Jacobus Sirmondus divulgavit, ed. G. HAENEL, (*Corpus juris rom. ante-justin.*, t. II). Bonnae 1844.

8. Qui codices *Lex Romana* vocabantur. Ita *Lex romana Visigothorum* seu *Breviarium Alaricum* a. 506 publicata (ed. G. HAENEL, Lipsiae, 1849 ; M. CONRAT (COHN), 1908) ; *Lex Romana Burgundiorum.* Cf. LAURIN, *o. c.*, p. 266.

9. Pleraeque editae sunt critice, in *Mon. Germ. Hist.* Leges.

10. *Corpus juris civilis.* Ed. stereotypa XI recogn. K. KRUEGER, recogn. Th. MOMMSEN, retract. P. KRUEGER, Berlin, 1911.

Digesta ; Institutiones[1] et *Codex novus*. Quibus accesserunt *Novellae* tum justinianae tum postjustinianae privata auctoritate collectae. Hae omnes collectiones *Corpus juris civilis*[2] conficiunt.

2° Jam mentionem fecimus legum populorum Germanicorum : legis salicae, ribuariae, Saxonum[3], etc. In foro ecclesiastico magnam auctoritatem consecuta sunt *Capitularia* regum Francorum[4].

§ 2. DE CORPORE JURIS CANONICI.

70. — I. **Nomen.** Sub voce *Corpus Juris canonici*, vi litterarum Papae Gregorii XIII *Cum pro munere pastorali* 1 Jul. 1580, intelligendae sunt sequentes collectiones : 1. *Decretum Gratiani ;* 2. *Decretales Gregorii Papae IX ;* 3. *Liber sextus Decretalium Bonifacii Papae VIII ;* 4. *Clementinae ;* 5. *Viginti Extravagantes Joannis Papae XXII*, et 6. *Extravagantes communes*. Ille nimirum Pontifex, postquam in cit. Brevi singillatim enumeravit supra dictas collectiones, eas simul sumptas appellat *Juris canonici Corpus*[5]. Attamen nonnisi saeculo XVII praefatae collectiones sub communi titulo *Corpus juris canonici* quinque tomis et tribus voluminibus imprimi et singula haec volumina tamquam *partes* Corporis juris canonici designari consueverunt[6]. Horum voluminum primum exhibet Decretum Gratiani, secundum Decretales Gregorii IX, et tertium reliquas collectiones.

71. — II. **Editiones.** Editiones absque glossa[7] saepe duobus tantum voluminibus constant. Plerumque Corpori juris plures appendices addi

---

1. Justiniani institutiones recensuit P. KRUEGER, 3 ed., Berlin, 1908.

2. Citantur : *Digesta*. l. (vel fr.) 4, § 2. (pr.) D. (vel P vel ff) I, 5. = lex (vel fragmentum) 4, paragraphus 2 (litterae pr significant particulam fragmenti quae praecedit paragraphum primam) Digestorum (vel Pandectarum), lib. I, tit. 5. — *Institutiones*. § 1. I, 1, 11. = paragraphus 1 Institutionum, lib. I, tit. 11. — *Codex*. l. 7, § 1. C. I, 23, = lex 7, paragraphus 1 Codicis, lib. I, tit. 23. — *Novellae*. Nov. VII, praef. aut Nov. VII, cap. 1.

3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 340 ss. Cf. BRUNNER, *Deutsche Rechtsgeschichte*, Bd. I², 1906, Bd. II, 1892. Leipzig ; ejusdem auctoris, *Grundzüge der Deutschen Rechtsgeschichte*, Leipzig, 1910 ; SCHROEDER, *Lehrb. der deutschen Rechtsgeschichte*⁶, T. I. Leipzig, 1919 ; LOENING, *Geschichte des deutschen Kirchenrechtes*, 2. Bde. Strassburg, 1878.

4. *Capitularia regum francorum* ed. BORETIUS et KRAUSE. (*Mon. Germ. hist.* Leges) Hannoverae, 1897 ss.

5. Voces *Corpus juris canonici* pro variis temporibus varias habuerunt significationes. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 374 s.

6. LAURIN, *o. c.*, p. 225.

7. Uti magistri juris romani Bononienses jam initio saec. XII fecerunt in explicandis collectionibus juris romani, ita etiam magistri theologiae Bononienses, aliique dein doctores in variis regionibus fecerunt pro Decreto Gratiani et aliis collectionibus juris canonici. Illi in suo quisque exemplari vocibus difficilioribus parvas notulas explicativas adscribebant, ut penes textum collectionis conservarentur et exscriberentur. Illae explicationes *glossae* vel *glossulae* dictae sunt. Quae primum *interlineales*, dein factae sunt *marginales*, et ex eo, e nudis expli-

solent notatim sic dictus *Liber septimus decretalium Petri Matthaei* († a. 1621) [1], et *Institutiones Joannis Pauli Lancelotti* († a. 1590) [2].

Non exiguam laudem merentur *Correctores Romani* [3], quibus a. 1556, a Pio IV commissum fuit novam parare editionem textus Corporis juris canonici cum glossis, ut ea quae falsa et corrupta erant, sive ipsa a Gratiano sive ab aliis provenissent, corrigerent, et quae obscura erant elucidarent, *ad usum forensem et studiorum.* Prodiit ab iis curata *Editio Romana glossata,* a. 1582, sub Gregorio XIII. Cujus textus obligatorius, non mutata collectionum natura, declaratus est, quin tamen prohiberentur in foro correctiones ulteriores auctoritatis ecclesiasticae judicio probandae [4].

Inter *editiones* [5] Corporis juris canonici *glossatas* novissima est Lugdunensis a. 1671. 3 vol. in fol., cum communi titulo : *Corpus juris canonici ;* inter *non glossatas* saepe citatur Corpus juris canonici, Coloniae Munatianae, 1773, 2 vol. in-4°. Recentius, ad editiones textum Gregorii XIII exhibentes, accesserunt editiones criticae absque glossa, ita cura Richter, Lipsiae, 1839, 2 tom. in-4°, et praeprimis cura Friedberg, Lipsiae, 1879-1881, 2 tom. in-4°, qui, magno apparatu scientifico textum originalem Gratiani et Decretalium restituere conatus est.

Pauca, pro scopo nostro, de singulis collectionibus Corporis dicemus.

A. DECRETUM GRATIANI.

Auctores. SCHULTE, *Geschichte der Quellen und Literatur des Canonischen Kirchenrechts,* I, p. 46 ss.; FRIEDBERG, *Corpus jur. can. Prolegomena,* p. IX ss.; LAURIN, *o. c.,* p. 5 ss.; SCALA, *Saggio storico critico sul Corpo del Diritto canonico,* p. 1 ss. Napoli 1904 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 149 ; P. FOURNIER, *Deux controverses sur les origines du décret de Gratien. (Rev. d'hist. et de littér. religieuse,* 1898, t. III, Extrait), Macon, 1898 ; MOCCI, *Nota storica giuridica sul decreto di Graziano,* Sassari, 1904 ; F. POMETTI, *Il decretum di Graziano nei suoi precedenti storici e nelle sue conseguenze storico-ecclesiastiche. Contributo alla storia della Chiesa.* Corigliano Calabro, 1910 ; DE GHELLINCK, *art. cit.;* DEBIL, *La première distinction du « De paenitentia » de Gratien,* in *Rev. d'hist. ecclés.,* 1914, t. XV, p. 251 ss., 442 ss. ; GILLMANN, *Ueber die Abfassungszeit der Dekretglosse*

---

cationibus *verborum* etiam expositiones *rerum* evaserunt. Apparatus glossarum a variis auctoribus adornatus, in communem usum inductus nomen obtinuit *glossae ordinariae.* Singulorum glossatorum glossae gerunt *siglas,* v. gr. Rufini glossae siglatae sunt R. etc. Cf. LAURIN, *o. c.,* p. 51 ss. et passim.

1. Edit. Fr. SENTIS, *Clementis Papae VIII Decretales quae vulgo nuncupantur Liber Septimus Decretalium Clementis VIII,* Friburgi-Br., 1870 ; Cf. *Bibliothèque de l'École des Chartes,* 1911, t. LXXII, p. 221-222, circa tempus additionis Libri septimi Corpori juris canonici ; LAURIN, *o. c.,* p. 227.

2. LAURIN, *ibid.,* p. 227 s. Alia additamenta facta sunt Corpori juris, ita canones apostolorum ; cf. LAURIN, *ibid.*

3. LAURIN, *o. c.,* p. 63 ss. Potest vocari opus eorum correctio *juridica* potius quam *critica.*

4. Cf. LAURIN, *o. c.,* p. 68 s. ; HEINER, *o. c.,* p. 81. De parte quam habuit Universitas studiorum Lovaniensis huic correctioni, cf. *Annuaire de l'Université catholique de Louvain,* 1862.

5. Enumerat LAURIN, *o. c.,* p. 230 ss., 27 editiones glossatas et 26 absque glossis.

des Clem. 10244, in *Arch. f. kath. Kr.*, 1913, t. XCIII, p. 448 ss.; R. SOHM, *Das altkatholische Kirchenrecht und das Dekret Gratians*, München, 1918 ; *Diction. de théol. cath.* v° *Gratien*.

72. — Finito dissidio de Investituris, paceque regnante inter Pontifices et Imperatores, aetas fecunda scientiae ecclesiasticae restituta est. Florent Bononiae studia prius juris romani, dein juris utriusque. Exordium est theologiae scolasticae. Ex alia parte, ingens materia legum in multiplicibus collectionibus dispersa ; confusa juxtapositio legum antiquarum et novarum, authenticarum et spuriarum, universalium et particularium, ecclesiasticarum et civilium ; demum abusus in allegandis auctoritatibus discordantibus effecerunt ut necessaria esset nova collectio in qua obviaretur dispersioni et contrarietati legum. Quoad methodum conciliationis tunc temporis adhibitae praecipuum influxum habuit Abelardus [1].

73. — I. **Auctor** hujus operis fuit *Gratianus*, monachus Camaldulensis monasterii S. Felicis et Naboris Bononiae, qui circa medium saeculum XII ibidem ut magister theologiae floruit. Videns Gratianus collectiones juris canonici suo tempore existentes haud plene satisfacere indigentiis illius aevi, et praesertim fori ecclesiastici, tum quia erant *incompletae et parum apte dispositae*, tum praesertim quia referebant plurimas auctoritates, quae saltem videbantur sibi invicem *contrariae*, ipse novum opus canonisticum adornandum suscepit, quo sategit canones recentiores referre, auctoritates secum invicem conciliare et apto ordine reali disponere, ut ita provideret usui practico, praesertim judicum ecclesiasticorum.

74. — II. **Opus Gratiani.** 1° *Indoles generalis et aetas*. Non est mera collectio canonum, sed tractatus canonisticus, juxta methodum scolasticam hujus temporis adornatus. Ipse auctor statuit *distinctiones* seu propositiones generales ; fingit *causas* seu casus juridicos ; ponit quaestiones. Ad harum probationes aut solutiones affert auctoritates, inter quas miscet explicationes quibus contrarietati canonum, ratione significationis, loci, temporis, dispensationis mederi cupit, vel quibus transitio operatur. Hae explicationes vocantur *paragraphi* seu *dicta Gratiani*. Dictis Gratiani, latiori sensu, etiam enumerantur enunciationes distinctionum, causarum et quaestionum, summaria, rubricae et inscriptiones canonum et capitum [2].

Opus suum Gratianus adornavit Bononiae inter a 1139-1150, probabilius circa a. 1140 [3] ; quem vero titulum ei praefixerit, non certo constat : *Concordia discordantium canonum* vel simpliciter *Decreta* ; nunc communiter appellatur *Decretum Gratiani* [4].

75. — 2° *Auctoritates* [5], quas Gratianus ad probationem distinctionum

---

1. THANER, *Abälard und das Kanonische Recht*, Graz. 1900 ; DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique au XII^e siècle*, in quo studio valde accurate exponit auctor relationes mutuas, quoad materiam et methodum, juris canonici et theologiae.
2. SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 150.
3. *Ibid.*, p. 149, nota (2) ; FOURNIER, *o. c.*
4. LAURIN, *o. c.*, p. 10 ss.; 21 ss.; *Zeitschr. der Sav. Stift. Kan. Abt.*, 1912, t. II, p. 336.
5. LAURIN, *o. c.*, p. 14 ss.; FRIEDBERG, *o. c.*, p. XIX ss.

et solutionem causarum et quaestionum adducit, sunt partim *sacrae* seu ecclesiasticae, partim *saeculares,* et tantum raro ex fontibus originalibus desumptae. Ad priores pertinent loci S. Scripturae, sic dicti canones Apostolorum juxta versionem latinam Dionysii Exigui (vide *supra),* canones synodorum generalium et particularium, constitutiones pontificiae et praesertim decretales (epistolae), loci excerpti e diversis libris officialibus, ut sunt ordo Romanus, Liber diurnus RR. PP., Capitula Martini Braccarensis et diversi libri Poenitentiales, denique textus SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum ; ad posteriores vero pertinent prae caeteris constitutiones juris civilis, tum romani, tum germanici, et quidem praesertim Capitularia regum Francorum.

76. — 3° *Divisio operis.*

a) *Prima pars* in cujus initio exhibentur notio, species et origo juris generatim, et juris canonici speciatim (20 distinctiones), agit de personis et muneribus ecclesiasticis, habetque 101 *distinctiones* divisas in *canones* seu capita. Citatur haec pars indicando canonem et distinctionem, v. gr. c. 4, D. 28 : canon 4, Distinctionis 28.

b) *Secunda pars* continet 36 *causas* seu casus juridicos, in quibus agitur de materia et forma judiciorum. Causae dividuntur in *quaestiones* positas ad causae solutionem, et hae in *canones* seu capita. In citanda hac parte allegatur numerus canonis, causae et quaestionis, v. gr. c. 3, C. V, q. 2 = canon 3, Causae V, quaestionis 2. Causae XXXIII quaestio 3 continet tractatum de *poenitentia,* in septem distinctiones divisum, quae subdivisae sunt in canones ; quare in hujus citatione semper additur *De poenit.,* e. g. c. 8, D. 4 de poenit. = canon 8, Distinctionis 4, de poenitentia.

c) *Tertia pars,* quae inscribitur *De consecratione,* agit de rebus sacris, et constat 5 *distinctionibus* in *canones* subdivisis. Citantur canones quemadmodum canones partis primae, a quibus ut discernantur, addi solet *De consecratione,* v. g. c. 2, D. 3 de consecr. = canon 2, Distinctionis 3, de consecratione.

Decretum quale e manibus Gratiani prodiit non habebat eumdem ambitum quem nunc habet. Notatim canonibus adjuncta fuerunt ab interpretibus loca parallela plura et ab exscribentibus in textum assumpta. Quae additamenta vocata sunt paleae, verisimiliter ab abbreviatione (sigla) nominis *Paucapalea,* discipuli Gratiani qui primus fertur illas additiones apposuisse [1].

77. — 4° *Auctoritas Decreti.*

a) De *auctoritate legali* Decreti quidquid dicant Bouix [2] et alii canonistae, variis innixi argumentis, communiter tenetur doctrina Benedicti XIV. « Gratiani *Decretum,* quantumvis pluries RR. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet ;

1. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 151 ; MOCCI, *Documenta inedita sul canonista Paucapalea.* Turino, 1905 ; GILLMANN, *Paucapalea et paleae bei Huguccio,* in *Arch. für Kath. Kirchenr.,* 1908, t. LXXXVIII, p. 466 ss.

2. *De principiis jur. can.,* p. 388.

quinimo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret [1]. » Quare, soli et singuli canones, textusque juridici hanc vim habent, quam ex suo fonte merentur, si illi accurate respondere deprehendantur ; caetera omnia, dicta et summaria ipsius Gratiani, rubricae et inscriptiones valent tantummodo ut assertiones hominis privati [2].

Aliqua tamen, sed pauca, Decreti documenta vim majorem ea, quam ex fonte originario habebant, partim ex auctoritate RR. PP. et Conciliorum generalium, partim ex consuetudine universali obtinuerunt. Contra quaedam abrogata vel reprobata fuerunt.

b) *Auctoritas doctrinalis.*

Decretum Gratiani propter indolem scientificum et practicum nactum est aestimationem apud viros eruditos, ita ut mox praeberet textum quem in scholis praelegebant doctores seu *Decretistae* [3]. Hi tradebant auditoribus dispositionem seu *summam* loci explicandi, textum seu *litteram* legebant ex eoque *regulam canonicam, regulam juris* seu *brocardicon* vel *brocardon* (a Burchardo Wormatiensi) ducebant [4]. Plura opera litteraria, e praelectionibus super Decreto habitis deinceps enata sunt, inter quae summae decreti, distinctiones decreti, quaestiones decreti, brocarda, casus decreti enumerantur [5]. Praeterea Decretum glossis illustratum est [6]. *Glossa ordinaria* a Joanne Teutonico († a. 1245-1246) confecta est et a Bartholomaeo Brixiensi († 1258) in melius reformata [7].

78. — 5° *Editiones.* Decretum, eo quod multis erroribus scatet, pluries emendatum est, tum auctoritate publica a correctoribus Romanis [8], tum privato labore. Criticas editiones paraverunt, inter alios, Berardus (Augustae Taurin., 1752-1757), fratres Pitthou (Parisiis, 1685); Boehmer (Halae, 1747) ; Richter (Lipsiae 1839) ; postremo Friedberg (Lipsiae, 1879-1881) [9].

---

1. *De Synodo dioecesano*, l. VII, c. XV, 6.
2. WERNZ, *o. c.*, p. 348 ; LAURIN, *o. c.*, p. 74. De Correctorum Romanorum opere et intento cf. supra ; FRIEDBERG, *o. c.*, p. LXXVI ss.; LAURIN, *o. c.*, p. 63 ; SCALA, p. 29 ss.; *Collat. Brug.*, 1908, t. XIII, p. 178.
3. LAURIN, *o. c.*, p. 78 ss.
4. *Ibid.*, p. 46 ss.
5. *Ibid.*, p. 49 ss.; SCHULTE, *o. c.*, p. 109 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 152 ubi enumerantur Decretistae praecipui, cum annotatione *editionum* criticarum eorum operum.
6. Cf. LEICHT, *Per la storia della glossa al decreto di Graziano.* Udine 1905 (cf. *Nouv. rev. hist. de dr. franç. et étrang.*, 1906, t. XXXI, p. 67-107) ; GILLMANN, *Die Abfassungszeit des Dekretglosses des Clm. 10244,* in *Arch. für kath. Kirchenr.*, 1912, t. XCII, p. 201-225. Hic auctor parat editionem criticam summae Huguccionis († 1210).
7. SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 152 ; LAURIN, *o. c.*, p. 54.
8. De parte quam habuit Universitas studiorum Lovaniensis correctioni Decreti Gratiani, cf. *Annuaire de l'Université,* 1862.
9. LAURIN, *o. c.*, p. 56 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 152 s.

B. COMPILATIONES ANTIQUAE.

Editio. E. FRIEDBERG. *Quinque compilationes antiquae necnon collectio Lipsiensis*, Lipsiae, 1882.

Auctores. SCHULTE, *o. c.*, t. I, p. 76 ss.; LAURIN, *o. c.*, p. 88 ss.; FRIEDBERG, *Die Kanones-Sammlungen zwisschen Gratian und Bernard von Pavia*, Leipzig, 1897 ; WERNZ, *o. c.*, p. 350 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 153, ubi ulterior bibliographia invenitur.

79. — Completo Decreto Gratiani, legislatio ecclesiastica maxime evoluta est regnantibus Alexandro III et Innocentio III, qui celeberrimis Ecclesiae legislatoribus adnumerandi sunt. Sub quibus duo concilia oecumenica, Lateranense III et IV, celebrata sunt. Ex quo novae collectiones necessario erant exornandae, praesertim quod extra corpus Gratiani vagabantur plures antiquiores sanctiones et Pontificum decretales.

Has inter collectiones citandae veniunt praeprimis *Quinque compilationes antiquae.*

1° Prima est *Breviarium extravagantium* Bernardi Papiensis[1], confecta inter annos 1187 et 1191. Eo praesertim commemoranda est, quod Bernardus illam divisionem in quinque libros (Judex, judicium, clerus, connubia, crimen), titulos cum suis rubricis, capita ordine chronologico disposita primus adhibuerit. Postea fuit haec divisio, quoad substantiam saltem, semper retenta. Praeter documenta a Gratiano praetermissa, continet decretales usque ad Clementem III (1178-1191). Est collectio privata.

2° Compilatio vulgo secunda, quia continet decretales Clementis III et Celestini III (1191-1192). est ordine temporis tertia, confecta a Joanne Gallensi seu Wallensi inter annos 1210 et 1215. Est etiam collectio privata.

3° Compilatio tertia a Petro Collivicino, patria Beneventano, jubente Innocentio III cujus notarius erat, adornata est et anno 1210 auctoritate pontificia approbata et transmissa universitati Bononiae, ut adhiberetur *tam in judiciis quam in scholis*. Est primum exemplum *collectionis publicae*. Continet Decretales Innocentii III ab a. 1198 ad a. 1210.

4° Compilatio quarta auctoris incerti, circa 1220 confecta, continet Decretales Innocentii III ab a. 1210 ad a. 1216 et canones Concilii Lateranensis IV (1215). Haud sine solido fundamento *authentica* dici potest[2].

5° Demum quinta est decretalium Honorii III. Ab illo pontifice fuit a. 1226 approbata et Universitatibus transmissa ut tam in judiciis quam in scholis reciperetur. Inde nacta est auctoritatem collectionis publicae.

---

1. Quo consilio et ordine processerit in hac compilatione facienda explicat ipse Papiensis in sua *Summa*, quam edidit LASPEYRES, Ratisbonae, 1860. Cf. SINGER, *Neue Beiträge über die Dekretalensammlungen vor und nach Bernhard von Pavia*, Wien, 1914.

2. WERNZ, *o. c.*, p. 352 s.

C. DECRETALES GREGORII IX.

Editio. V. supra : editiones *Corporis Juris canonici*, n. 71.
Auctores. SCHULTE, *o. c.*, t. II, p. 3 ss.; FRIEDBERG, *Prolegomena ad edit. Corporis Jur. can.*, p. X ss.; LAURIN, *o. c.*, p. 126 ; WERNZ, *o. c.*, p. 354 ss.; *Collat. Brug.*, 1908, t. XIII, p. 199 ss.

80. — Gregorius IX Pontifex renuntiatus a. 1227, ex quinque illis celebrioribus Decretalium collectionibus seu compilationibus quae a Decreto Gratiani prodierunt, aliisque novis constitutionibus, ad vitandam dispersionem et contrarietatem Decretalium [1], confici jussit collectionem novam, quam vulgari nomine *Decretales Gregorii IX* vocamus. Usus est hac in re opera S. Raymundi de Peñafort [2], Praepositi ordinis S. Dominici, viri pietate et multiplici eruditione praestantissimi. Promulgata est nova collectio Const. *Rex Pacificus*, 5 sept. 1234.

81. — I. *Fontes et divisio.* Haec collectio continet non tantum decretales RR. Pontificum a Gregorio I ad Gregorium IX, sed etiam loca quaedam S. Scripturae, unum e canonibus qui dicuntur Apostolorum, decreta conciliorum generalium (usque ad Lateranense IV) et particularium, quaedam ex SS. Patrum aliorumque auctorum operibus desumpta, imo textus ex se spurios, v. gr. capita Pseudo-Isidori. Decretales integre non recepit S. Raymundus, sed *narrationes* (speciem facti) ad brevem formam reduxit, indicando partem decisam verbis *et infra* [3], at ipsam *decisionem* seu partem dispositivam collectioni inseruit [4].

Totum opus complectitur quinque libros, quorum 1[s] agit de judicibus, seu praelatis Ecclesiae ; 2[s] de judiciis ; 3[s] de rebus sacris ; 4[s] de sponsalibus et matrimonio ; 5[s] de criminibus et poenis ; quae omnia hoc versu indicantur :

Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.

Singuli libri dividuntur in titulos, tituli in capita. Hodie citantur ponendo numerum capitis, libri et tituli, addita vel non materia tituli ad quam caput pertinet v. gr. c. 5, X, III, 5 vel c. 5, X, de praeb. III, 5 = caput 5 Decretalium (X = extra Decretum Gratiani vagantium), liber III, titulus 5 de praebendis.

82. — 2° *Auctoritas.* Hanc collectionem Gregorius IX sua auctoritate suprema communivit et rite publicavit Const. cit. *Rex pacificus.* Inde habenda est ut *collectio authentica*, cujus omnes partes dispositivae, vi et ex momento insertionis et publicationis, ut leges universales habendae sunt. Habet praeterea valorem *exclusivae compilationis*, cujus

---

1. HERGENROETHER-HOLLWECK, *o. c.*, p. 185, nota (3) ; WERNZ, *o. c.*, p. 354.
2. SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 155, nota (1), bibliographia.
3. Haec omissio partis decisae est defectus praecipuus collectionis, cui mederi conati sunt editores recentiores. Cf. SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 156.
4. LAURENTIUS, *o. c.*, p. 24.

publicatione abrogatae fuerunt omnes compilationes anteriores post Gratianum factae. Non vero sublatae sunt omnes *leges* anteriores ; nisi fuerint generales et Decretalibus Gregorii IX contrariae [1].

D. SEXTUS DECRETALIUM BONIFACII VIII.

Auctores. SCHULTE, *o. c.*, t. II, p. 25 ss.; FRIEDBERG, *o. c.*, col. XLIX ; LAURIN, *o. c.*, p. 165 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 156 s.; WERNZ, *o. c.*, p. 359.

83. — Publicatis post Decretales Gregorii IX pluribus collectionibus authenticis, cui accesserunt, multae compilationes privatae Decretalium, Bonifacius VIII (1294-1303), accedens postulatis Universitatis Bononiensis et doctorum virorum, novae *Collectionis authenticae* factus est auctor, quam promulgavit Const. *Sacrosanctae,* 3 martii 1298.

1° *Compositio.* Quae collectio dicta est *Liber Sextus Decretalium* quia accessit libris quinque Decretalium Gregorii IX ; continet tum canones utriusque Concilii oecumenici Lugdunensis, tum Decretales datas a Gregorio IX aliisque Pontificibus et ab ipso Bonifacio VIII. Continet etiam 88 regulas juris ex jure romano collectas.

Dividitur hoc opus sicut *Decretales Gregorii IX,* in quinque libros atque in singulis libris idem titulorum ordo servatur ; eodem modo citatur, nisi quod addatur post caput : in VI, v. gr., c. 1 in VI, I, 6 vel c. 1 in VI, de elect. I, 6 = caput 1 in sexto libro Decretalium, Liber I, titulus 6 de electione et electi potestate.

2° *Auctoritas.* Haec collectio ut gregoriana habet valorem *collectionis authenticae.* Praeterea, est exclusiva omnium Decretalium a praedecessoribus Bonifacii VIII inde a publicatis Decretalibus Gregorii IX editarum (1234-1294), nisi in Libro VI fuerint insertae aut specialiter reservatae [2]. *Regulis juris* idem valor legalis competit [3].

E. CLEMENTINAE.

Auctores. SCHULTE, *o.* et *l. c.*, p. 15 ; FRIEDBERG, *o. c.*, col. LVII ss. ; LAURIN, *o. c.*, p. 196 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 158 ; WERNZ, *o. c.*, p. 361.

84. — Publicato Libro sexto mox aliae prodierunt decretales et constitutiones pontificiae, tum Bonifacii VIII, tum ejus successorum. Inter quos Clemens V plures constitutiones, quas vel ante — vel in — vel post Concilium Viennense ediderat, in unum redactas publicavit a. 1314 ; quum autem in hac collectione graves defectus deprehendisset, eam corrigi jussit,

---

1. WERNZ, *o. c.*, p. 356 ; *Collat. Brug., l. c.*, p. 179 s.
2. Cf. c. 20 in VI, de haeret. = v, 2; c. 1, § nos igitur in VI, I, 7 etc. Cf. LAURIN, *o. c.*, p. 185 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 360 ; *Collat. Brugen., l. c.*, p. 180 s.
3. Cf. v. SCHERER, *o. c.*, t. I, p. 252 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 158 ; cf. tamen SCHULTE, *o. c.*, p. II, p. 44 ; WERNZ, *o. c.*, p. 361.

sed antequam absoluta esset correctio ipse obiit. Collectionem emendatam in lucem protulit Joannes XXII, Avenione residens, anno 1317, bulla *Quoniam nulla,* 25 octobris 1317 [1].

1° *Compositio.* In hac etiam collectione ordo Decretalium Gregorii IX servatus est, ejusque canones eodem modo citantur cum additamento *Clementinarum :* nimirum c. 1, in Clemen. de rescr. I, 2 = caput 1 in Clementinis constitutionibus, liber I, titulus 2 de rescriptis.

2° *Auctoritas.* Est collectio constitutionum *publica,* at non *exclusiva,* scilicet per illam non abrogantur constitutiones extravagantes, quae a pontificatu Bonifacii publicatae (1294-1314) in hanc collectionem receptae non fuerunt [2].

F. EXTRAVAGANTES.

Auctores. SCHULTE, *o.* et *l. c.,* p. 50 ss.; FRIEDBERG, *o. c.,* col. LXIV ss.; LAURIN, *o. c.,* p. 208 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 159 ; WERNZ, *o. c.,* p. 363.

85. — Quod si jam ipso tempore publicationis Clementinarum vi exclusiva carentium, plures exstiterunt Extravagantes vi legali praeditae, ipsarum numerus postea multo magis auctus est. Hae, auctoritate privata, vel authenticis collectionibus fuerunt annexae, vel seorsim in *collectiones* redactae. Quarum collectionum una fuit *viginti Extravagantium Joannis XXII,* chronologice disposita et glossata a. 1325 a Zenzelino de Cassanis. Alia fuit *extravagantium* quae *communes* vocabantur, utpote quae communiter occurrebant in codicibus et editionibus collectionum juris ecclesiastici, et quae continet plurium Pontificum constitutiones, inde a Bonifacio VIII (1294-1303) usque ad Sixtum IV (1471-1484). Joannes Chappuis editioni corporis juris canonici, a. 1500 Parisiis adornatae, has duas collectiones ordine systematico dispositas inseruit. Ex quo tempore istae Extravagantes constanter in editionibus corporis juris juxta ordinem a Chappuis introductum retineri solent.

1° *Compositio.* Extravagantes Joannis XXII unico libro, in 14 titulos distributo, absolvuntur, et sic allegantur : c. 2, Extrav. Joann. XXII (vel Xvag. Jo. XXII), de concess. praeb. IV = caput 2 Extravagantium Joannis XXII, titulus IV, de concessione praebendarum.

Extravagantes vero communes quinque libros habent cum suis titulis et capitibus, excepto libro quarto, qui ob defectum materiae *vacat.* Citantur : c. 1, Extrav. comm. (vel Xvag. co.) de M. et O. I, 8 = caput 1 Extravagantium communium, liber I, titulus 8 de majoritate et obedientia.

2° *Auctoritas.* Utraque collectio est privata, non vero authentica. Neque etiam asseri potest singulas *Extravagantes* ex sese habere vim legum universalium, quamvis multae usque nunc retinuerint valorem universalem atque gravissimi sint momenti [3].

---

1. LAURIN, *o. c.,* p. 196 s.
2. WERNZ, *o. c.,* p. 362.
3. *Ibid.,* p. 364 ; *Collat Brug., l. c.,* p. 181 s.

G. RUBRICAE, SUPERSCRIPTIONES, SUMMARIA, GLOSSAE ET NOTAE.

86. — *Nota.* Hic agitur tantum de collectionibus authenticis Gregorii IX, Bonifacii VIII et Clementis V. In decreto Gratiani et in Extravagantibus, rubricae, inscriptiones, summaria etc., sunt tantum additamenta hominis privati.

1. *Rubricae* sunt inscriptiones materiam titulorum indicantes ; sic dictae quia olim litteris rubris exprimebantur.

Bifariam dividuntur, videlicet in *praeceptivas* et *non praeceptivas.* a) Praeceptivae dicuntur, quae sensum perfectum habent ; v. g. *Ne sede vacante aliquid innovetur. — Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.* Hujusmodi rubricae juxta plures allegari possunt *dispositive ;* hoc est, vim legis habent utpote quae a legislatore profectae, vel confirmatae sunt ; unde valet argumentum *a rubro ad nigrum,* id est, ex praefixa rubrica ad textum canonis non satis perspicuum, desumitur utile argumentum et interpretatio ad decisionem causarum. Hinc etiam affatum commune apud auctores liturgicos : *Lege rubrum, si vis intelligere nigrum.* b) Rubricae non praeceptivae vocantur, quae perfectum sensum non habent, v. g. *De constitutionibus, De testamentis.* Istae tamquam leges haberi nequeunt ; attamen allegari possunt *declarative,* quatenus declarando canoni omnino inserviunt, si verba ejusdem canonis ambigua sint [1].

2. *Superscriptiones* seu inscriptiones historicae capitum sunt illa verba, quae indicant ex quo auctore textus capitalis desumptus sit, vel ad quem directus. Etsi dici debeant authenticae, tamen argumenta peremptoria in jure non suppeditant, quamvis possint existere subsidia interpretationis capitum [2].

3. *Summaria,* sic dicta a *summa,* sunt breves illae periodi, quibus canones, sub titulis seu rubricis inclusi, velut in compendio exponuntur, eorumque sententiae sub uno veluti aspectu ponuntur. Haec summaria, licet maximo in pretio sint habenda, et canonibus interpretandis valde prosint, vi tamen legis carent, cum non sint a legislatore appositae aut approbatae, sed postea ab editoribus additae.

4. *Glossa,* est uberior sententiae aut canonum explanatio. Magna quidem est glossae auctoritas in juris interpretatione, praeferenda regulariter alterius doctoris sententiae ; non tamen vim legis habet, cum sit

---

1. REIFFENSTUEL, *o. c., Prooemium,* § VI, n° 92 ss.; WERNZ, *o. c.,* p. 357.
2. WERNZ, *l. c.; Collat. Brugen.,* 1908, t. XIII, p. 180. Cf. tamen REIFFENSTUEL, *o.* et *l. c.,* n. 108 ss.

opus privatorum. Quia vero in glossis Corporis Juris multa erant vel erronee aut liberius prolata, vel etiam impia manu adjuncta, Gregorius XIII in editione sua emendata glossis substituit vel adjunxit correctorum Romanorum *Additiones* [1].

5° *Nota* est brevior adnotatio capitulis adjecta ad indicandum vel lectiones variantes, vel loca parallela, vel aliqua quibus canones possunt illustrari. Nota illa dumtaxat habet auctoritatem quam ipse praebet annotator [2].

87. — *Scholion.* Sicuti Decretum Gratiani et compilationes antiquae ita authenticae Decretalium collectiones ansam dederunt multiformibus studiis et retractationibus litterariis, Summis, Distinctionibus, Notabilibus, Casibus etc. [3].

Glossam ordinariam ad decretales Gregorii IX composuit Bernardus de Botone († a. 1266), ad Librum Sextum et ad Clementinas Joannes Andreae († a. 1348), dictus « fons et tuba juris. »

§ 3. DE COLLECTIONIBUS POST CORPUS JURIS CANONICI.

88. — Editis collectionibus, quas hactenus recensuimus, novae prodierunt SS. Pontificum constitutiones ; nova habita sunt concilia generalia et particularia ; praeprimis celebratum est concilium Tridentinum, a quo plurima quoque disciplinae decreta fuerunt lata ; denique plures a sacris Congregationibus Cardinalium, praesertim Concilii Tridentini interpretum, declarationes emissae sunt. Ex his omnibus confectae sunt novae collectiones.

89. — Canones Conciliorum et Decretalium, qui post Sixtum IV in lucem prodierant, primus omnium Gregorius XIII colligere meditatus est. Cum autem ipse re infecta decessisset, neque eam Sixtus V absolvisset, sub Clemente VIII tantum *Liber VII Decretalium* typis mandatus est. Etsi complures scriptores, post Fagnanum [4] opinati sint collectionem istam *vere* a Clemente VIII *fuisse promulgatam, sed mox suppressam,* tamen hujusmodi assertio omni fundamento caret. Nunquam enim nova haec compilatio a Clemente VIII fuit approbata et promulgata ; nec ideo vim authenticam consecuta est [5].

90. — Iisdem fere temporibus Petrus Matthaeus († a. 1621), jurisconsultus Lugdunensis, edidit *Librum VII Decretalium,* a se privato studio exaratum ; sed hoc opus etiam publica auctoritate caret, multa in eo sunt

---

1. LAURIN, *o. c.*, p. 67 s.
2. *Ibid.*, quoad notas Correctorum Romanorum.
3. SCHULTE, *o. c.*, t. II, p. 75 ss.; LAURIN, *o. c.*, p. 149 ss.; 188 ss., 203 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 158 s. enumerat praecipuos Decretistas cum eorum operum ultimis editionibus et bibliographia.
4. *Commentaria in quinque libros Decretalium*, L. II, tit. 1, *de judiciis*, n° 61.
5. Cf. supra n. 71 ; LAURIN, p. 227 nota (3) ; WERNZ, *o. c.*, p. 378.

vitia, et plura desiderantur, ita ut in Indicem Librorum prohibitorum sit relatum [1].

91. — Publica quoque auctoritate destituuntur *Institutiones juris canonici,* a Paulo Lancelotto († a. 1590) jurisconsulto conscriptae [2].

Inter collectiones memorari solent *Bullaria et Acta Pontificum recentiorum, Collectiones Conciliorum, Concilium Tridentinum et Concilium Vaticanum,* et *Collectiones decretorum a nonnullis Congregationibus Romanis editorum.* Quaedam addemus *de monumentis juris particularis nostri.* De singulis breviter jam dicendum [3].

A. BULLARIA ET ACTA PONTIFICUM.

Deficiente constitutionum Pontificiarum collectione authentica, viri plures privatis curis in illis compilandis operam navarunt.

92. — 1° Plura edita fuerint *Bullaria* [4] inter quae locum praecipuum tenet *Magnum Bullarium Romanum* [5]. Haec collectio, qua talis, auctoritatem seu vim legalem non habet ; sed unaquaeque constitutio in ea contenta vim suam nativam retinet [6].

Bullario Romano, in quo editorum negligentia non raro conspicitur, auctoritate praevalet *Bullarium Benedicti XIV* [7], in quo iste Pontifex constitutiones suas ipse edidit. Authenticitatis fide se commendat hoc Benedicti Bullarium ; sed ultra quam par est progreditur Bouix [8], dum scribit collectionem hanc non minoris auctoritatis censendam esse, quam

---

1. In ultima editione 1917 expunctum. Cf. LAURIN, *o. c.,* p. 227.
2. *Ibid.*
3. Cf. SCHNEIDER, *Fontes jur. eccles. novissimi,* Regenburg, 1895.
4. L. CHERUBINI, *Bullarium seu collectio diversarum constitutionum multorum pontificum a Greg. VII usque ad Sixt. V.,* Romae, 1586. Ab ipso auctore, dein a filio ejus A. CHERUBINI, A. A LANTUSCA, J. P. A ROMA fuit emendatum et auctum, pertingens a Leone I ad Clem. X. Romae, 1617 ss.
5. Plures hujus Bullarii fuerunt editiones. Melior a C. COCQUELINES procurata est, sub titulo : *Bullarum, privilegiorum ac diplomatum Rom. Pontif. amplissima collectio,* 14 Tom. fol. in 28 vol. Romae, 1733 ss. Inde a vol. VI titulum habet *Bullarium Romanum.* Pertingit usque ad Benedictum XIV (a. 1740) exclusive. Bullarii Romani continuatio, complectens constitutiones Clementis XIII, qui successit Benedicto XIV, usque ad Gregorium XVI (1831-1846) incl. publicarunt A. BARBERI, A. SPETIA et R. SEGRETI, Romae, 1835-1857, 20 vol. in-fol. Nova editio Bullarii a Cocquelines editi prodiit Taurini, 1857 cura A. THOMASSETTI, *Bullarum, dipl. et priv. S. R. P. Taurinensis editio locupletis.,* 24 vol. 4° ; cujus continuatio, a Bened. XIV ad Leon. XIII in lucem edita fuit Neapoli ab a. 1885.
6. AICHNER[10], *o. c.,* p. 60.
7. Romae, 1754 ss., 4 vol. in-fol.; editio Mechliniensis, 1826, 13 vol. in-8°, Cf. ejusdem Pontificis : *Acta inedita ed. recent.* Romae, 1885 ; *Opera inedita,* primum publ. F. HEINER, Frib.-i-Br., 1904 ; *Correspondance de Benoît XIV,* ed. E. DE HEECKEREN, 2 vol. (1742-1756), Paris, 1912.
8. *O. c.,* p. 463 ; ita AICHNER, *l. c.,* p. 60.

Libros V Decretalium. Hinc enim sequeretur, quod falsum est [1], vim obligandi *universalem* habere ea quoque documenta, quae vim illam per se non habent, v. g. plura brevia et epistolae pro aliqua provincia vel dioecesi, vel etiam privatim conscripta [2].

93. — 2° Memoranda sunt etiam Acta Gregorii XVI [3], Pii IX [4], cujus pontificis celebris est encyclica *Quanta cura*, d. d. 8 dec. 1864, cum adnexo modernorum errorum *Syllabo* [5]. Haec documenta non tantum ad theologiam dogmaticam, sed etiam ad jus canonicum pertinent. Quoad auctoritatem Syllabi dicendum est quod habeat *de se* seu vi intrinseca et propria, auctoritatem *actus stricte pontificii*, quem ut *normam doctrinalem Universali Ecclesiae*, vi supremi magisterii, sufficienter promulgavit Pontifex et cui omnes catholici assensum internum religiosum praestare tenentur. Disputatur num Syllabus constituat definitionem *ex Cathedra*. Utraque sententia seriis nititur argumentis, gravique probabilitate extrinseca fulcitur [6]. — Recenseantur demum Acta Leonis XIII [7] et Pii X [8]. Hujus Pontificis glor. record., praeprimis notanda sunt acta

---

1. WERNZ, *o. c.*, p. 379.

2. Regesta litterarum apostolicarum ad breviorem formam redactarum ediderunt : JAFFÉ, *Regesta Rom. Pontif. ab condita eccles. ad a. 1198*, 2 ed. Lipsiae, 1885-1888, 2 vol.; POTTHAST, *Reg. Pontif. Rom. ab. a. 1198 ad a. 1304*, Berolini, 1874-1875 ; nuperrime P. KEHR, *Regesta Pontif. Roman. : Italia Pontificia*, tomus I prodiit Berolini, 1906 ; t. VI, 1913-1914 ; *Germania pontificia*, 1 tomus cura. A. BRACKMANN, Berolini 1910-1911. Cf. FRIEDBERG, *o. c.*, p. 145 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 85, 129, 153.

3. Edidit A.-M. BERNASCONE, Romae, 1901-1904, 4 vol.

4. 9 vol. (1846-1878), Romae, 1848 ss.

5. Cf. THEINER, *Recueil des allocutions consistoriales, Encycliques etc. des SS. PP. Clément XII*, etc., citées dans l'Encyclique et le Syllabus du 8 déc. 1864, 2 éd. Paris, 1865; HOURAT, *le Syllabus, étude documentaire*, 3 vol. (Coll. *Science et Religion* n° 299-301), Paris, 1904 ; HEINER, *Der Syllabus in ultramontaner und antiultramontaner Beleuchtung*, Mainz, 1905 ; MICHELITSCH, *Der Syllabus* (*Glaube u. Wissen*, Heft, 14), München, 1907 ; *Staatslexikon* [3], v° *Syllabus ;* P. VIOLLET, *L'infaillibilité du Pape et le Syllabus*, (in Indicem relatus) Paris, 1904; P. VIOLLET et P. BOUVIER, *Controverse sur le Syllabus*, in *les Études*, 1905, t. CIII, p. 235-239; L. CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, Paris, Beauchesne, 1907 p. 75 ss.; p. 151-369 ; ejusd. auctoris articul. in *la Revue pratique d'apologétique*, 1904-1905, t. VI, p. 762 ss.; *Nouv. rev. théolog.*, 1908, t. XL, p. 209-229 ; WERNZ, *o. c.*, p. 385 ; AICHNER [10], *o. c.*, p. 60 etc. Cf. etiam la *Revue du clergé français*, 1913, t. LXXIII, p. 129 ss.; MAURRAS, *La politique religieuse*, Paris, 1912 ; DOM BESSE, *L'Église et les libertés*, Paris, 1913. Textus praebetur infra, in appendice.

6. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 385, nota 58 ; CHOUPIN, *o. c.*, p. 105 ss.

7. 23 vol. (1881-1903), Romae, Typographia Vaticana, 1881 ss. ; *Leonis XIII Allocutiones*, etc., Desclée, Brugis, 1887-1910, 8 vol. Haec editio cum indicibus adjectis commendatur.

8. *Acta Pii X*, (1903-1908), 5 col. Romae, 1907-1916. Ab anno 1909 prodierunt in Commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis*, Romae. Cf. HILLING, *Die Reformen des Papstes Pius X auf den Gebiete der kirchenrechtl. Gesetzgebung*, 2 vol., Bonn, 1909-1912.

ad debellandum *Modernismum* [1] lata, notatim encyclica *Pascendi* 8 sept. 1907 [2], decretum *Lamentabili* S. C. Inquisitionis, 3 jun. 1907 [3], quo damnantur 65 propositiones. Quae acta sub respectu canonico maximi sunt momenti, cum his profligantur errores circa jus publicum ecclesiae, multaeque leges proprie et directe disciplinares de editione librorum, cleri disciplina, institutione clericorum feruntur, praeterquamquod leges poenales statuantur in eos qui decisionibus romanis obedientiam detrectant. Quae tamen componenda sunt cum praescriptis novi Codicis.

B. COLLECTIONES CONCILIORUM. CONCILIUM TRIDENTINUM ET VATICANUM.

94. — 1° Tempore moderno plures privatae *Collectiones Conciliorum* factae sunt, tum generales [4], tum peculiares alicui aevo [5] aut alicui regioni [6].

95. — 2° Etsi *Concilium Tridentinum* [7] inter collectiones locum non

---

1. Cf. A. VERMEERSCH [2], *De Modernismo. Acta S. Sedis cum notis canonicis,* Brugis, 1910 ; CLAEYS-BOUUAERT, *De legibus contra Modernismum latis,* in *Collat. Gandaven.,* 1911, t. III, p. 250 ss., 358 ss. Cf. *Collat. Brugen.,* 1908, t. XIII, p. 111, 195, 275.

2. *Collat. Brugen.,* 1907, t. XII, p. 597 ss., 661 ss.

3. *Ibid.,* p. 521 ; HEINER, *Der neue Syllabus Pius X.* Decretum *Lamentabili,* 3 jun. 1907, Mainz, 1907.

4. Hic recensentur : *Collectio regia* (usque ad a. 1560), Parisiis 1644, 37 vol. in-fol.; LABBÉ et COSSART, *Sacrosancta Concilia,* Paris., 1674, 17 vol. in-fol., cum vol. supplement., a BALUZIO confecto, Paris, 1683 ; HARDOUIN, *Conciliorum collectio regia maxima* (usque ad a. 1714), Paris., 1715, 12 vol., in folio ; MANSI, *Sacr. Concil. nova et amplissima collectio* (usque ad a. 1439) Flor. et Venet. 1759-1798, 31 vol., quod opus persequitur : *Collectio conciliorum recentioris ecclesiae,* cur. J. B. MARTIN et P. L. PETIT, Parisiis, 1905 ss.; MANSI, *Editio novissima,* Parisiis, 1900-1910, 47 vol. in-fol.

5. Concilia aevi merovingici ed. MAASSEN, (*Mon. Germ. hist.* Sectio III, t. I), Hannov. 1893 ; Concilia aevi karolini ed. WERMINGHOFF, (*Mon. Germ. hist.* Sectio III, t. II.) Hannov., 1904-1908 ; acta et decreta Concilior. recentiorum seu *Collectio Lacensis,* Frib-i-Br., 1870, 7 vol., cujus ultimum acta et decreta conc. Vaticani exhibet.

6. Concilia Galliae ed. SIRMOND, *Conc. antiq. Galliae,* Paris, 1629, 3 vol., quod opus complevit DE LA BANDE, (1666) et ODESPUN, (1646). — Conc. Germaniae quae SCHANNAT collegit, dein. HARTZHEIM auxit, Coloniae 1759-1790, 11 vol. fol., demum supplementum addiderunt BINTERIM et FLOS, 1851. — Concilia Hispaniae ediderunt AGUIRRE, Romae, 1753-1755, 6 vol. in-fol.; VILLANUNO, Barcelonae, 1850 ; TEJADA Y RAMIRO, *Colección de cánon y de tódos los Concil. de la Iglesia de España y America,* Madrid, 1859-1863, 6 vol. — Concilia Britanniae et Hiberniae, ed. WILKINS, Lond., 1737, 4 vol. in-fol.; HADDAN and STUBBS, *Councils and eccles. documents relating to Great Britain and Ireland,* Oxford, 1868-1878, 3 vol. — Concilia Scotiae, ed. ROBERTSON, Edinb., 1866. — Hungariae concilia, ed. PETERFY, Poson., 1741 ss., 2 vol. fol.

7. Melior editio ab AEM. LUD. RICHTER confecta, *Canones et Decreta Concilii Tridentini,* Lipsiae, 1853 ; Cf. THEINER, *Acta genuina Conc. Trid.,* Zagrabiae,

habeat, ad leges tamen ecclesiasticas recentioris juris referri debet quidquid in eo statutum est. Nullum autem Concilium generale est, in quo quaestiones, tamque scite fuerint et examinatae et enucleatae ; in quo tot lata sint fidei dogmata, totque disciplinae et reformationis decreta fuerint statuta, ut merito veluti quoddam doctrinae Christi compendium et disciplinae ecclesiasticae codex praecipuus ab omnibus fuerit habitus. Maxime igitur optandum, ut clerici istud etiam nunc frequenter studioseque perlegant, una cum *Catechismo Romano,* ex decreto Concilii Tridentini et Pii V jussu edito.

Concilium Tridentinum constat sessionibus 25, et unaquaeque ferme sessio duas habet partes, quarum prior doctrinam et *canones* complectitur, quibus damnantur haereses et catholica dogmata contra Protestantes firmantur ; altera continet decreta, quae disciplinam respiciunt et morum regulas, ac propterea inscribitur *De reformatione ;* quod in citandis Concilii textibus diligenter prae oculis est habendum [1]. Attendendum pariter est in studio capitum disciplinarium, ut diversa loca in quibus Concilium de eadem re statuit, attente perlustrentur et sedulo conferantur, ne imperfecta, vel etiam falsa doctrina ex uno capite, non inspecto altero, eruatur.

96. — 3° Quamvis in *Concilio Vaticano* [2], decreta diciplinaria non sint condita, tamen ibidem multa schemata decretorum facta sunt, multaque postulata proposita, quae magnae utilitatis sunt ad cognoscendam Ecclesiae disciplinam futurasque legislationis modificationes [3].

1874, 2 vol.; *Concil. Tridentinum. Diariorum, actorum, epistularum, tractatuum nova collectio,* ed. *Societas Goerresiana,* Frib.-Brisg., quae XII voluminibus complebitur ; prodierunt Diariorum pars prima et secunda, cura S. MERCKLE, 1901 et 1911 ; Actorum pars I, II, IV, V, X, ed. ST. EHSES, 1904-1920 ; Epistularum pars prima, cura G. BUSCHBELL. Cf. SUSTA, *Die Roemische Kurie und das Konzil von Trient unter Pius IV. Actenstücke zur Geschichte des Konzils von Trient.,* 4 vol. Vienne, 1904-1914 ; WERNZ, *o. c.,* p. 373.

1. Ideo citantur capita disciplinaria : Trid. Sess. VI, de ref. c. 2. In Sessione XXIV, capita de reformatione Matrimonii distincta sunt a capitibus de reformatione ; in Sess. XXV, capita de regularibus et monialibus a capitibus de reformatione.

2. Cf. MARTIN, *Omnium* (?) *Conc. Vat. quae ad doctrinam et disciplinam pertinent document. collectio,* Paderborn, 1873 ; vol. VII *Coll. Lacensis ;* H. LAEMMER, *Zur Codification des canonischen Rechts,* Freib.-Br., 1899 ; GRANDERATH-KIRSCH, *Geschichte des Vatikanischen Konzils,* 3 vol. Freib.-Br., 1903-1906 ; Versio gallica hujus praeclari operis prodiit Bruxellis, De Wit, ab anno 1908 ; STUTZ, *Der Geist des Codex juris canonici,* Stuttgart, 1918 ; MOURRET, *Le Concile du Vatican, d'après des documents inédits,* Paris, 1920 ; *De Katholiek,* 1920-1921, t. CLVIII, p. 82 ss.

3. Sub respectu juris hodierni attendenda sunt praeprimis : *Concilii plenarii Baltimorensis III decreta,* Baltimorae, 1884 ; et *Acta et Decreta Concilii plenarii Americae latinae,* a. 1899, in Urbe celebrati, Romae, 1901, 2 vol.

C. COLLECTIONES DECRETORUM NONNULLARUM CONGREGATIONUM ROMANARUM.

97. — 1° *S. C. Rituum* exstat, sub titulo *Decreto authentica Congregationis SS. Rituum,* collectio haud semel impressa, facta ab Aloysio Gardellini, ejusdem Congregationis adsessore et subpromotore fidei. Haec collectio, ex publico testimonio genuina, fidem facit in tribunalibus ad decisionem controversiarum, et expresse prohibitum est ne absque licentia S. R. C. reimprimatur [1].

Nuper Romae, typis S. C. Prop. fidei, Collectio Gardelliana, correcta et prorsus immutata, denuo publicata est sub titulo : *Decreta authentica Congr. SS. Rit.* etc., 5 vol. 1898-1901 [2]. Anno 1912 prodiit Romae, typis Vaticanis, sextum volumen seu Appendix 1 exhibens decreta ab anno 1900, num. 4052, ad annum 1912, num. 4284 [3].

98. — 2° Suam quoque collectionem habet *S. C. Concilii,* quae ab an. 1739 coepit publicari sub titulo *Thesaurus resolutionum Congregationis Concilii,* et hodie continuatur Romae. Publicatur ex officio a Secretario S. C. Concilii et ita aliqua ratione est authentica.

Thesaurus continet ordine chronologico praecipuas tantum causas ab anno 1700 in S. Congregatione tractatas : eas sc. quae proponuntur *in folio,* ut aiunt. Minorum vero, seu earum quae proponuntur *per summaria precum,* ut dicitur, exstant collectiones privatae [4].

99. — 3° *S. C. Episcoporum et Regularium* decisiones collegit Bizzarri in opere privato cui titulus : *Collectanea in usum Secretariae S. C. Episc. et Regul.,* 2 ed. Romae, 1886.

100. — 4° *S. C. Indulgentiarum* plures habet suorum decretorum collectiones authenticas, quarum praecipuae sunt : *Decreta authentica Congregationis Indulg. et Reliqu.* ab anno 1668-1861, Bruxell. (Romae), 1862, auctore Prinzivalli, cujus operis versio gallica facta est a Pallard, sub titulo *Recueil de prières,* etc. ; — *Raccolta di orazioni e pie opere,* typis S. C. de Propaganda fide edita, Romae, 1886, quam SS. Ponti-

---

1. WERNZ, *o. c.,* p. 382. Non est collectio authentica juris universalis.
2. V. de auctoritate novae Guardellianae, *Revue ecclés. de Liége,* 1908-1909, t. IV, p. 360 ss.; CALLEWAERT, *Institutiones liturgicae,* p. 106, n. 132.
3. Cf. *Collat Brug.,* 1912, t. XVII, p. 668 ss., 719 ss.
4. Praecipua est LINGEN et REUSS, *Causae selectae in S. C. C. propositae per summaria precum ab a. 1823 ad a. 1869,* Ratisbonae, 1871 ; cf. etiam edit. citat. C. Trid. a RICHTER confectam, ubi utilis invenitur collectio decisionum S. C. C. — Existunt etiam privatis curis editae: *Collectio declarationum S. C. C.* auct. ZAMBONI, nov. ed. Atrebati, 1860-1868 ; *Collectio omn. conclusionum et resolutionum S. C. C. ab a. 1564 ad a. 1860,* cura PALLOTINI, Romae, 1867-1893, 17 vol ; MUEHLBAUER, *Thes. resolution. S. C. C.,* Monachii, 1863-1885, 7 vol.

fices Pius IX et Leo XIII sua auctoritate approbarunt [1] ; — *Decreta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae* (1668-1882), jussu et auctoritate Leonis XIII edita apud Pustet, Ratisbonae, an. 1883 [2].

101. — 5° Non exstat collectio stricte authentica actorum *S. C. de Propaganda Fide ;* at ante aliquot annos in lucem emissum est utile opus sub titulo *Collectanea S. C. de Prop. Fide,* Romae, 1893 ; secunda editio, ordine chronologico exarata 2 voluminibus, prodiit Romae, 1907.

Insuper, nunc denuo Romae prodit collectio, stricto sensu non authentica, a Raphaele De Martinis concinnata, cui titulus : *Jus Pontificium de Propaganda Fide SS. D. N. Leonis XIII. P. M. jussu recognitum.* Romae, 1888 ss.

102. — 6° Quoad decisiones S. Rotae Romanae antiquas, melior editio confecta est a P. Farinacius, ed. novissima Venetiis, 1716. S. R. Rotae reformatae decisiones et sententiae, quae juxta legem propriam et C. *Sapienti Consilio* prodierunt a 1909, editae sunt cura ejusdem Tribunalis, cum praefatione a Rmo Lega decano conscripta de veterum decisionum natura et origine, earumque collectionibus, Romae, 1912. Jam quatuor prodierunt volumina (1909-1912).

D. DE MONUMENTIS JURIS PARTICULARIS.

103. — Jus particulare, tum in monumentis supra dictis, tum in libris synodorum provincialium et dioecesanarum, regularum Ordinum religiosorum, bullariorum particularium continetur [3].

Relationes quibus regimen Ecclesiam inter et Statum particularem ordinatur in *concordatis* [4] statuuntur.

Quod spectat ad jus particulare *provinciae Belgicae* et speciatim *Diocesis Brugensis* fontes inveniuntur apud DE RAM, *Synodicum Belgicum sive Acta omnium ecclesiarum Belgii a celebrato Concilio Tridentino usque*

1. Ultima editio prodiit a. 1898. Exstat versio gallica authentica apud Desclée-Lefevre, Roma, 1901.

2. Parem auctoritatem non habet Collectio confecta a J. SCHNEIDER, *Rescripta authentica S. C. Ind. sacrisque Reliq. praepositae, necnon summaria indulgent.,* Ratisbonae, 1885.

3. Cf. editiones synodorum particularium et statutorum dioecesanorum, pro Germania, SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 166 ss. ; pro aliis regionibus, FRIEDBERG, *o. c.,* p. 143 ; CLAEYS-BOUUAERT, *De canonica cleri saecularis obedientia,* p. XV, Lovanii, 1904.

4. Cf. NUSSI, *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem,* Moguntiae, 1870 ; *Raccolta di concordati su materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le Autorità civile (1098-1914).* Roma, 1920. Collectiones concordatorum et juris canonico-civilis pro Germania et Austria enumerat SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 168 s.; pro aliis regionibus FRIEDBERG, *o. c.,* p. 8 et 140 s.; HEINER, *o. c.,* p. 88 ss. Cf. etiam GALANTE, *o. c.,* p. 71-321.

ad concordatum a. 1801, Mechliniae et Lovanii, 1828-1858[1] ; J.-Fr. VAN DE VELDE, *Synopsis monumentorum collectionis proxime edendae conciliorum omnium archiepiscopatus Mechliniensis,* 3 vol. Gandavi, 1821-1822 ; *Acta et Decreta quarti concilii Provincialis Mechliniensis,* 1920 (mox edenda)[2] ; *Recueil des mandements, lettres pastorales, etc.,* publiés par Mgr DE BROGLIE, Gand, 1843 ; *Recueil de quelques brefs pontificaux et de toutes les lettres pastorales etc.,* de Mgr FALLOT DE BEAUMONT, 2 vol., Bruges, 1807-1809 ; *Collectio Epistolarum pastoralium, instructionum et Statutorum Episc. Brugen.* 17 vol. (1833-1903), Brugis ; *Pastorale Dioeces. Brugen.,* Gandavi, 1838 ; *Liber manualis sacerdotum dioec. Brugen.,* 2ª ed. Brugis, 1900 ; *Statuta Dioeces. Brugen.* 4 ed. Brugis, 1890, ubi in praefatione Illmi Malou historia statutorum breviter attingitur : *Statuta dioec. Leodien. in synodo dioeces. promulgata a. 1851,* Leodii, 1851 ; *Acta et statuta synodi dioecesanae Namurcensis a. 1867.* Ed. nova, Namurci, 1885; *Statuta dioec. Gandaven., in synodo dioecesana 15 maii 1877 edita,* Gandavi, 1877 ; *Statuta dioeces. Mechlinien., in synodo dioecesana a. 1872 promulgata, quibus insertae sunt additiones et emendationes in synodis a. 1873, 1876, et 1892 publicatae,* Mechliniae, 1899; *Statuta dioec. Tornacen. promulgata in synodis a. 1882 et 1883, renovata et aucta in synodo a. 1899.* Tornaci 1900[3].

ARTICULUS II. — De novo Codice Juris Canonici.

Auctores. VILLIEN, *Le nouveau code de droit canonique,* in *le Canoniste contemporain,* 1917, t. XL ; 1918, t. XLI ; 1919, t. XLII ; 1920, t. XLIII ; HENRICI, *Das Gesetzbuch der katholischen Kirche,* Basel, 1917 ; STUTZ, *Der Geist des Codex jur. can.,* Stuttgart, 1918 ; PILLET, *Introduction à l'étude du code canonique,* Paris, 1918 ; NOVAL, *Codificationis jur. can. recensio historico-apologetica,* Romae, 1918 ; *Collationes Gandavenses,* 1920, t. VII, p. 12 ss.; MAROTO, *o. c.,* nº 153 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 17.

104. — I. **Necessitas novi codicis.** Perlustranti quae supra dicta sunt de multiplicibus collectionibus canonicis tam publicis quam privatis et de omnibus constitutionibus, actis et decretis extra has collectiones vagantibus, apprime patebit necessitatem novi codicis maxime oriri ex *multiplicitate legum,* ita ut jus canonicum haud secus definiri potuerit atque Livius jus romanum appellaverit « immensum aliarum super alias coarcervatarum legum cumulum » (l. III, c. 34)[4]. Augebatur prior haec difficultas: 1° imperfectione ordinis adhibiti in collectionibus, ubi vel unus servabatur ordo chronologicus, vel ordo systematicus at mancus et imperfectus, dum alibi vix ullus detegi poterat ; 2° modo quo Decretales jus exhibebant. Hae enim responsiones erant ad casum particularem datae, ex quibus, seposita parte expositiva a parte dispositiva, legem generalem colligi et exprimi oportebat ; 3° ex eo quod leges non paucae, in collectionibus hucusque servatae, suis olim temporibus aptatae, aut abrogatae sint aut

1. Prodierunt tantum acta dioecesis Mechliniensis (2 vol.), Gandavensis et Antwerpiensis. Cf. SIMENON, *L'ancien droit ecclésiastique au diocèse de Liége,* in *La Revue ecclésiastique de Liége,* 1912-1913, t. VIII, p. 287 ss.

2. Cf. VAN BALLAER, in *La Vie Diocésaine,* 1920, t. IX, p. 189 s., 391 ss.

3. De collectionibus juris canonico-civilis, cf. in quarto volumine tractatum *de fabricis ecclesiarum.*

4. Ita Cardinalis GASPARRI, in praefatione ad codicem juris canonici.

obsoleverint, dum nonnullae, ob mutata rerum adjuncta, aut difficiles ad exsequendum evaserint aut communi animorum bono minus utiles ; 4° adde huc quod de certis quibusdam capitibus lex canonica omnino silebat ; quapropter confugiendum erat vel ad jus romanum, vel ad jurisprudentiam, vel ad consuetudinem, vel ad doctorum sententias[1].

Ex his omnibus succreverunt inutiles repetitiones, obscuritates, contrarietates ; inde dubia, controversiae, difficultas tum cognoscendi leges tum eas ad casus particulares applicandi ; inde enervatio disciplinae imo et contemptus legislationis.

Quae qui omnia perpenderit, mirari jam desinet quare et juris canonici cultoribus et plurimis catholici orbis episcopis jam dudum in votis fuerit jus canonicum nova quadem ratione esse tandem aliquando ordinandum. Quorum votorum interpretes praestiterunt se Patres Concilii Vaticani[2].

105. — II. **Brevis historia codicis.** Sane ad opus novi codicis instituendum haud parvas opportunitates praebuerunt schemata decretorum a congregationibus et commissionibus Concilii Vaticani elaborata, postulata Episcoporum Patribus ejusdem Concilii oblata, praescripta Conciliorum et Synodorum recentioris temporis, demum opera privati indolis virorum scientia theologica et canonica peritorum[3]. Sed et ipsi Romani Pontifices Pius IX et Leo XIII hac in re partes habuerunt pro nonnullis juris capitibus quae urgentioris erant necessitatis. Quorum alter per constitutionem « *Apostolicae Sedis* » censuras coarctavit *latae sententiae ;* alter vero leges de prohibitione et censura librorum temperavit per constitutionem « *Officiorum* » et normas constituit Congregationibus religiosis cum votis simplicibus per constitutionem « *Conditae* »[4].

Denique cum Episcopi plerique et nonnulli etiam purpurati Patres Apostolicae Sedi instarent adhuc ut jus canonicum emendaretur et in aptiorem ordinem componeretur ad normam codicum modernarum civitatum, Pius X, die 19 martii 1904, Motu proprio « *Arduum sane munus* »[5] commissionem Cardinalium instituit, cui, conspirante et concurrente universo Episcopatu, immensum commisit opus procurandi « ut universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur,

---

1. Cf. *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 339 ; Card. GASPARRI in praefatione citata.

2. Cf. *Collat. Brugen., l. c.*, p. 452 ss.; *De Katholiek*, 1920-1921, t. CLVIII, p. 82 ss.; Card. GASPARRI, eod. loc. En, v. gr., postulatum Belgarum Episcoporum : « Expleto Concilio Vaticano, committere velit Sanctissimus Dominus viris in sacris canonibus versatis munus redigendi integrum complexum legum ecclesiasticarum in novum codicem hodiernae praxi accommodatum, et in varios titulos, capita, etc., pro materiarum varietate distributum ».

3. *Coll. Brugen., l. c.*, p. 453 s.

4. Quibus Constitutionibus addi possunt : Instructio Congr. Episcoporum et Regularium, 11 junii 1880, de modo quo oeconomice procedere debent Curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, et Instructio Congr. de propaganda Fide, 20 octobris 1884, circa modum procedendi ex informata conscientia.

5. *Coll. Brugen.*, 1904, t. IX, p. 307. Mens est legislatoris, quemadmodum constat ex litteris Card. GASPARRI ad Archiepiscopos, 25 martii 1904, ut eodem tempore quo codex conficiatur, documenta post authenticas corporis juris collectiones prodita, ex quibus canones novi codicis desumpti sint, simul colligantur. Cf. *ibid.*, t. XIII, p. 338 s.

amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuerit, ad nostrorum temporum conditionem proprius aptatis. »

Mox rem perarduam aggressus, primum omnium haec curavit Pontifex ut Em^mus Gasparri, Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis, datis ad omnes et singulos catholici orbis *Archiepiscopos* litteris 25 martii 1904, iisdem mandaret ut « auditis Suffraganeis suis aliisque, si qui essent, Ordinariis qui Synodo Provinciali interesse deberent, quamprimum huic Sanctae Sedi paucis referrent an et quaenam in vigenti jure canonico, sua eorumque sententia immutatione aut emendatione aliqua prae ceteris indigerent »[1]. Paulo post, die 6 aprilis ejusdem anni, datae sunt litterae Secretarii Status ad *Rectores Universitatum,* qua jussum est antecessoribus, qui juri canonico tradendo incumbunt, huic gravissimo operi adjutricem manum praebere[2].

Postea, compluribus viris disciplinae canonum peritissimis, sive ex urbe Roma, sive variis e nationibus in consortium laborum accitis, Pius X mandatum dedit Cardinali Gasparri, ut horum *Consultorum* operam dirigeret, perficeret, ac, si opus esset, suppleret. Deinde, quo res celerius procederet, *Coetum peculiarem,* seu ut aiunt, Commissionem quinque Cardinalium constituit, qui, referente eodem Cardinali Gasparri, a consultoribus paratos canones diligenter perpenderent, eosque, judicio suo, immutarent, emendarent, expolirent[3]. Tam diligentem studiosamque in canones expendendos apteque redigendos contulerunt operam Consultores, tamque continenti strenuoque labore in propositis canonum schematibus recognoscendis et approbandis allaboravit peculiaris Cardinalium coetus, ut expectationem omnem expleverint. Cujus negotii partes principaliores magna perseverantia assumpsit et, teste ipso SS. Domino Benedicto XV in allocutione consistoriali 20 octobris 1916[4], singulares laudes sibi comparavit S. R. E. Cardinalis GASPARRI, qui consultorum coetui praefuit et Commissioni cardinalitiae fuit ab actis[5].

Cum novi codicis partes gradatim ad finem adducerentur, Pius X praecepit epistola *De mandato,* die 20 martii 1912, ut successive de singulis libris confecti operis Episcoporum totius catholici orbis judicium exquireretur, itemque Praelati omnes regularium Ordinum, qui legitime ad Œcumenicum Concilium vocari solent, sententiam rogarentur[6]. Interea, vix exorso teterrimo Europeano bello, vita decessit S. P. Pius X, quo auctore atque auspice grande codicis redigendi opus adornari coeptum est.

106. — SS. Domino Benedicto XV patrono et moderatore prospere et e sententia, finis novo codici impositus est. Quem cum Beatissimus

1. Cf. *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1904, t. LXXXXIX, p. 539 ss.
2. *Ibid.,* p. 545.
3. Constitutione « *Providentissima* », 27 maii 1817. Cf. quoad nomina Cardinalium et consultorum, qui partes habuerunt in Codice conficiendo, MAROTO, *o. c.,* p. 143, nota (2) ; 144, nota (1).
4. *AAS.,* 1916, t. VIII, p. 467.
5. Quam seria methodo codici conficiendo allaboratum sit praeclare exponit laudatus Card. GASPARRI in sua praefatione ad codicem. Cf. MAROTO, *o. c.,* n. 158 s.
6. Cf. Praefationem ad codicem ; FERRERES, *Instituciones canónicas,* t. I, p. 35 ss., Barcelona, 1918.

Pater cum maturo judicio in omnes ejus partes recognovisset, approbasset, ratum habuisset, constitutione « *Providentissima Mater Ecclesia* », die festo Pentecostes (27 maii) a. 1917 data, sic ut digestus est *promulgavit*, eumque decrevit vim legis pro universa Ecclesia habiturum esse a die festo Pentecostes (19 maii) insequentis anni 1918 [1].

107. — III. **Exterior codicis ordo.** Ipsi *typicae* collectioni in *Acta Apostolicae Sedis* promulgatae praeponuntur constitutio « *Providentissima* » qua promulgatur, et formula professionis fidei.

Codex dein in quinque *libros* [2] dividitur, qui, excepto primo, paucis componuntur *partibus*. Plures praeterea partes *sectionibus* distinguuntur. Omnes autem libri vel partes aut sectiones in plures *titulos* partiuntur, qui, prout res postulat, plura *capita* et *articulos* continent. Opus denique totum, ad instar codicum nationum modernarum, continua et numerata serie *canonum* exhibetur. Qui canones sunt numero 2414. Non raro, ante librorum partes, sectiones aut titulos, ponuntur, nulla praemissa inscriptione, nonnulli canones quibus argumentum praeparatur aut inducitur.

Citatur codex afferendo tantum numerum canonis vel canonum, v. gr., can. 8, cann. 281 ss.

Itaque libri et partes novi codicis sic *synoptice* proponi possunt :

Liber I.	Normae generales	can. 1- 86.
Liber II.	De personis	can. 87- 725.
	1° De clericis	— 108- 486.
	2° De religiosis	— 487- 681.
	3° De laicis	— 682- 725.
Liber III.	De rebus	can. 726-1551.
	1° De Sacramentis	— 731-1153.
	2° De locis et temporibus sacris	— 1154-1254.
	3° De cultu divino	— 1255-1321.
	4° De magisterio ecclesiastico	— 1322-1408.
	5° De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus	— 1409-1494.
	6° De bonis Ecclesiae temporalibus	— 1495-1551.

1. Promulgatus est in parte II voluminis IX (1907) commentarii officialis *AAS*. Quidam canones a die 20 aug. 1917 vim habere coeperunt. Cf. litteras Secretarii Status 20 aug. 1917, ap. *AAS*. 1917, t. IX, p. 475.

2. *Normae generales* libri I respondent primis 20 distinctionibus Decreti Gratiani et 4 primis titulis Decretalium : liber II *de personis* respondet quoad substantiam libro I Decretalium ; liber II *de rebus*, libro III et IV Decretalium ; liber IV *de processibus* analogiam habet ad librum II Decretalium ; liber V *de delictis et poenis* ad librum V Decretalium.

LIBER IV. DE PROCESSIBUS can. 1552-2194.
1° De judiciis — 1552-1998.
2° De causis beatificationis Sanctorum Dei et canonizationis Beatorum — 1999-2141.
3° De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis — 2142-2194.
LIBER V. DE DELICTIS ET POENIS can. 2195-2414.
1° De delictis — 2195-2213.
2° De poenis — 2214-2313.
3° De poenis in singula delicta — 2314-2414.

Ad calcem codicis octo documenta ponuntur quae ad electionem S. Pontificis et administrationem Ecclesiae vacante Sede, ad provisionem paroeciarum per viam concursus, ad abusum sacramenti poenitentiae et ad usum privilegii fidei a neo-conversis pertinent.

Terminatur editio authentica indice analytico [1].

108. — IV. **Editiones.** Uti jam diximus editio typica et authentica quae sola vim legis pro Ecclesia unversali habet, promulgata est in II parte voluminis IX (1917) commentarii officialis *Acta Apostolicae Sedis.*

Litteris autem 17 oct. 1917 [2], Secretarius Status *mendas* quasdam quae in officiali editione irrepserant, auctoritate Sanctissimi, corrigendas duxit.

Jam in lucem editae fuerunt a Typographia polyglotta Vaticana plures editiones juxta typicam [3], quarum omnes praefationem Em^mi card. Gasparri et indicem analytico-alphabeticum, nonnullae etiam annotationem fontium annexa habent [4].

Etsi praefatio, annotatio fontium et index analytico-alphabeticus habenda sint tantummodo ut opus privatum, tamen propter scientiam

---

1. Ita fere describitur codex a CREUSEN et VERMEERSCH, *o. c.*, n. 18.
2. *AAS.*, 1917, t. IX, p. 557, coll. p. 589.
3. Editiones in-18 et in-12 sine fontium annotatione constant Romae respective l. 7 et 12, ejusdem formae editiones cum fontium annotatione, l. 10 et 15. Editio in-8 cum fontium annotatione venit l. 20.
4. In exemplaribus Vaticanae editionis recognitis plures mendae correctae fuerunt tum in canonibus, tum in Indice analytico-alphabetico. Ita textus authenticae editionis canonis 1230 § 5 : « indeque, si de *religiosis* agatur *jurisdictioni parochi non obnoxiis* ad *propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium* deducit... cappellanus », mendose in editione Vaticana in-12 (1917) et in editione HERDER-PUSTET (1918) mutatus est in : « indeque, si de *monialibus* agatur *ad ecclesiam monasterii deducit...* » — Correctus est etiam in posterioribus editionibus Vaticanis can. 2341, linea 9 ; loco *ex majoribus,* legendum est *ex supremis.* Prima lectio habetur in editione typica et de hac correctione, ni fallar, nulla mentio facta est in *AAS.*

et competentiam Cardinalis Gasparri, cujus auctoritate prodierunt, sunt maximi facienda ut subsidia interpretationis. Notandum venit citationem aliquam in annotatione fontium non aequivalere assumptioni legis anterioris [1].

In recentioribus editionibus Vaticanis post constitutionem *Sanctissima*, adjunctae sunt litterae Benedicti XV motu proprio datae d. 15 septembris 1917, quibus commissio instituitur ad canones codicis authentice interpretandos [2].

Prodiit etiam Romae cura Typographiae Vaticanae versio, non officialis at auctoritative permissa, varias in linguas confecta, canonum spectantium religiones laicas. Cum vero textus non in omnibus concordaret cum dispositionibus codicis, declaravit S. Congregatio de Religiosis, 2 aprilis 1919, standum esse textui codicis vel emendandam versionem [3].

109. — V. **Commissio ad codicis canones interpretandos.** 1° *Erecta* est [4] auctoritate Benedicti XV, motu proprio 15 septembris 1917 [5], ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et conjecturis, aut crebra novarum legum varietate codicis stabilitas aliquando in discrimen vocetur.

2° *Constat* ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus coetui praeest, auctoritate Apostolica deligendis. His accedunt Secretarius et consultores ex utroque clero [6], juris canonici periti, eadem auctoritate designandi.

3° *Munus* erit : a/ *Authentice interpretari* codicis canones, audita tamen, in rebus majoris momenti, Sacra ea Congregatione cujus propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur. Respondet autem tantum Commissio dubiis propositis ab Ordinariis, a Superioribus majoribus Ordinum et Congregationum religiosarum, etc., non vero a privatis personis, nisi mediante proprio Ordinario [7] ; b/ Si quando novum decretum generale ab aliqua Congregatione condatur [8], Consilium ad

1. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *Selecta capita codicis jur. can.*, p. 6, Gandae, 1919.
2. *AAS.*, 1917, t. IX, p. 483.
3. *Ibid.*, 1919, t. XI, p. 179. Cf. VERMEERSCH, *Period. de relig.*, t. X, p. 67.
4. Cf. de hac Commissione BOUDINHON, in *Le canoniste contemporain*, 1917, t. XL, p. 397 ss.; VERMEERSCH, in *Periodica de religiosis*, t. IX, 1920-1921, p. 3 ss.
5. *AAS.*, 1917, t. IX, p. 483 s.
6. Cf., *ibidem*, p. 558, nomina Cardinalium qui Commissioni annumerantur et virorum qui ad munus consultorum nominantur. Praeest Commissioni pontificiae Em^mus^ Card. GASPARRI.
7. Resp. Commissionis Pontificiae, 9 dec. 1917, *ibid.*, 1918, t. X, p. 77.
8. In eodem Motu proprio, 15 sept. 1917 monentur Congregationes ne nova Decreta generalia jam nunc ferent, nisi aliqua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat.

novos canones interpretandos legem istam ad formam canonis vel canonum rediget. Si decretum a praescripto codicis discrepet, Consilium indicet cuinam codicis legi, nova lex sufficienda sit ; si in nova lege res agatur de qua codex sileat, Consilium constituat quo loco novus canon vel novi canones sint in codicem inserendi, numero canonis qui proxime antecedit, *bis, ter* repetito, ne canon sede sua moveatur ullus, aut numerorum series quoquo facto perturbetur. Quae omnia statim post S. Congregationis decretum in *Acta Apostolicae Sedis* referantur.

110. — VI. **Vis juridica novi codicis:** Novus codex habet valorem collectionis *authenticae, universalis* et *exclusivae,* in qua totum jus canonicum seu disciplina ecclesiastica moraliter omnis, nostris temporibus accommodata, apte distribuitur ad normam codicum recentiorum, in canones seu articulos claros, concisos et generales, ita ut difficultati cognoscendi multas leges dispersas et exsequendi leges minus cum tempore praesenti congruentes feliciter occurratur [1].

111. — A. Est collectio *authentica.* Quod patet ex citata constitutione *Providentissima :* « Praesentem codicem, sic ut digestus est, promulgamus, vim legis posthac habere pro universa Ecclesia decernimus, jubemus ». Inde liquet, ait S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus [2] codicem esse « authenticum et unicum juris canonici fontem, proptereaque tum in disciplina Ecclesiae moderanda, tum in judiciis et scholis eo uno utendum esse. »

112. — B. Est collectio *universalis.* Hanc vim universalem codicis proprius definit canon 1 : « Licet in codice juris canonici Ecclesiae Orientalis disciplina saepe referatur, ipse tamen, unam respicit *Latinam Ecclesiam,* neque *Orientalem* obligat, nisi de iis agitur quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt. »

Inde colligitur servari posse regulas hac de re hucusque servatas, nempe : Graeci catholici non ligantur canonibus codicis juris canonici,

---

1. Inde elucet utilitas novi codicis. Cf. hac de re CREUSEN-VERMEERSCH, *o. c.,* n. 20. — Quod ad jus publicum attinet, codex tantum enuntiat quaedam principia fundamentalia, quibus determinantur esse juridicum Ecclesiae societatis, ambitus et independentia auctoritatis ecclesiasticae docendi, leges ferendi, judicandi, puniendi, acquirendi bona temporalia, instituendi scholas, etc.

2. Decret. 7 aug. 1917, ap. *AAS.,* 1917, t. IX, p. 439. Hoc decreto decernitur in schola *textus,* quae fere propria est pontificiorum Athenaeorum seu Universitatum, codicem esse tanquam textum praelectionum adhibendum, ita ut doctores juri canonico tradendo debeant, ipso codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari. Quodsi doctoribus placuerit alumnis librum manualem tradere, non ejus libri ordini ordo codicis, sed huic ille aptetur et accommodetur. In seminariis exsistere consuevit schola *institutionum ;* in his adhiberi potest liber institutionum canonicarum, in quo ordo et dispositio codicis non stricte servanda sunt. Cf. etiam decret. S. C. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, 31 oct. 1918, *ibid.,* 1919, t. XI, p. 19.

nisi in hisce casibus : a/ in materia dogmatum fidei, v. gr. can. 218, de primatu R. P. ; b/ si quid de ipsis statuatur aut eorum expressa mentio fiat, v. gr., cann. 98 ; 622, § 4 ; 782, § 4 et § 5 ; 804 ; 1099, § 1, n. 3; c/ si implicite, ex natura rei de qua agitur lex quoque ad illos extendatur, utpote declaratoria juris divini, naturalis aut positivi, v. gr., cann. 222 ss., de concilio oecumenico ; 228 § 2, de appellatione a sententia R. P. ad concilium oecumenicum ; 1257, de ordinatione liturgiae et approbatione librorum liturgicorum ab uno R. P.[1] ; d/ Si canon favores concedat ut de indulgentiis expresse declaravit S. Poenitentiaria, 7 jul. 1917[2] ; e/ si disciplina Ecclesiae orientalis in aliqua re deficiat potest adhuc teneri novus Codex, ut Corpus juris canonici hucusque habitum est, tanquam fons suppletorius pro jure orientali[3].

113. — C. Est collectio *exclusiva.* Novo codice excluduntur procul dubio omnes anteriores authenticae *collectiones.* Praeterea canones 2-6 illam vim exclusivam novi codicis circumscribunt indicando tum leges quae *reservantur,* tum leges quae *abrogantur,* deinde determinando qua ex parte novum jus cum veteri legislatione conjunctum sit.

114. — 1° Reservantur a/ *Leges liturgicae.* « Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia latina probati[4], servandas praecipiunt in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent nisi earum aliqua in codice expresse corrigatur » (can. 2; 6, 6°). Correctiones habentur v. gr., in cann. 765 ss., de patrinis ; 1240, de negatione sepulturae ecclesiasticae, etc.

b/ *Conventiones* a Sancta Sede initae cum variis nationibus « perinde ac in praesens vigere pergunt, contrariis hujus codicis praescriptis *minime* obstantibus » (can. 3). Hoc praescripto concordata absolute servantur cum plerumque specialem indolem induant pacti bilateralis inter potestatem ecclesiasticam et potestatem civilem initi.

c/ « *Jura aliis quaesita,* itemque privilegia atque indulta[5] quae, ab

---

1. Cf. WERNZ, *Jus decretalium,* t. I, 2 edit., p. 125, n° 104 ; FERRERES, *o. c.,* n° 123 ; CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 5. Cf. de disciplina Ecclesiae Orientalis ; PAPP SZILAGYI, *Enchiridion juris Ecclesiae Orientalis catholicae,* Magno-Veradini, 1880 ; BIERNACKI, *Jus orthodoxum Russorum respectu juris Ecclesiae Romano-catholicae,* Posen, s. d. [1904].

2. *AAS.,* t. IX, p. 399 ; coll. *AAS.,* VIII, 104 ; MAROTO, *o. c.,* n. 173, n° 198.

3. MAROTO, *ibid.*

4. Missale, Breviarium, Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Rituale, libri liturgici cantus, Decreta S. C. Rituum authentica.

5. Cf. Resp. Com. Pontif. ad interpretandos novi codicis canones, a. 1918, non publicatum in *AAS.,* juxta quod indultum in materia jejunii et abstinentiae ad decennium, d. 1 jan. 1910 concessum, in suo robore remanet, sublatis obliga-

Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, nisi hujus codicis canonibus expresse revocantur » (can. 4).

Jura aliis quaesita seu acquisita sunt ea quae vi anterioris legis, pactione aut consuetudine alicui obvenerunt, sic ecclesiae nosocomii jus quaesitum esse potest peragendi funera eorum qui ibidem moriuntur, confraternitati jus quaesitum praecedentiae, etc. Ita servatur regula 18 Cancellariae Apostolicae de non tollendo jus quaesitum [1].

Indulta et privilegia, quae ad invicem comparantur ut genus et species, difficilius abrogantur quam leges generales et particulares, cum juxta regulam juris in VI : *decet concessum a principe beneficium esse mansurum.* Nec ut tollantur sufficit ut dispositioni Codicis sint opposita, sed requiritur formula revocatoria specialis, uti est : non obstantibus quibuscumque juribus quaesitis, privilegiis vel indultis a Sede Apostolica concessis ; revocato quolibet contrario privilegio [2].

d/ In pleno suo robore remanent, usquedum Apostolica Sedes aliter statuerit, omnes praescriptiones natura sua *temporariae* ac *transitoriae,* quae ideo indolem legis stricte dictae non prae se ferunt et hac de causa in codicem referri non potuerunt ; uti sunt : praescripta de Consilio a vigilantia et de juramento antimodernistico [3] ; praescripta decreti *Inter reliquas* S. Congregationis de Religiosis, dati die 1 jan. 1911, de religiosis servitio militari adscriptis [4].

115. — 2° Abrogantur [5] : a/ « *Leges quaelibet,* sive universales, sive particulares [6] *praescriptis codicis oppositae* nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur » (can. 6, 1°) ; v. gr., juxta can. 403, collatio canonicatuum pertinet ad Episcopum, audito capitulo, *firma contraria fundationis lege.*

---

tionibus quae jure communi cessarunt vi can. 1252 ; transacto novo decennio servanda erunt codicis praescripta. Cf. *Boletin de la Provincia ecclesiastica de Cuba,* 1918, sept.; *Nouv. rev. théol.,* 1914-1919, t. XLVI, p. 562.

1. Cf. REIFFENSTUEL, *Jus canon. universum,* l. III, tit. 5, post n. 487.

2. Vide in Indice analytico-alphabetico codicis, v° *privilegia,* privilegia quae in Codice revocantur.

3. Decret. S. Officii, 22 martii 1918, ap. *AAS.,* 1918, t. X, p. 136.

4. Decret. S. C. de Religiosis, 15 jul. 1919, *ibid.,* 1919, t. XI, p. 321 ss.

5. Cf. VERMEERSCH, in *Periodica de Religiosis,* 1920-1921, t. IX, p. (3) ss.

6. Cf. Decret. S. C. Consist., 2 aug. 1918, circa obligationem legum et decretorum Conciliorum Provincialium Westmonasteriensium, salvis tamen novi codicis praescriptionibus, si et in quantum legibus et decretis dictorum Conciliorum derogaverunt, *ibid.,* 1918, t. X, p. 365. — Decret. S. C. de Religiosis, 31 mart. 1919, de quibusnam libris (coutumiers, directoires) ad Instituta religiosa juris pontificii pertinentibus, revisioni et correctioni S. Congregationis subjiciendis, *ibid.,* 1919, t. XI, p. 239 ; Resp. Com. Pontif. ad interpr. codicis can., 3 jan. 1918 (non publ. in *Acta Apost. Sedis),* juxta quod can. 1252 ubique viget non obstantibus legibus particularibus. *Il Monit. eccles.,* 1918, april., p. 112 ; *Nouv. rev. théol.,* 1914-1918, t. XLVI, p. 550.

b/ *Consuetudines* contrariae [1], sive universales sive particulares, etiam immemorabiles quae novis canonibus expresse *reprobantur* [2] ; aliae, non reprobatae, etiam suppressae habeantur, nisi expresse codex aliud caveat, aut nisi agatur de consuetudinibus centenariis aut immemorabilibus [3] quas Ordinarii pro locorum ac personarum adjunctis existimant prudenter removeri non posse (can. 5). Hac ultima dispositione can. 5 fit Ordinariis potestas eas consuetudines submovendi, imo id facere suadentur, nisi prudentiae causa impediantur. Patet in hoc canone agi de consuetudinibus contra jus antiquum denuo a novo codice confirmatum, non vero de praxi contraria dispositioni prorsus novae [4].

c/ *Poenae* quaelibet, quarum in codice nulla fit mentio (can. 6, 5°).

d/ *Disciplinares leges universales* quae nec explicite nec implicite in codice continentur, nisi ex probatis liturgicis libris reperiantur, aut lex sit juris divini sive positivi sive naturalis (can. 6, 6°). *Explicite* in codice continentur multae leges universales anteriores, quae expressis terminis in codice renovantur ; *implicite* vero, si aliquo praescripto codicis supponuntur aut ad quas remittimur ; sic, v. gr., can. 160, ubi Romani Pontificis electio unice regi dicitur constitutione Pii X « *Vacante Sede Apostolica* », 25 dec. 1904 ; can. 243, § 1, quo disponitur servandas esse a singulis Congregationibus normas tum generales, tum particulares quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit ; canone 42, § 1, ad stylum Curiae remittimur [5] ; can. 624 observandas jubet a Religiosis instructiones de modo quaeritandae stipis a Sede Apostolica datas [6]. Ut exempla legis divinae adduci possunt multa quae respectum dicunt ad constitutionem Ecclesiae, eam esse societatem perfectam, inaequalem, ea pollere potestate legislativa, etc.

116. — 3° *Conjunctio novi juris cum antiqua legislatione.* Hac de re

---

1. Non agitur de consuetudinibus praeter jus hodiernum, quae debitis stipata conditionibus servari possunt. Cf. MAROTO, *o. c.*, n° 170.

2. Enumerantur in Indice analytico-alphabetico codicis, v° *consuetudo*.

3. Etsi textus can. 5 utramque qualitatem : centenariam *et* immemorabilem, conjungere videtur, tamen, propter comparationem cum aliis locis Codicis (can. 27, 28), ubi istae consuetudines separantur et aequiparantur, sufficere videtur alterutra conditio, seu ut consuetudo sit centenaria *aut* immemorabilis. Cf. CREUSEN-VERMEERSCH, *o. c.*, n. 5.

4. Cf. resp. Commissionis Pontificiae ad codicis canones authentice interpretandos, 17 febr. 1918, ad III : « Utrum festa quae non enumerantur in can. 1247, § 1, ipso facto, ipsaque lege nullibi amplius sint de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerunt de praecepto, ex particulari lege vel *consuetudine etiam centenaria loci...* » Responsum est : Affirmative, *AAS.*, 1918, t. X, p. 170 ; cf. etiam resp. ejusd. Commis. 16 oct. 1919, ad. 6, ap. *AAS.*, XI, 476 ss.; *Causa Paderbornen.*, S. C. Conc., 11 dec. 1920, *AAS.*, XIII, p. 262 ss.

5. Cf. can. 1855, § 1.

6. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n° 21.

praeprimis attendendum venit principium generale canonis 6 : *Codex vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat.* Legenti codicem mox apparebit novum jus plerumque de verbo ad verbum desumi ex veteri jure, nimirum ex Decretalibus, Concilio Tridentino, Decretis Congregationum, ad formam codicis congesto et ordinato [1]. Immutationes antiquae disciplinae allatae sunt vel *positivae,* quibus nova praescripta promulgantur, vel saepius *negativae,* quibus veteres leges abrogantur aut eis derogatur.

Praefatum principium ulterius eodem in canone evolvitur.

a/ « Canones, qui jus vetus *ex integro* referunt, *ex veteris juris auctoritate,* atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi » (can. 6, 2°). Ita decreverat Pius IX constitutione *Apostolicae Sedis,* ut censurae latae sententiae a veteri jure mutuatae vim suam etiam ex veterum canonum auctoritate acciperent. Exinde patet necessitas cognoscendi vetus jus, hujusque acceptam interpretationem.

b/ « Canones qui *ex parte* tantum cum veteri jure congruunt, qua congruunt, ex jure antiquo aestimandi sunt ; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia dijudicandi » (can. 6, 3°).

c/ « *In dubio* num aliquod canonum praescriptum cum veteri jure discrepet, a veteri jure non est recedendum » (can. 6, 4°).

d/ Codici non est vis *retroactiva,* nisi aliud expresse dicatur. Actus ergo, servatis servandis, reguntur jure vigenti quando positi sunt vel ponentur [2]. Exceptiones huic principio ex clara legislatoris voluntate probandae sunt, uti pro actione ad petendam matrimonii celebrationem ex matrimonii promissione etiam valida et a qua implenda nulla justa causa excusat ; quae actio nunquam datur [3].

---

1. *L'Ami du clergé,* 1919, 36e année, p. 786 s.

2. Cf. *Tractatus de legibus ;* Decret. Pontific. Commissionis ad codicis canones authentice interpretandos, 2-3 junii 1918, IV, ad 6, 7, 8, in *AAS.,* 1918, t. X, p. 344 ss.; Resp. S. C. de Relig., 6 oct. 1919 circa professionem religiosorum laicorum in ordinibus regularibus, *ibid.,* 1919, t. XI, p. 420 ; Resp. Com. Pontif. ad cod. can. interpret., 16 oct. 1919, *ibid.,* p. 476 : « vota religiosa simplicia perpetua ex parte voventis, emissa ante promulgationem codicis in Religionibus votorum solemnium, sunt moderanda quoad modum dimissionis religiosorum et quoad effectus dimissionis a jure antiquo vigente ante codicem ». Cf. de retroactivitate legum *Causa Cuneen. et Utinen.* 18 maii 1919, *AAS.,* 1919, t. XI, p. 351 s.

3. Resp. cit. Com. Pontif., ad interpret. cod. can., 2-3 jun. 1918, ad 6.

CAPUT IV.

DE JURIS CANONICI SUBSIDIIS.

Omnis disciplina quasdam habet scientias tum amicas, tum famulas, quibus adjuvatur et illustratur. Inter scientias, quas, tamquam subsidia seu adminicula, excolere debent qui studio juris canonici fructuose incumbere cupiunt, potissimum recensentur s. theologia, historia ecclesiastica et antiquitates christianae, jus naturale, civile et gentium ; de quibus breviter dicendum est [1].

117. — I. **De Sacra Theologia.** Disciplina theologica et canonica quasi duae germanae sorores incedunt, mutuumque sibi praestant auxilium. Et re quidem vera, sicuti theologia in multis canonum auxilio utitur, v. gr. in iis quae ad ritus sacramentorum et reliqua sacra munia, quae ad ecclesiasticorum officiorum et beneficiorum administrationem, ac praesertim quae ad ecclesiasticae jurisdictionis usum spectant [2] ; ita cognitio theologiae ad canonum notitiam apprime conducit. Quod patet ex iis quae diximus de S. Scriptura et de Traditione, ex quibus fontibus juris canonici argumenta depromi solent. Praetera dogmata sunt fundamenta canonum, et ad complures quaestiones canonicas solvendas, praesertim in jure ecclesiastico publico, principia dogmatica in auxilium vocari debent [3]. Denique quot partes theologiae moralis quae cum jure canonico intimo nexu connectuntur !

118. — II. **Historia Ecclesiastica et notitia archeologiae christianae.** Nihil autem utilius, imo magis necessarium ad juris sacri scientiam acquirendam, quam historiae ecclesiasticae [4], patrologiae et antiquitatum christianarum [5] notitia.

Hoc perspicuum cuique erit, qui perpenderit ea quae supra de fontibus exposita sunt. Gesta Conciliorum et Romanorum Pontificum sine temporum rerumque notitia nec habere, nec intelligi, nec rite applicari possunt. Decisiones plurimae quae in Codice juris canonici habentur sine cogni-

---

1. WERNZ, *o. c.*, p. 72 s.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 16 s., ubi optima traditur bibliographia scientiarum auxiliarium juris canonici ; V. SCHERER, *o. c.*, I, p. 115 ss.
2. BOUQUILLON, *o. c.*, n° 28.
3. AICHNER, *o. c.*, p. 13 s.
4. Quoad methodum cf. DE SMEDT, *Introductio generalis ad historiam ecclesiasticam critice tractandam*, Gandavi, 1876 ; ejusd. auct., *Principes de critique historique*, Paris, 1883 ; DE SCHEPPER, *Inleiding tot de studie in de Kerkgeschiedenis*, Brugge, 1915. De historia ecclesiastica optime scripserunt : HERGENROETHER-KIRSCH, *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*, ed. 5, Freib.-Brisg., 1917 ; FUNK, *Lehrbuch der Kirchengeschichte* [6], ed. BIHLMEYER, Paderborn, 1911, cujus existit versio gallica cura HEMMER, 11e édit. Paris, 1911 ; ALBERS, *Handboek der algemeene Kerkgeschiedenis* [4], 2 vol., Nymegen, 1917, cujus versionem gallicam curavit HEDDE, Parisiis, ultima editio, 1920 ; A. HAUCK, *Kirchengeschichte Deutschlands*, Leipzig, I [3-4] 1904, II [3-4] 1912, III [3-4] 1906, IV [1-2], 1903 (protest.)
5. KRAUS, *Realenzyklopädie d. christ. Altertümer*, 2 vol. Freib.-Br., 1882 ss.; CABROL-LECLERCQ, *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, Paris, ab. a. 1907.

tione historica explicatum non habent[1]. Jus publicum particulare historia nititur. Historia duce intelliguntur ortus et progressus institutionum ecclesiasticarum, vicissitudinesque disciplinae ecclesiasticae.

119. — III. **Jus naturale, civile et gentium.** Jus naturale et civile magnum juri canonico auxilium suppeditare, sufficienter colligitur ex dictis, n. 27 s., 69 ubi jura illa inter fontes jurisprudentiae sacrae recensuimus. Quare vulgatum est adagium[2]. *Legistam sine canonibus parum valere et canonistam sine legibus nihil valere,* quia ex sententia Lucii Papae III[3] : *Sicuti leges non dedignantur sacras canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Nostris temporibus attendendum etiam est ad jus civile et publicum variarum nationum et ad jus gentium et internationale[4].

CAPUT V.

DE QUIBUSDAM JURIS CANONICI INTERPRETIBUS.

120. — Remissis libris de parte speciali aut de quaestione speciali tractantibus ad singula capita aut paragraphos ; illa tantum opera generalia hic enumerantur quae utilius et saepius consuluntur aut ulterioris litteraturae notitiam praebent.

I. AUCTORES LITTERATURAM JURIS ECCLESIASTICI EXHIBENTES[5].

* V. SCHULTE, *Gesch. der Quellen und Literatur des kan. Rechts von Gratian bis an die Gegenwart,* Stuttgart, 1875-1880 ; HURTER, *Nomenclator litterarius theologiae catholicae*[3], 5 vol. Œniponte, 1903-1913 ; WERNZ, *o. c.*, t. I[2], p. 79 ss. Romae, 1905 ; * FRIEDBERG, *Kirchenrecht*[6], Leipzig, 1909 ; SAEGMUELLER, *Kirchenrecht*[3], Freib.-Br., 1914 ; PRUEMMER, *o. c.*, p. XIX ss ; MAROTO, *o. c.*, n. 126 ss. Recentiorem litteraturam exhibent periodica mox citanda, praesertim *La Revue d'histoire ecclésiastique,* Louvain ; *Theologische Jahresbericht*[6].

II. ENCYCLOPAEDIAE ET COLLECTIONES.

a) Dictionnaire de théologie catholique, éd. VACANT-MANGENOT, Paris, 1903 ss. ; *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* éd. CABROL-LECLERCQ, Paris, 1907 ss. ; *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* éd. A. D'ALÈS, Paris, 1909 ss. (Haec opera modo completo hucusque non prodierunt) ; *The catholic encyclopedia,* New-York, 1907-1913, 15 v. ; WETSER u. WELTE'S *Kirchenlexikon*[2], ed. HERGENROETHER-KAULEN, 13 vol., Freib.-Br., 1882-1903 ; *Kirchliches Handlexikon,* ed. M. BUCHBERGER, 2 vol., München, 1907-1912 ; * *Realencyklopädie für protest. Theologie u. Kirche*[3], ed. A. HAUCK, 22 vol. Leipzig, 1896-1908, vol. supplem. 1912.

---

1. Cf. ZALLINGER, *Institutionum jur. eccl. liber subsidiarius* I, c. XII, *de historia et critica, tanquam necessariis adminiculis juris sacri.*
2. LAURIN, *o. c.*, p. 264, nota (1).
3. In Compilatione II, c. 3, *de eccles. aedific.* III, 26 ; c. I. X, V, 32.
4. V. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 39, cf. F. HOLTZENDORFF, *Enzyklopädie der Rechtswissenschaft*[7], ed. J. KOHLER, Berlin-Leipzig, 1914 ; *Staatslexikon*[3-4], ed. BACHEM-SACHER, Freib.-Brisg., 1911-1912.
5. Libri acatholicorum notantur *.
6. Ibi periodice elenchus publicatur publicationum canonicarum, quae uno anno prodierunt. Ita vol. XXXI, 6 Abth. *Praktische theologie* exhibet litteraturam canonicam anni 1911.

b) Staatslexikon 3-4, 5 vol. Freib.-Brisg., 1911-1912 ; * *Enzyklopädie der Rechtswissenschaft* [7], ed. HOLTZENDORFF-KOHLER, Berlin-Leipzig, 1914 ; L. FERRARIS, *Prompta bibliotheca canonica,* 8 vol., Bononiae, 1766, ed. novissima 9 vol. Romae, 1883-1900 ; MOCCHEGIANI, *Jurisprudentia sacra,* 3 vol. Quaracchi, 1904-1905 ; OJETTI, *Synopsis rerum moralium et juris pontificii,* 3 vol. Romae, 1904-1912.

c) Kirchenrechtliche Abhandlungen, ed. * U. STUTZ, Stuttgart, ab. a. 1902. Jam praesto sunt plus quam 80 dissertationes tum ab acatholicis, tum a catholicis conscriptae, quarum praecipuae suo loco citabuntur. — *Dissertationes Lovaniensis Universitatis.*

III. HISTORIA JURIS CANONICI.

Optimam litteraturam usque ad a. 1905 praebet * U. STUTZ, *Die kirchliche Rechtsgeschichte,* Stuttgart, 1905, qui caeteroquin hanc historiam compendiose et praeclare tractavit in opere cui titulus *Kirchenrecht* (in HOLTZENDORFF-KOHLER'S *Enzykl. der Rechtswiss.* [7], t. V, p. 275-479), Leipzig-Berlin, 1904 (v. *Archiv für katholisches Kirchenrecht,* 1905, t. LXXXV, p. 617 ss.). Inter praeclaros citantur : THOMASSIN, *Ancienne et nouvelle discipline de l'Église touchant les bénéfices et les bénéficiers,* Lyon, 1676, cujus plures prodierunt editiones ; ultima, Parisiis, 1879, 3 vol. ; * LOENING, *Geschichte des deutschen Kirchenrechts,* 2 vol., I, *Das Kirchenrecht in Gallien bis Chlodovech ;* II. *Das Kirchenrecht im Reiche der Merowinger,* Strassburg, 1878 ss.; * WERMINGHOFF, *Geschichte der Kirchenverfassung Deutschlands im Mittelalter.* T. I, Hannover, 1905 ; ejud. auctoris, *Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche im Mittelalter,* 2 Aufl. (*Grundriss der Geschichtswissenschaft,* hsggb. von A. MEISTER, II, 6), Leipzig, 1914 ; KOENIGER, *Grundriss einer Geschichte des kath. Kirchenrechts,* Köln, 1919. — Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 82 ; SOLMI, *Storia del diritto italiano,* Milan, 1918.

Pro Belgio : VAN ESPEN, *Jus ecclesiasticum universum,* 5 vol., Lovanii, 1766 ; ZYPAEUS, *Notitia juris belgici,* Antverpiae, 1665 ; SOHET, *Instituts de droit, ou sommaire de jurisprudence canonique, civile et criminelle dans les pays de Liége, de Luxembourg, Namur et autres,* Bouillon, 1772 ; BRITZ, *Code de l'ancien droit belgique,* in-4°, Bruxelles, 1847 ; DEFACQZ, *Ancien droit belgique,* 2 vol., in-8°, Bruxelles, 1873.

IV. COMMENTARII IN JUS DECRETALIUM.

FAGNANUS, *Jus canonicum sive commentaria absolutissima in quinque libros decretalium,* 3 vol., fol., Romae, 1661.

GIRALDI, *Expositio juris pontificii,* 3 vol., Romae, 1769.

REIFFENSTUEL, *Jus canonicum universum,* Venetiis, 1704, 3 vol. fol.; Ingolstadt, 1743, 6 vol., fol.; Parisiis, 1864 ss., 7 vol., in-4°.

SCHMALZGRUEBER, *Jus ecclesiasticum universale,* Ingolstadt, 1726, 5 vol., fol.; Romae, 1845, 10 vol., in-4°.

MASCHAT-GIRALDI, *Institutiones canonicae,* Romae, 1757, 2 vol., in-4°.

ZALLINGER, *Institutiones juris ecclesiastici,* 5 vol., in-8°, Augustae-Vindelicorum, 1791-1793.

DEVOTI, *Juris canonici univ. publ. et priv. libri quinque,* Romae, 3 vol., 1803, 1804, 1815 (incompletum).

DE ANGELIS, *Praelectiones juris canonici ad methodum decretalium Gregorii exactae,* 5 vol., in-8°, Romae, 1877-1891.

GRANDCLAUDE, *Jus canonicum juxta ord. decretalium,* 3 vol., Parisiis, 1882 ss.

DE SANTI-LEITNER, *Praelectiones jur. can.* [4], 5 vol., in-8°, Ratisbonae, 1904 ss.

* BOEHMER, *Jus eccles. Protestantium,* 5 vol. in-4°, Halae, 1714 ss. Variae editiones.

V. OPERA MAJORA SIVE TOTUM JUS CANONICUM, SIVE PARTES EJUS SYSTEMATICE EXPLICANTIA.

BARBOSA, *Opera omnia,* Lugduni, 1648 ss.

BENEDICTUS XIV, *De synodo dioecesana,* Romae, 1748, opus auctum denuo

ab auct. publ. 1755 ; *Institutiones ecclesiasticae,* Romae, 1747 ; *Opera omnia,* Romae, 1747-1748, 12 vol. in-4°.

ZECH, *Institutiones juris canonici,* 6 vol., 2 ed. Ingolstadii, 1766 ss.

PHILLIPS, *Kirchenrecht,* 7 vol., Regensburg, 1845-1857 ; 8 vol[is] 1 pars, ed. VERING, 1889. Cujus prima pars (Lib. 1 et 2.) translata fuit gallice a CROUZET, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux,* 3 vol. in-12°, Paris, 1855 ; *Du droit ecclésiastique dans ses sources,* in-8°, Paris, 1852.

BOUIX, *Institutiones jur. can. in varios tractatus divisae,* 15 vol. in-8°, Parisiis, 1852-1870.

DARIS, *Praelectiones canonicae quas habuit in Semin. Leodien.,* 5 vol., Leodii, 1863-1874.

V. SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes,* 2 vol. (incompletum), Graz-Leipzig, 1886-1898.

DUBALLET, *Cours complet de droit canonique,* Paris, 1896 ss. Prodierunt 7 volumina. *Traité des principes,* 3 vol.; *des paroisses et des curés,* 2 vol.; *des choses ecclésiastiques,* 1 vol. ; *des fabriques,* 1 vol.

WERNZ, *Jus decretalium,* in-8°, t. I [2], 1905 ; t. II [2], 1906 ; t. III [2], 1908 ; t. IV [2], 1911-1912 ; t. V, 2 vol., 1914 ; t. VI, 1913, Romae.

* HINSCHIUS, *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland. System des katholischen Kirchenrechts,* t. I-VI, 1 (incompletum), Berlin, 1869-1897.

VI. LIBRI INSTITUTIONUM JURIS ECCLESIASTICI.

1. DEVOTI, *Institutionum canonicarum libri IV,* Romae, 1758 ; edit. 2, Gandae, 1830 ; ed. ultima, Leodii, 1883.

WALTER, *Lehrbuch des Kirchenrechts aller christlichen Konfessionen,* Bonn, 1822 ; ed. 14 a GERLACH curata, Bonn, 1871.

SOGLIA, *Institutiones juris publici et privati,* 2 vol., ed. 8, Buscoduci, 1857 ; ed. ultima, Parisiis, 1897.

AICHNER, *Compendium juris ecclesiastici,* Brixinae, 1862 ; ed. 11 a FRIEDLE, 1911.

V. SCHULTE, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* Giessen, 1863 ; 2 ed. 1868 ; post defectionem auctoris ab ecclesia catholica, ed. 4, 1888.

DE BRABANDERE, *Juris canonici et canonico-civilis compendium,* 2 vol., Brugis, 1866-1869 ; ed. 3 et 4 curavit VAN DEN BERGHE ; ed. 5 et 6, VAN COILLIE ; ed. 7, MAHIEU ; ed. 8, DE MEESTER, 3 vol., 1914-1916.

ICARD, *Praelection. jur. can. habitae in Sem. S. Sulpicii,* 3 vol. in-12, Parisiis, 1875.

SILBERNAGL, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* Regensburg, 1879, ed. 4, 1903.

VERING, *Lehrbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrechts,* ed. 3[a], Freiburg-Br., 1893. Prima editio (1874) translata fuit gallice a BÉLET, 2 vol., Paris, 1879-1881.

HERGENROETHER Ph., *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* Freib.-Br., 1888, ed. 2 a HOLLWECK, 1905.

BARGILLIAT, *Praelectiones juris canonici,* 2 vol., Paris, 1893 ; ed. XXXIV, 1921.

HEINER, *Katholisches Kirchenrecht,* 2 vol., Paderborn, 1894 ; ed. 6, 1912 ss., cum supplemento ad normam codicis a KURTSCHEID confecto.

SAEGMUELLER, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* Freiburg-Br., 1900-1902-1904 ; 2 ed., 1908 ; 3 ed., 1915.

LAURENTIUS, *Institutiones juris ecclesiastici,* Frib.-Br., 1903 ; 3 ed. 1914, cum supplemento ad normam Codicis.

HARING, *Grundzüge des katholischen Kirchenrechts,* Graz, 1906-1910 ; prodiit altera editio.

GALANTE, *Elemente di diritto ecclesiastico,* Milano, 1911.

SCHIAPPOLI, *Manuale di diritto ecclesiastico,* Napoli, 1913.

ZITELLI, *Apparatus juris ecclesiastici* (maxime pro regionibus missionum) ed. 3, Romae, 1903.

PAPP SZILAGYI, *Enchiridion juris ecclesiae orientalis catholicae,* Magno-Varadini, 1880.

BIERNACKI, *Jus orthodoxum Russorum respectu juris Ecclesiae Romano-catholicae consideratum,* Posen, 1914.

* STUTZ, *Kirchenrecht,* in *Enzyklopädie der Rechtswissenschaft* ed. HOLZENDORFF-KOHLER, 7 (2) ed., t. V, 1914, p. 275-479.

* FRIEDBERG, *Lehrbuch des katholischen und evangelischen Kirchenrechts,* ed. 6, Leipzig, 1909 [1].

* A MATER, *L'Église catholique. Sa constitution. Son administration.* Paris, Colin, 1906.

VII. LIBRI CASUISTICI ET PRACTICI.

ZYPAEUS, *Consultationes canonicae, pleraeque ex jure novissimo Tridentino,* Antverpiae, 1640.

PROSPER LAMBERTINIUS sive BENEDICTUS XIV, *Casus conscientiae,* 5 vol., Leodii, 1853-1854 ; et opera supra citata.

GENNARI, *Consultations de droit canonique,* trad. de l'italien par BOUDINHON, 2 vol., Paris, 1907. — *Questions de droit canon,* trad. BOUDINHON, Paris 2 v., 1912.

MONACELLI, *Formularium legale practicum fori ecclesiastici,* Venetiis, 1706-1715; ed. 3, Romae, 1844.

NASSALSKI, *Formularium legale practicum,* ed. 2, Wladislaviae, 1905.

MUNIZ, *Procedimentos ecclesiásticos.* Vol. I, Sevilla, 1920.

VIII. COMMENTARII IN JUS CANONICUM VEL LIBRI INSTITUTIONUM QUI POST EDITUM CODICEM JURIS CANONICI IN LUCEM PRODIERUNT.

FR. ALBERTO BLAT, O. P., *Commentarium textus juris canonici,* Liber II, *de Personis,* Romae, 1919 ; Liber III *de Rebus,* 1920.

NOVAL, *Commentarium cod. jur. can.,* Liber IV, *de processibus.* P. I, *de judiciis,* Turino, 1920.

BARGILLIAT, *Praelectiones juris canonici,* ed. XXXIV, 2 vol., Parisiis, 1921.

FERRERES, *Instituciones canónicas,* 2 ed., 2 vol., Barcelona, 1918 ; 3 ed., 1920.

MAROTO, *Institutiones juris canonici ad normam codicis juris canonici,* 2 vol., 3-4 ed., Romae-Matriti, 1919.

AUGUSTINE, *A Commentary on Canon Law,* 5 vol., London, 1918 ss.

VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici,* t. I, Mechliniae, 1921.

PRUEMMER, *Manuale jur. eccles.,* ed. altera, Frib.-Brisg., 1920.

LEITNER, *Handbuch des kath. Kirchenrechtes auf Grund des neuen Kodex,* Regensburg, 1919.

POESCHL, *Kurzgefasstes Lehrbuch des kath. Kirchenrechts,* Graz, 1918-1919.

COCCHI, *Commentarium in codicem jur. can.* L. I. *Normae generales,* Turino, 1920.

TOSO, *Ad cod. j. can. commentaria minora.* Vol. I, fasc. 1 et 2, Romae, 1920.

MUNERATI, *Jur. eccles. publ. et priv. elementa,* ed. 3, Romae, 1920.

BADII, *Institutiones jur. can.,* ed. 2. Vol. I, (1 et 2 lib. cod.), Florentiae, 1920.

FERRERES, *Derecho sacramental y penal con arreglo al novíssimo Código de Pio X,* 2 ed., Barcelona, 1920.

CAPPELLO, *Tract. de Sacramentis,* Vol. I, Turino, 1921.

SOLE, *De delictis et poenis. Praelectiones in l. V cod.,* Romae-Ratisbonae, 1920.

CAPPELLO, *De censuris juxta cod. jur. can.,* Turino, 1919.

CHELODI, *Jus poenale et ordo procedendi in judiciis criminalibus,* Trento, 1920.

IX. FOLIA PERIODICA [2].

Acta Apostolicae Sedis, Commentarium officiale, Romae, ab a. 1919 ss. (citabitur *AAS.*).

---

1. Cf. hunc auctorem, p. 7 ss. ubi elenchus eorum invenitur, qui jus particulare variarum regionum exposuerunt.

2. Plura durante bello non prodierunt.

Acta Sanctae Sedis, Romae, ab a. 1865 ad a. 1908, 41 vol. (citabitur *AAS.*). Ab a. 1904 habent caracterem officialem et authenticum [1].

L'Ami du clergé, Langres, ab a. 1879 ss., cum supplemento annexo *La Jurisprudence civile ecclésiastique,* ab a. 1895 ss.

Analecta juris pontificii, Dissertations sur divers sujets de droit canon, liturgie et théologie, Romae, 1855 ss.; Paris, 1869-1890 ; ab a. 1893 ss., continuata sub titulo *Analecta Ecclesiastica,* Romae.

Archiv für katholisches Kirchenrecht, Mainz, ab a. 1857. T. I-VI, ed. MOY DE SONS ; a t. VII (1862), ed. VERING ; a t. LXXVII (1896) ss., ed. HEINER ; a t. XCIII (1913), ed. HILLING.

Le Canoniste contemporain, ed. GRANDCLAUDE, dein BOUDINHON, post hunc VILLIEN, Paris, ab a 1878 ss.

Collationes Brugenses, Brugis, ab a. 1896 ss.

Collationes Gandavenses, Gandavi, ab a. 1908-1909 ss.

Collationes Namurcenses, Namurci, ab a. 1901-1902 ss.

Commentarium de religiosis, cura R. P. MAROTO, Romae, 1920.

Correspondance de Rome, Liége, ab a. 1848 ad a. 1852, 3 vol.; cui successit *Mélanges théologiques,* Liége, ab a. 1847-1848 ad a. 1852-1853, 6 vol. ; sequitur *Revue théologique,* Paris-Liége, 1856-1860 [1-2], 6 vol. ; post prodierunt *Mélanges de théologie,* Liége, 1860, 1 vol.; dein *Revue théologique,* Louvain, 1861-1862, 1862-1863, 2 vol.; demum *Nouvelle revue théologique,* Tournai, ab a. 1869 ad a. 1880 (t. I-XII) cura R. P. PIAT et FALIZE, ab a. 1881 ad a. 1885 (t. XIII-XVII) cura R. P. PIAT, ab a. 1886-1895 (t. XVIII-XXVII) cura R. P. PIAT et PLANCHARD, ab a. 1896 ad a. 1904 cura RR. PP. Redemptoristarum Belgii et R. P. PIAT, ab a. 1905 ss. cura R. P. BESSON, S. J., ab a. 1921 cura RR. PP. Jesuitarum Belgii.

Il Monitore ecclesiastico, ed. Card. GENNARI († 1914), Romae, ab a. 1888-1889 ss.

Les Questions ecclésiastiques, Lille, ab a. 1908 ss.

Razon y Fe, Madrid, ab a. 1901 ss.

De Religiosis et Missionariis, Supplementa et Monumenta periodica, ed. R. P. VERMEERSCH, Brugis ab a. 1905 ss.

Revue du clergé français, Paris, ab a. 1895-1921.

Revue d'histoire ecclésiastique, Louvain, ab a. 1900 ss., ubi optima invenitur bibliographia.

Revue des sciences ecclésiastiques, Arras, ab a. 1860 ad a. 1906 (113 vol.) ; ab a. 1906-1907 editur una cum *La Science catholique.*

Revue théologique française, Laval, ab a. 1896, ad a. 1906, 11 vol.

Theologie und Glaube, Paderborn, ab a. 1909 ss.

Theologisch-praktische Quartal-schrift, Linz, ab a. 1848 ss.

* *Zeitschrift für Kirchenrecht,* Freib.-Br., ab a. 1861 cura DOVE ; ab a. 1892 titulo *Deutsche Zeitschrift für Kirchenrecht* cura FRIEDBERG, dein SEHLING.

* *Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte.* Ab anno 1911 (t. XXXII) ss., complectitur triplicem sectionem romanicam, germanicam et canonicam ; quam ultimam curant U. STUTZ et WERMINGHOFF, Weimar.

CAPUT VI.

ARTICULUS I. — De methodo et divisione hujus compendii.

Auctores. WERNZ, *o. c.,* Prooemium, p. 1 ss., p. 74 ss.; STUTZ, *Die kirchliche Rechtsgeschichte,* Stuttgart, 1905; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 11 ss.

121. — I. **Notio methodi.** In tradendo jure canonico quadruplex occurrit *methodus,* sc. *positiva, systematica, historica* et *practica.*

a) Methodus *positiva* seu *exegetica* in eo praecipue consistit, ut ipsae

1. Ex audientia SS^mi, 23 maii 1904. Cf. *Archiv für katholisches Kirchenrecht,* 1905, t. LXXXV, p. 121 ss.

leges ecclesiasticae ex genuinis fontibus deductae, quibus ex *disciplina nunc vigenti* Ecclesia catholica regitur per accuratam interpretationem perfecte et ordinate explicentur [1].

b) Methodum *systematicam* dicimus illam qua leges vigentes in ordinatum quoddam *systema* rediguntur, conclusionesque seu normae generales ex legibus deductae intrinsece et extrinsece probantur, vindicantur et ad consectaria particularia coguntur.

c) Methodus *historica* ea dici potest, quae varias disciplinae ecclesiasticae evolutiones prosequens, ostendit quid pristina praescripserit ; quando, quo modo et cur Ecclesia vel ab ea recesserit, vel collabentem sustinuerit, vel collapsam restaurarit.

d) Methodus tandem *practica* praecipue intendit applicationem legum generalium ad causas particulares, illamque excolit jurisperitiam seu facilitatem leges practicas rite interpretandi, et ad casus occurrentes applicandi.

122. — II. **Historia.** Ante saeculum XII, jus canonicum non colebatur ut scientia peculiaris et a theologia distincta ; ad hanc enim pertinere censebatur. Inde primi canonistae, seu potius canonum compilatores, in colligendis ordine chronologico aut systematico legibus ecclesiasticis omnem suam operam collocarunt.

Verum editis *Decreto Gratiani,* et praesertim *Libris Decretalium,* scriptores, vulgo dicti *Glossatores,* iis apponere coeperunt *Glossas,* verbales et reales, quibus successere *apparatus* et *commentaria,* textibus juris *eo ordine* quo in hisce collectionibus jacent, aptata. Alii composuerunt etiam *summas,* alphabeticas aut systematicas, *disputationes, repetitiones,* etc. maxime juxta methodum *scholasticam* tunc temporis adhibitam. A saeculo XIII veteres interpretes Gregorianam collectionem tanquam basim assumpserunt, ac sequendo librorum, titulorum, et, ut plurimum, ipsorum capitulorum ordinem legalem, universum jus ecclesiasticum in quinque libros diviserunt juxta vulgatum versiculum : *Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.* Methodus eorum erat praecipue exegetica.

At saeculo XVI, sub Concilii Tridentini temporibus, aliqui, cum Paulo Lancellotto in suis *Institutionibus* [2], ab hac methodo recesserunt, et innovantes divisionem, a Gratiano seu potius a Justiniano in *Institutionibus* traditam, eamque perficientes, elucubrationes juridicas reduxerunt ad *personas, res* et *actiones* seu *judicia.* Alii insuper separatas de certis materiis dissertationes et commentaria edidere. Hoc saeculo etiam notatur progressus *artis historico-criticae,* qua praeprimis enituerunt saec. XVII, in Gallia Thomassinus († 1697) et saec. XVIII in Italia Prosper Lambertinius († 1738). Hoc tempore inter canonistas non infimum locum tenent in Belgio Franciscus Zypaeus († ante 1665) et Van Espen († 1728). Qui meliori methodo elaborandae opem contulit, historicam addendo exegeticae. Dum tamen id praestitit, factiosis Jansenistarum opinionibus indulsit,

---

1. WERNZ, *o. c.,* p. 74.
2. *Institutiones juris canonici,* quibus jus pontificium singulari methodo libris quatuor comprehenditur, Perusiae, 1563. Cf. tamen SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 14, nota (1). Jam innititur illa partitio in decreto Gratiani. V. DE GHELLINCK, in *Etudes,* 1911, t. CXXIX, p. 486.

adeo ut opera ejus omnia in Indicem librorum prohibitorum fuerunt suo jam tempore relata[1].

Exeunte saeculo XVIII, methodo exegeticae et historicae jungi coepit systematica, quae licet jam usurpata a Berardo († 1768), praesertim exculta fuit introductione novae divisionis juris, in jus nempe ecclesiasticum *publicum* et *privatum*. Postquam protestantes et regalistae jus publicum ecclesiasticum tanquam novam scientiam proposuerint, qua, fallacibus principiis, logicisque exinde conclusionibus, nefaria systemata defendere conati sunt, catholici ex eo tempore specialem principiorum generalium curam habuerunt et de jure publico separatim egerunt[2].

Saeculo XIX, in Germania praesertim, sub influxu scholae juridico-historicae, conati sunt auctores totam materiam canonicam ad ordinatum systema reducere, non neglecta methodo historica. Inter catholicos recensentur Walter († 1879), Philips († 1872) et Permaneder († 1862) ; inter Protestantes Eichhorn († 1854) et Richter († 1864) qui primus divisit jus canonicum in jus constitutionis et jus administrationis[3]. Quae partitio, addita parte introductoria de relationibus Status et Ecclesiae et de fontibus, jam frequentissime usitatur, notatim, a Wernz et Saegmueller. Multi tamen adhuc dividunt jus ecclesiasticum in personas (jus constitutionis), res et judicia (jus administrationis).

123. — III. **Jus vigens.** S. Congregatio de Seminariis et de studiorum Universitatibus, decreto 7 aug. 1917[4] praescripsit Universitatibus et juris canonici Lyceis ut in *Scholis* quae aptissime *textus* nuncupantur, ubi nimirum disciplina canonica toto suo ambitu et perfectiore disputandi ratione praelegitur[5], doctores juri canonico tradendo, ipso codicis ordine legali ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretentur nec ipsis sufficiat per modum thesium doctrinam exhibere ipsis canonibus contentam ; quodsi lectoribus placuerit alumnos unum aliquem adhibere librum manualem, non ejus libri ordini ordo codicis sed huic ille aptetur et accommodetur. Vult etiam Congregatio ut commendata methodus exegetica compleatur et illustretur methodo historica. Haec praescriptio de ordine legali codicis servando non est extendenda ad *scholas Institutionum* plerumque in Seminariis adhibitas, in quibus disciplinae canonicae generalis et saepius incompleta quaedam traditur materia, compendiosa quidem tractatione[6]. Attamen cum distributio materiae canonicae in personas, res et judicia, Institutionibus tra-

1. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, ed. 7, p. LXXII. Cf. circa van Espen, HURTER, *Nomenclator litterarius*[2], t. II, p. 1225 ; — v. SCHULTE, *o. c.*, t. III, p. 704 ss.; BRITZ, *Code de l'ancien droit belgique*, p. 396 ss.

2. V. TARQUINI, *Jur. eccles. publici institutiones, in Prooemio*, p. x, Romae, 1860. Illa distinctio vel non ab omnibus, vel invite tantum, fuit adhibita, cf. ZALLINGER, *Institutiones jur. eccles. maxime privati*, in Prolegomen. cap. VII, § 75, p. 54, WERNZ, *o. c.*, p. 67 s.

3. U. STUTZ, *o. c.*, p. 4 ss. Ipse auctor opinatur tractandam esse historiam juris canonici ut scientiam specialem.

4. *AAS.*, 1917, t. IX, p. 439. Cf. etiam decretum ejusdem Congregationis 31 oct. 1918, de experimentis ad gradus in jure canonico assequendos, *ibid.*, 1919, t. XI, p. 19.

5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 4 s.

6. *Ibid.*, p. 3.

dendis propria, conveniat cum ordine Codicis, nullum dubium est quin cum maxime utilitate hic ordo quantum fieri possit in libris Institutionum etiam servandus aestimetur.

124. — IV. **Nostra methodus** erit mixta, systematica sc., historica, et exegetica, attendendo praesertim ad praxim. Eam autem ita adhibere conabimur, ut caveamus a mere exegetica canonistarum antiquorum, et ab abusibus quibus recens methodus historico-systematica locum dedit, nimis protrahendo considerationes historicas et negligendo momentum practicum. Exordiemur itaque a fundamento, quod collocabimus in indole positiva seu dotibus Ecclesiae, ut societatis perfectae, determinato plano modo, positiva Christi Domini voluntate institutae ; et ab eo profecti, ulteriorem ecclesiastici juris explanationem prosequemur, servata quantum ferat natura et ambitus hujus compendiosae tractationis partitione Codicis.

Cum divisio inter jus publicum et jus privatum non omnibus placeat ; cumque praeterea in Codice piano-benedictino specialem sedem non obtineat, ideo modum veterum canonistarum imitati universam jurisprudentiae canonicae et canonico-civilis tractationem in unum corpus doctrinae redigimus. In singulis autem materiis ita procedimus ut nihil praetermittamus eorum omnium quae ad rem faciunt, sive ad jus canonicum publicum, sive ad jus canonicum privatum, commune aut particulare nostrae dioeceseos, sive ad jus canonico-civile apud nos vigens, pertineant.

Verumtamen, ut legenti patebit, praecipua juris principia generalia, quae ad jus publicum spectant, ipsa materiarum natura duce, quaestionibus juris privati in libro fundamentali antecedent.

125. Compendium ergo in sex libros distribuimus. Liber fundamentalis agit de Ecclesia ut societate ; liber 1^{us} de normis generalibus juris canonici ; 2^{us} de personis ; 3^{us} de rebus ; 4^{us} de processibus ; 5^{us} de delictis et poenis.

Tribus voluminibus haec absolvetur materia, reservatis ad quartum volumen iis quae exclusive pertinent ad jus canonico-civile [1].

ARTICULUS II. — De methodo discendi jus canonicum.

126. — Rmus P. Wernz [2] concise et concinne consilia quae Maldonatus († ca 1583) suis auditoribus ad studium theologicum recte ordinandum

1. VAN COILLIE-DE MEESTER, *La sépulture et les fabriques d'églises en droit civil-ecclésiastique belge*, Bruges, Desclée, de Brouwer et C^{ie}, 604 p.
2. *O. c.*, p. 61.

tradidisse fertur, studio juris canonici his brevibus verbis applicat : *Audire professorem, repetere, disputare, legere, scribere.* Ea pauca aliter enuntiare juvat. *Praeparare* seu *praelegere* textum mox explicandum, *scribendo,* sc. annotando principaliora aut difficiliora ; dein, cum professore *legere* textum, *scribendo,* sc. annotando additiones aut explicationes ; demum *repetere* seu *relegere* textum, *scribendo* sc. conficiendo summarium aut proprium commentarium. Sit in hoc studio, juxta adagium alicujus antiqui, cum luminis superni invocatione : *Multus labor, multa in labore methodus, multa in methodo constantia.* Inde colligentur hujus studii fructus speciales : acquisitio scientiae canonicae, amor disciplinae, devotio erga Ecclesiam et auctoritatem, et illa forma ingenii positiva summopere necessaria ad detegendam quae in verbis latet veritatem.

LIBER FUNDAMENTALIS.

DE ECCLESIA QUA SOCIETATE.

Auctores. Dogmatici *de Ecclesia,* cf. DE BROUWER, *Tract. de Ecclesia Christi* [2], Brugis, 1891 ; BILLOT, *Tractatus de Ecclesia Christi,* Romae, 1898-1900 ; WILMERS, *De Christi Ecclesia* libri VI, Ratisbonae, 1897 ; STRAUB, *De Ecclesia Christi,* 2 vol., Œniponte, 1912; PRUNEL, *L'Église,* 2 vol., Paris, 1916-1918 ; NEYRON, *Le gouvernement de l'Église,* Paris, 1919 ; D'HERBIGNY, *De Deo universos evocante ad sui regni vitam, seu de institutione Ecclesiae primaeva,* Paris, 1920 ; TARQUINI, *Jur. eccles. publ. institutiones* [14], Romae, 1892 ; CAVAGNIS, *Institutiones juris publici ecclesiastici,* Romae, 1898 [3], 1906 [4], cum app. de Concordato napoleonico pro Gallia ; BIEDERLACK, *Institutiones jur. eccles. de fundamentali ecclesiae constitutione,* Romae, 1907 ; BACHOFEN, *Summa juris eccles. publ.,* Romae, 1910 ; Auctores de Statu et Ecclesia, cf. HAMMERSTEIN, *De Ecclesia et Statu,* Treviris, 1886 ; MOULART, *L'Église et l'État* [4], Louvain, 1895 ; CAPPELLO, *Errori modernistici nello studio del diritto publico ecclesiastico,* Roma, 1912 ; S. HARENT, *Le modernisme et l'origine du pouvoir ecclésiastique,* in *Nouv. rev. théol.,* 1908, t. XL, p. 385 ss.; LECLER, *Erreurs des modernistes, concernant les relations de l'Église et de l'État,* in *Collationes Namurcen.,* 1908-1909, t. VIII, p. 137 ss.; AICHNER [10], *o. c.,* p. 65 ss.; WERNZ, *o. c.,* I, p. 10 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 3 s., 27 ss., ubi ampla bibliographia ; HERGENROETHER-HOLLWECK, *o. c.,* p. 1 s.

127. — Materia et ordo dicendorum. In hoc libro fundamentali disserimus de principio, cui veluti fundamento jus totum innititur, nempe *de natura Ecclesiae,* qua societatis perfectae a CHRISTO Domino institutae. Nobis autem animus non est de Ecclesia CHRISTI omnes illas agitandi quaestiones, quas theologi ex professo pertractant ; eas tantum proponimus, quae *ad statum publicum et politicum Ecclesiae* seu ad Ecclesiae jus sociale pertinent. De Ecclesia igitur dicimus *qua societate,* proprium suum regimen propriamque suam constitutionem habente.

Traditis initio hujus libri elementis et speciebus societatis generatim sumptae, indicatisque regulis servandis in statu conflictus, derivatur Ecclesiam esse proprie dictam societatem ; proponuntur dein Ecclesiae dotes et forma constitutiva ; tandem exhibentur relationes Ecclesiam inter et Statum civilem, sive oriantur ex natura utriusque societatis, sive ex jure communi et hodierna praxi, sive ex concordatis.

CAPUT I.

DE SOCIETATE IN GENERE.

ART. I. — Natura societatis.

Auctores. MEYER, *Institutiones jur. naturalis,* t. I, p. 296 ss., Freib.-Br., 1885 ; CAVAGNIS, *o. c* [3]., t. I, p. 21 ss.; BIEDERLACK, *o. c.*, p. 13 ss.; BACHOFEN, *o. c.*, p. 12 ss.

128. — **Definitio:** Societas est *conjunctio plurium hominum, mediis communibus ad communem stabilemque finem concurrentium.*

Quatuor igitur requiruntur et sufficiunt elementa ad societatem constituendam; nempe *a/ pluralitas* hominum, materia societatis ; *b/* moralis eorum *conjunctio,* forma societatis, quae habetur cognitione et appetitione *c/ finis* alicujus stabilis et per seriem actuum obtinendi. Qui finis debet esse bonum unum, commune et honestum, et determinat *d/ media* aliquo modo communia ad finem consequendum.

Sed in ordine reali, attenta natura materiae et cooperationis socialis [1], ut moralis conjunctio membrorum in persequendo communi fine sit et perseveret, insuper necessaria est in societate *potestas,* qua dirigatur [2].

129. — *Praecipuum autem societatis elementum est finis.* Nam finis communis est ratio propria et essentialis omnis unionis moralis qua entia rationabilia socialiter uniuntur. Illa conjunctio moralis habetur intelligentia et voluntate, et quemadmodum intelligentiae inter se uniuntur in communi objecto cognito, ita voluntates in communi bono intento. Hinc ex fine societatis, adaequate considerato una cum sua causa efficiente seu auctore qui eum proposuit et modo quo fuit praestitutus, determinantur :

1° *Ipsa natura seu specificatio societatis.* Et revera « determinare alicujus rei essentiam, idem est ac assignare notam aliquam eidem intrinsecam et immutabilem, quae sit ei unice propria. Atqui nota intrin-

---

1. MEYER, *o. c.*, p. 300 ; cf. THOMAS, *De regimine principum,* L. I, c. 1, textus apud MEYER, p. 302.

2. Leo XIII : « Neque existere neque intelligi societas potest in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut velut unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat ». (Encycl. *Diuturnum,* 29 junii 1881). « Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur ». (Const. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885).

seca, et immutabilis, quae singulis societatibus sit unice propria, non potest esse nisi *finis ;* quia, ex quatuor elementis duo priora, id est multitudo hominum eorumque conjunctio, quatenus in se spectantur, abstractione facta a fine, *sunt communia generi ;* tertium autem, id est media, non est, ut statim dicemus, per se determinatum, insuper aliis etiam potest esse commune : contra vero quartum, id est finis, in societatum genere est plane indeterminatum, determinatur autem tantum in singulis societatibus, ita ut uniuscujusque sit *unice proprium.* Ergo ex fine tantum essentia societatum determinari potest. Quae vero societates inter se distinctae sunt, et nihilominus eumdem adaequate finem habent, eae sunt totidem repetitiones ejusdem societatis, quae non natura, sed numero distinguntur [1]. » Hinc si finis spiritualis, et societas spiritualis ; si finis necessarius, et societas necessaria est ; si finis subordinatus aut supremus, et societas subordinata aut suprema est.

2° *Potestas socialis,* seu complexio jurium quae pro sua natura societati competunt. Jus enim est facultas moralis ad illud, quod ad rationis normam alicui competit ; ast in qualibet societate quidquid alienum est a fine non est ad rationis normam, quia non habet rationem sufficientem, siquidem ratio sufficiens societatis tota est in fine. Ergo jura omnia, quae pro sua natura societati competunt, prodeant ex fine necesse est.

3° *Media societatis.* Haec enim in se determinari nequeunt, sed tantum pro varia finis necessitate ex eorum proportione et sufficientia ad illius assecutionem ; quia media sunt natura sua ad finem ordinata, ita ut eatenus tantum expetantur et bonitatem sortiantur quatenus ad finem conducant.

4° *Relationes sociorum ad societatem ;* nam societas habet rationem medii pro consociatis ad assecutionem sui finis. Hinc qualis est eorum relatio ad finem, talis est relatio ad societatem ad eum ordinatam. Hinc, si finis est liber, et societas est voluntaria ; si finis est necessarius ad quem societas determinata ut medium adaequatum habetur, et ipsa societas est necessaria. Si jus ad finem est absolutum, et jus ad societatem quae illum procurat absolutum est [2].

5° *Relationes societatum inter se,* attento, ordine finium.

ART. II. — Variae societatis species.

Variae sunt societatis *species,* quarum scitu utiliores pro scopo nostro referimus [3].

1. TARQUINI, *o. c.*, l. I, n° 7 et 14 ; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 24.
2. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 25.
3. MEYER, *o. c.*, p. 317.

130. — 1° Societas est vel *universalis*, vel *particularis*. Homines natura conjuncti efficiunt lato sensu societatem universalem, quae jus tantum imperfectum vi naturae sociis tribuit. Societas vocatur *particularis* seu hypothetica, quando aliqui vel pacto vel lege divina in coetum uniuntur.

Inter has praecipuae sunt : *a/* familia seu societas *domestica*, ad conservationem generis humani per procreationem obtinendam constituta, sic dicta eo quod quasi *una domo* contineatur, quae complectitur societatem *paternam, conjugalem* et *herilem*, quaeque sub paterna potestate bonum simpliciter humanum, temporale et spirituale, curat pro gradu perfectionis individuis necessariae ; *b/* societas *civilis*, quae ad tuitionem et custodiam juris, quo gaudent homines ut entia socialia utendi mediis quibus eos instruxit Divina Providentia ad prosequendam omnimodam suam temporalem in terris felicitatem, sub civili potestate constituitur ; et *c/* societas *religiosa*, quae ad bonum spirituale procurandum ac aeternam in coelis assequendam beatitatem a potestate ecclesiastica dirigitur. Societas religiosa una est vera, Ecclesia nempe Romano-Catholica, de qua sola nobis infra sermo.

131. — 2° Societas est vel *temporalis* vel *spiritualis*, prout finis ejus, directe et immediate intentus, est vel bonum humanum et temporale, seu felicitas temporalis sociorum ; vel bonum spirituale sociorum, seu singulorum sanctitas et aeterna beatitudo.

132. — 3° Societatis, sive temporalis, sive spiritualis, est vel *libera* seu *voluntaria, pactitia* vel *necessaria* seu *legalis*, prout originem habet consensionem sive pactum sociorum vel legem fundatoris. Prima, secundum se considerata, ut sit vel non sit, prorsus pendet ab arbitrio sociorum ; alia nititur naturae necessitate vel positiva Dei dispositione, prout est societas legalis juris naturalis (v. gr. societas domestica) aut juris positivi divini (Ecclesia). A necessariis se abstinere sine piaculo fundatoris subditi non possunt ; voluntariis vero nulla est obligatio sese adscribendi.

Hinc *a/* quamvis conceptus societatis involvat ideam causae qua exstiterit, causa tamen illa non est determinata, nec eadem pro omni societate. Consequenter falso nonnulli affirmarunt omnes societates esse *pactitias ;* sicut errarent illi, qui dicerent omnes societates esse *necessarias*.

b/ Societatis finis, natura, interna constitutio, duratio, jura et officia sociorum pendent ab origine seu causa unde ipsum *esse* sortitur ; haec enim determinantur vel per socios, si societas est pactitia ; vel per fundatorem, si est legalis.

c/ Societatis legalis fundamentale principium est, in ea nihil posse membra contra voluntatem fundatoris.

133. — 4° Societas est *aequalis,* seu aequalium, vel *inaequalis,* seu inaequalium, prout in ea abest, vel adest relatio quae existit inter superiores et inferiores. « Societas aequalis eo ab inaequali distinguitur quod in illa cuncti socii respectu societatis administrandae atque regendae per se aequalibus juribus fruuntur, in hac vero uni vel aliquibus e sociis speciali jure sociale regimen competit [1] ».

In societate *legali* necessario adest illa relatio fundatorem inter et socios, sed potest adesse vel abesse, juxta voluntatem fundatoris, inter ipsa societatis membra. Quae voluntas proinde diligenter est investiganda.

134. — 5° Omnis societas, sive necessaria sive libera, est vel *perfecta,* vel *imperfecta,* seu *intrinsece completa* vel *incompleta* [2].

a) *Perfecta seu intrinsece completa* illa est quae habet finem proprium ac in genere suo completum et consequenter in eodem genere *sibi sufficit* seu jus sufficiens habet ad omnia media necessaria ad finem illum consequendum. Attamen ut societas perfecta dici possit, necesse non est ei *realiter* inesse omnia media ad finem obtinendum ; sed sufficit quod ei insint *virtualiter,* ita scilicet ut ea proprio jure possit repetere ab alia societate ratione finis subordinata sive directe sive indirecte, quae proinde facultatem non habet aut ea negandi aut suo judicio rem dirimendi.

Perfectio igitur societatis desumitur a suo fine in se completo. Etenim, talis finis est aliquod bonum humanum in suo genere completum, quod ad appetitum humanum in eo genere explendum sufficit seu quod comprehendit genericam totalitatem boni humani et non ad specialem aliquam partem ejusmodi boni coarctatur. Non est pars alterius boni ejusdem ordinis, nec medium ad aliud bonum homogeneum ; ut sunt libertas et sanitas partes felicitatis temporalis, et divitiae medium ad bonum temporale procurandum.

Jamvero bonum in se completum est in eo genere sibi sufficiens, quia in eo genere complectitur omnia sive ut partes sive ut media.

Atqui jus societatis est proportionatum ejus fini.

Ergo societas habens ut finem bonum in suo ordine completum, fruitur in suo ordine jure pleno seu sibi sufficit [3].

---

1. MEYER, *o. c.,* p. 318.
2. MEYER, *o. c.,* p. 318 s.; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 31 ; WILMERS, *o. c.,* p. 4 ; TARQUINI, *o. et l. c.,* n° 42.
3. CAVAGNIS, *o. c.,* p. 31.

Hinc, quum hominum multitudo non possit efficaciter ad finem communem dirigi nisi adsit auctoritas quae α) media, quae ad finem conducunt, obligatorio modo proponat, β) ea quae proposita sunt, rite, id est, juxta eum modum ac sensum quo fuerint proposita, applicet, et γ) renuentes eadem applicare vi adhibita cogat, impedientes coerceat ; liquet in omni societate perfecta vi suae naturae existat oportere triplex potestas publica, legifera nempe, judiciaria et coactiva.

b) *Imperfecta* societas dicitur quae non habet sibi propositum finem in ordine suo completum ; quae proin et ipsa incompleta est et quoad jus non est sibi in suo ordine sufficiens : inde media ad finem suum consequendum in se non habet, sed in eorum oeconomia ab alia societate pendere cogitur, cui integrum est ea negare vel saltem judicare utrum praestari debeant necne.

135. — 6° Omnis societas est *dependens,* vel *independens,* prout ratione finis alteri societati subordinatur, vel non.

Societas independens est illa quae in prosecutione sui finis in suo genere completi et in usu mediorum ad finem gaudet externa suae potestatis independentia (souveraineté). Quae perfectio societatis extrinseca eruitur ex fine ejusdem ; nam bonum in suo genere completum est in eodem independens, quia ad aliud ejusdem generis non ordinatur. Atqui jus societatis est proportionatum fini [1].

Attamen ad rationem suprematiae non requiritur independentia *absoluta,* sel *relativa* seu in genere suo, quae excludit dependentiam directam ab alia societate. Duplex etenim distinguitur unius societatis ab altera dependentia, una *directa,* alia *indirecta.*

Directa est, cum aliqua societas alteri subest *ratione sui,* eo quod illa societas prosequatur ut *finem* bonum aliquod quod habet rationem *partis* ad alterius societatis finem. Hujus generis dependentia non obtinet nisi inter societates in *eodem ordine finium* constitutas, quarum una *integraliter* seu universaliter prosequitur finem eumdem qui ab altera *partim* tantum intenditur. Societas inferior respectu superioris ejusdem generis, cujus nutu in prosecutione sui finis regitur, dicitur *subalterna et absolute dependens.*

Indirecta est, cum una societas alteri subest non ratione sui sed *ratione finis nobilioris* qui in *alio ordine* ab altera societate intenditur, eo quod una societas bonum aliquod ut finem prosequatur, quod *medii* rationem habet ad alterius superioris societatis finem ; unde fit ut societas indirecte dependens, quamvis libera sit et independens in suo ordine, debeat

1. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 32.

tamen in prosecutione finis sui rationem habere finis alterius societatis, ita ut hujus prosecutionem non impediat, imo quantum fieri possit et necessitas exigat propriis viribus promoveat. Ut ergo haec indirecta dependentia inter duas societates *in suo sed diverso ordine* completas existere valeat, requiritur ut una habeat finem inferiorem et subordinatum fini alterius.

136. — **Nota.** Natura societatis *personarum individualitatem* non tollit. Id maxime verum est de societate spirituali quae tum formam suam socialem ac regulas ordini externo servando necessarias, tum singulorum membrorum sanctitatem et salutem curare debet ; quaeque proin duplex habet forum, nempe *externum,* in quo publicum societatis ordinem tuetur, et *internum,* in quo singulorum conscientias dirigit ad finem suum supernaturalem. Quare si societas quaedam spiritualis sit ab omni alia independens, independens ea erit non tantum in foro interno, sed etiam in externo.

ART. III. — De statu conflictus.

137. Duae societates dicuntur esse in *statu conflictus,* cum una finem suum prosequi nequit, quin alteram impedire videatur. Conflictus profecto oriri potest, potissimum inter societates perfectas, independentes, iisdem coalescentes membris, cujusmodi sunt Ecclesia et Status civilis. Quo casu, ut definiatur utra debeat praevalere, *regulae* proponuntur sequentes [1] :

1° In primis videndum est *ad cujusnam societatis ordinem res, de qua ambigitur, pertineat.* Judicium autem de ordine, in quo res versatur, spectat ad societatem, quae *excellentiorem finem* habet, reservato quoad inferiorem jure ea, quae sui intersunt, exponendi. Absurdum enim esset boni minoris gratia majus bonum in discrimen vocare. Atqui vocaretur, nisi in re dubia judicium societati superiori ratione finis reservatum esset. Sed etiam judicium rectum ferri nequit, nisi libratis hinc inde rationibus ; ideo audiri debent ii, quorum interest.

2° Si illa ratione lis componi nequeat, *amica conventio* tentari potest. Sed haec ita iniri debet, ut nihil statuatur contrarium utriusque societatis fini et constitutioni.

3° Si neutro ex praecedentibus modis concordia iniri possit et summo jure agere velit utraque societas, tunc praevalere debet illa, quae altioris ordinis finem habet. Hanc regulam sic probat P. Tarquini :

« Ex duabus obligationibus eidem subjecto inhaerentibus, quae in

---

1. Cf. BIEDERLACK, *o. c.,* p. 37.

conflictum devenerint, ea praevalere debet, quae majus bonum tuetur. Atqui duae vel plures societates iisdem membris coalescentes, rationem habent plurium obligationum eidem subjecto inhaerentium. (Neque enim aliud est societas, nisi hominum multitudo hoc sub respectu considerata, quod mutuam obligationem iidem susceperint sive ultro, sive imperio ejus qui eam legitime imponere potuit, conferendi vires suas ad certum finem consequendum.) Ea autem societas majus bonum tuetur, quae altioris ordinis finem habet. Ergo ex duabus societatibus, quae in conflictum devenerint, ea superare debet, quae altioris ordinis finem habet [1] ».

Nec dicatur, quod ita una societas constituatur dependens ab altera. Etenim non declaratur finis unius inferior fine alterius in eodem ordine ; sed indagatur utrius finis, caeteris paribus, sublimior sit magisque necessarius ; quo indagato, ratio ipsa manifestum esse ostendit ei societati, adeoque potestati, esse favendum, quae eo modo sublimior magisque necessaria est. De summo jure agitur ; medium solvendi difficultatem adsit oportet ; aliunde autem peti nequit [2].

CAPUT II.

DE INSTITUTIONE ECCLESIAE UT SOCIETATIS.

Auctores.. *Vide supra* n. 37, nota 5. WILMERS, *o. c.*, p. 28 ss.; STRAUB, *o. c.*, I, p. 18 ss., 229 ss.; VAN DER MEERSCH, *De Stichting der Kerk (Geloofsonderricht,* A, n° 33), Brugge, 1912 ; VACANDARD, *L'institution de l'Église par le Christ,* dans *Études de critique et d'histoire religieuse,* 2 sér[2]., Paris, 1910 ; *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Église* ab Y. DE LA BRIÈRE, 1re partie ; BATIFFOL, *L'Église naissante et le catholicisme*[5], Paris, 1911, ubi attingitur controversia nuper agitata inter * HARNACK, *Verfassung u. Recht der alten Kirche,* Leipzig, 1910 et * R. SOHM, *Kirchenrecht,* I, Leipzig 1892 et *Wesen u. Ursprung des Katholicismus*[2], Leipzig, 1912 ; cf. etiam *Revue d'histoire ecclésiastique,* 1911, t. XII, p. 501 ss.; 1912, t. XIII, p. 752 ; *Der Katholik,* 1911, 4 folge, t. VII, p. 411 ss. * ACHELIS, *Das Christentum in den ersten drei Jahrhunderten,* Leipzig, 1912 ; * TURNER, *Studies on early Church History,* Oxford, 1912 ; MORAN, *The government of the church in the first century. An essay on the beginnings of christian ministry,* Dublin, 1913 ; LIETZMANN, *Zur altchristlichen Verfassungsgeschichte,* in *Zeitschrift f. wissenschaftliche Theologie,* 1913, neue Folge, t. XX, p. 97 ss.; *Essays on the early History of the Church and the Ministry,* by various writers. Edited by * H. B. SWETE. London, 1917 (Cf. *Les Études,* 1919, t. CLX, p. 5 ss.) ; DUBLANCHY, *Enseignement de la tradition chrétienne des quatre premiers siècles, sur la primauté pontificale,* in *Rev. thomiste,* 1920, nouv. sér., t. III, p. 236 ss., 349 ss.

1. L. I, n° 34.
2. Vide infra, n° 201.

138. — I. **Definitio Ecclesiae.** Ecclesia vi nominis quod est a graeco ἐκκαλέω [1], *convoco,* latine sonat convocationem, aggregationem vel ipsos convocatos seu coetum personarum evocatarum. Apud nos est coetus Christifidelium, qui in terris vivunt, ac definitur a Bellarmino [2] : *Coetus hominum, ejusdem fidei christianae professione et eorumdem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue* CHRISTI *in terris Vicarii, Romani Pontificis* [3].

Ex hac definitione patet Ecclesiae inesse omnia societatis elementa. Etenim *a/* exprimuntur pluralitas et conjunctio membrorum, seu socii : *coetus hominum ; b/* insinuatur finis : nam finis Ecclesiae idem est ac Religionis christianae, seu sanctitas et aeterna beatitudo, per professionem verae fidei et sacramentorum communionem obtinendus ; *c/* indicantur media ad finem : *professio fidei* et *sacramentorum communio ; d/* tandem potestas : *sub regimine* etc.

139. — II. **Probatur.** Jam vero si semel constiterit CHRISTUM omnia illa elementa positiva sua voluntate determinasse, manifeste apparebit Ecclesiam a CHRISTO fuisse institutam ut veram et proprie dictam societatem. De ea autem per CHRISTUM designatione elementorum constat.

CHRISTUS enim determinavit : 1° *socios* ; omnium enim temporum, omnium locorum homines voluit fieri Ecclesiae suae membra. Ab ipso CHRISTO instituta et missa fuit Ecclesia ad docendas *omnes gentes ;* ad praedicandum Evangelium *omni creaturae* [4]. Docere igitur debet et individuos et status, cujuscumque sint formae.

« Talis est natura sua (np. Ecclesiae), ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta [5] ».

2° *Finem communem et stabilem,* proximum sc. singulorum perfectionem et sanctitatem ; remotum et mediatum per priorem obtinendum, æternam beatitudinem. Ecclesia enim saepe dicitur *regnum Dei, regnum coelorum* [6], regnum non mere spirituale et internum, nec mere eschatologicum et coeleste, sed regnum sub forma sociali et externa operans in terris sanctificationem animarum et ad regnum coeleste disponens [7].

---

1. Cf. STRAUB, 1, p. 5 ; VACANDARD, *o. c.,* p. 37 ss.
2. *Disputationes de controversiis christianae fidei,* t. II, l. III, c. 2, n° 9, Pragae, 1721.
3. Cf. 1 resp. lect. XII catechismi nostri flandrici.
4. Matth. XXVIII, 19, 20 ; Marc, XVI, 15.
5. Const. *Immortale Dei,* Leonis XIII.
6. 5. *Dict. Apologétique de la foi cath.,* l. c. : VAN MIERLO, *Het Godsrijk door Jesus gepredikt* (*Geloofsonderricht,* A, n° 26). Brugge, 1912.
7. Cf. Const. cit. *Immortale Dei.* Cf. *Collat. Brugen.,* 1908, t. XIII, p. 318 ss.; BACHOFEN, *o. c.,* p. 27.

3° *Media ad finem,* quorum praecipua sunt : fidei professio externa [1] ; sacramenta, Baptismus in primis, et Eucharistia [2] ; relatio mutua inter membra et subjectio debita praepositis [3], quae omnia vincula sunt quibus fideles in unam societatem mutuo junguntur.

4° *Potestatem* seu *imperium* [4] quod est in ordine reali principium unitatis ad ipsam societatem efficiendam et conservandam et cui potestati respondet ex parte sociorum obligatio audiendi, suscipiendi sacra et in disciplina christiana obedientiam praestandi.

Hoc imperium comprehendit : *a/* potestatem docendi seu *magisterium* [5], et quidem cum praerogativa infallibilitatis, qua donatur et ipsa Ecclesia, et caput ejus visibile, R. Pontifex e cathedra loquens. « Docemus, ait Conc. Vaticanum [6], et divinitus revelatum dogma esse definimus : Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit ; per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse. — Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit, anathema sit ». *b/* Potestatem regendi seu *jurisdictionem* [7] ; *c/* Potestatem ordinis seu *ministerium* [8].

Haec omnia confirmantur ex eo quod CHRISTUS Ecclesiam suam expresserit typis formam socialem referentibus, typis sc. *regni, civitatis, ovilis, gregis, corporis.*

In Codice juris canonici apparet Ecclesia ut societas juridice perfecta, utpote quae ipsi jure proprio et nativo competat triplex potestas legislativa, judicialis et coercitiva necessaria consecutioni sui finis (can. 196, 1553, 2198 ; 2214, § 1.)

Ad rem facit etiam canon 100, § 1. « Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina.»

140. — Errores. Rejicienda est assertio modernistarum contendentium

---

1. Marc. VIII, 38 ; Luc. XII, 8 ; ad Hebr., XI, 6 ; ad Roman. X, 10.
2. Matth. XXVIII, 19, 20 ; Marc. XVI, 15 ; Joan, III, 5 ; I Cor. XII, 13.
3. Matth. XVIII, 16 ss.; Ephes. IV, 1-16 ; I Cor. XII.
4. Matth. XVI, 13-19 ; Joan. XXI, 1-17. Cf. STRAUB, *o. c*, p. 18 ss.; VANDERMEERSCH, *o. c.*, p. 9 s.
5. Matth. XXVIII, 19 ss.
6. Sess. IV, cap. 4. Cf. Const. *Auctorem fidei,* prop. 2 et 3.
7. Joan. XX, 21-23 ; Matth. XVIII, 15.
8. Matth. XXVI ; Joan. XIII.

Ecclesiam nihil esse nisi partum *conscientiae collectivae* seu partum consociationis conscientiarum singularum [1].

CAPUT III.

DE DOTIBUS ECCLESIAE.

141. — Acturi de qualitatibus, quae ex originaria Ecclesiae natura ipsi a CHRISTO indita profluunt, articulum inscribimus de *dotibus,* potius quam de *proprietatibus* aut *notis* [2] Ecclesiae, ut hoc ipso praemoneantur auditores, nos non easdem prorsus ac theologos qualitates proponere, utque ita vitetur rerum confusio. Nobis enim de qualitatibus quae nobis exhibent ipsam essentiam *societatis* christianae disserendum est, non tam relate ad *caeteras societates seu sectas religiosas,* quam relate ad *societates civiles.*

ART. I. — Ecclesia Christi est societas spiritualis.

142. — Ecclesiam CHRISTI esse societatem *spiritualem* [3], et non temporalem, satis manifeste colligitur ex dictis de ejus institutione per specialem et creaturae indebitum interventum Dei, ex fine tum proximo, tum remoto, necnon ex mediis ad finem, quae omnia vel ex se, vel saltem ratione finis supernaturalia sunt ; nam ad finem spiritualem, videlicet ad salutem et beatitudinem aeternam, collimant. « Haec societas, quamvis ex hominibus constet,... tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est, et spiritualis [4] ».

ART. II. — Ecclesia Christi est societas externa.

143. — I. **Sensus.** — Vera Ecclesia CHRISTI, ut sic, est visibilis et externe manifestata in quibusdam suis elementis essentialibus [5].

II. **Probatur.** *Ex dictis supra* [6]. Haec enim est natura Ecclesiae a CHRISTO institutae, ut qua talis, compluribus elementis manifestis ad essentiam pertinentibus, se prodat tamquam societatem externam.Etenim *a/* Ecclesia est societas instituta per Deum, Hominem visibilem factum ; constans non spiritibus tantum sed hominibus veram Religionem profitentibus, sub regimine legitimorum pastorum, potestatem docendi, sanc-

1. Encycl. *Pascendi,* 7 sept. 1907, ap. *Collat Brugen.,* 1907, t. XII, p. 614 s.
2. Cf. *Collat. Brugen.,* 1907, t. XII, p. 748 ss.
3. Cf. *Collat. Brugen.,* 1908, t. XIII, p. 436 ss.
4. Const. *Immortale Dei.*
5. WILMERS, *o. c.,* p. 58 s.; STRAUB, *o. c.,* t. II p. 589 ss.
6. N° 138.

tificandi, regendi per actus extrinsecus apparentes exercentium ; et quae discernitur ab aliis coetibus religiosis notis essentialibus et visibilibus sanctitatis, apostolicitatis, unitatis et catholicitatis [1]. *b/* Media ad finem Ecclesiae consequendum pleraque sunt externa, et quidem talia quibus membra in unum corpus externe colligantur ; nempe, fidei professio externa [2] ; cultus externus ; sacramenta, quae signa sunt externae consociationis ; relatio externa inter ipsa membra, quae ex voluntate CHRISTI fidem profiteri et sacramenta recipere debent sub regimine Apostolorum eorumque successorum, quaeque CHRISTUS voluit conjuncta esse in charitate [3].

Alia argumenta, afferuntur in *praelect. theol. dogm. gen.* [4].

ART. III. — Ecclesia Christi est societas legalis, seu necessaria.

144. — I. **Sensus.** Hujus propositionis duplex est sensus, uterque verissimus. Unus : Ecclesia constituta est non ex pactione hominum sed *per voluntatem imperantem* legislatoris CHRISTI ; alter : Ecclesia ex lege CHRISTI est ab omnibus *necessario ineunda,* necessitate praecepti et medii, re aut voto.

II. **Probatur.** Posterior sensus dilucide probatur et explicatur in *prael. theol. dogm. gen.* [5].

Quoad sensum priorem, adversus Protestantes duo sunt stabilienda ; nempe 1° CHRISTUM, non *doctoris* tantum, sed *veri legislatoris* seu praecipientis, auctoritatem habentis, munus obivisse ; 2° CHRISTUM hoc eodem munere functum esse in instituenda Ecclesia sua [6].

A. *Primum* assertum probatur ex *Sacra Scriptura.*

a/ In veteris Testamenti libris et nomen et officium legislatoris CHRISTO tribuitur ; nam Is., XXXIII, 22, dicitur : Dominus enim *judex* noster, Dominus *legifer* noster, Dominus *rex* noster ; et Jer., XXX, 9, dicitur *Rex* suscitandus a Domino [7].

b/ In novo Testamento CHRISTUS partim abrogavit partim perfecit legem Mosaicam eique substituit legem Evangelicam, quod certe solius imperantis et legislatoris est [8]. Dein in Evangelio passim loquitur de

1. *Dict. apolog. de la foi cath., l. c.,* col. 1268 ss.
2. Ad Rom. X, 10.
3. Joan. XVII, 6 ss.; I Cor. X, 16.
4. Cf. STRAUB, *o. c.,* p. 594 ss.
5. WILMERS, *o. c.,* p. 648 ss.; STRAUB, *o. c.,* t. I, p. 282 ss.
6. FEYE, Tract. autogr. *de Ecclesia,* p. 49.
7. Cf. etiam Ezech. XXXIV, 23 ; XXXVII, 24 s.; Os. III, 5.
8. Luc. XVI, 16 ; Matth. XIX, 7 ss.

suis mandatis et praeceptis, de sua lege [1]. His adde quae de dignitate legislatoris CHRISTI habet S. Paulus [2]. Quare merito Concilium Tridentinum [3], definit : *Si quis dixerit,* CHRISTUM JESUM *a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant : anathema sit.*

B. Probatur *secundum.* Auctoritate usus, legislatoria sua potestate determinavit CHRISTUS omnia Ecclesiae suae elementa.

a/ Modo auctoritativo determinavit *coetum* seu multitudinem membrorum, habita ratione personarum, locorum et temporum. Antequam Apostolos suos mittat in mundum universum, ad potestatem suam provocat dicendo : *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* [4]. Quod idem est ac praecepisse ut christiana societas institueretur.

b/ Determinavit *finem* communem, nempe salutem aeternam, et praecepit finem obtinendum per cultum Religionis, tum quoad partem theoreticam, tum quoad partem practicam [5] ; et ita quidem praecepit ut supplicium aeternum minatus sit iis qui finem non attingerent.

c/ Praecepit *media* adhibenda : tulit legem Baptismi [6] et Eucharistiae [7] ; imperavit fidei professionem [8] ; praecepit opera charitatis [9] ; et super haec omnia voluit ut fideles ad praefixum finem in usu mediorum dirigentur per Apostolos eorumque successores : his enim amplissimam dedit potestatem docendi, baptizandi et conficiendi sacramenta, regendi et pascendi, ligandi et solvendi.

145. — III. **Conclusio.** His positis, merito dicimus Ecclesiam stare lege CHRISTI ; eamque esse quia CHRISTUS voluit ut esset, et talem esse qualem ipse voluit. Unde sequitur :

1° Principium Ecclesiae constitutivum non esse a jure naturae vel gentium repetendum, sed a positiva voluntate CHRISTI.

2° Falsam esse doctrinam Protestantium, qui ex erroneo principio quod CHRISTUS non legislatoris, sed doctoris dumtaxat munere sit

---

1. Joan. XIV, 15 ; XV, 10, 12 ; Matth. XXVIII, 20.
2. Ad Hebr. c. II et III.
3. Sess. VI, can. 21.
4. Matth. XXVIII, 18-20.
5. Marc. XVI, 15-16 ; Matth. XXVIII, 20.
6. Joan. III, 5 ; Marc. XVI, 16 ; Matth. XXVIII, 19-20.
7. Joan. VI, 54 ; cf. Evangelistas de institutione Eucharistiae ; I ad Corinth. XX, 16, 17.
8. Luc. XII, 8 s., coll. Matth. X, 32 et Marc. VIII, 38.
9. Matth. XXV.

functus, deducunt Ecclesiam esse societatem pactitiam, originemque habere a libera ecclesiasticarum communitatum confoederatione.

3° Juri conventionali locum nullum in Ecclesia esse, quoad ea omnia quae CHRISTUS ipse determinavit, sed quoad ea tantum, quae superioribus Ecclesiae determinanda reliquit.

146. — Scholion. Ex caractere societatis legalis et necessariae sequitur Ecclesiam esse societatem *juridicam,* erga quam homines per susceptionem baptismi contrahunt obligationes juridicas respondentes potestati ab ipso CHRISTO constitutae.

ART. IV. — Ecclesia Christi est societas inaequalis.

147. — I. **Sensus** propositionis est, in Ecclesia non omnia membra aequalibus juribus gaudere, sed eam ita a suo divino fundatore fuisse ordinatam, ut, hierarchia divinitus instituta, in illa esse debeant superiores qui imperant, inferiores qui obedire tenentur [1].

II. **Probatur** 1° *ex facto ipsius* CHRISTI, qui tum missionem, tum rerum sacrarum administrationem, tum veram regiminis auctoritatem S. Petro et Apostolis solis, eorumque in sacerdotio et officio commisso successoribus immediate contulit [2].

2° *Ex dictis et factis Apostolorum.* Hanc potestatem divinitus sibi traditam non solum dictis [3], verum etiam factis Apostoli confirmarunt. Namque ipsi, non ut meri nuntii aut privati doctores, sed ut praediti a CHRISTO auctoritate legislatoris et judicis, concilia celebrarunt, de fide et moribus decreta ediderunt, leges disciplinae tulerunt, latasque abrogarunt, Pastores et ministros in diversis hierarchiae gradibus instituerunt, in reos et contumaces animadverterunt [4]. Exinde concludi potest Ecclesiam, tempore primitivae communitatis Hierosolymitanae et Palestinensis, jam habuisse caracterem organicum et hierarchicum realiterque separatam esse a Synagoga ; tempore dein ministerii universalis apostolorum, stare et exerceri auctoritatem magisterii et regiminis collegii apostolici cum primatu Petri, quae transmittitur legitimis successoribus et operatur unitatem socialem et visibilem Ecclesiae universalis [5].

---

1. FEYE, *o. c.*, p. 57 ss., qui suo tempore optime de hac re disseruit contra BOEHMER, BICKELL, RICHTER et alios ; WILMERS, *o. c.*, p. 96 ss.; STRAUB, *o. c.*, I, p. 335 ss.; *Diction. apolog. de la foi cath., l. c.*, col. 1248 ss.

2. Joann. XX, 21 ; XXI, 15-17 ; Matth. XXVIII, 18 ; XVIII, 15 ss.; Const. cit. *Immortale Dei;* cf. HAMMERSTEIN, *o. c.*, p. 15 ss.

3. V. g. Act. XV, 41 ; XVI, 4 ; I Thess. IV, 2 ; II Thess. III, 14 ; II Cor. XIII, 10.

4. Cf. Act. VI, VIII, XIV et XX ; I Tim. I et III ; Tit. I, 6 ss.

5. *Dict. apolog., l. c.*, col. 1251 ss.; HAMMERSTEIN, *o. c.*, p. 36 ss.

3° *Ex testimoniis.* SS. Patres et scriptores ecclesiastici, quorum scripta ad nos pervenerunt, testantur formam Ecclesiae catholicae saeculo I et II fuisse inaequalem et hierarchicam. Habemus itaque consensum in facto asserendo testium numero plurimorum, qui scientia, veracitate et pietate clari, scripserunt in diversis et longe dissitis regionibus. Hujus consensionis ratio alia dari non potest, quam *doctrina biblica et prisca traditio;* nec adaequata ratio originis hierarchiae universaliter constitutae inveniri potest in lucta adversus gnosticos et montanistas, cum explicite testentur Ecclesiae constitutionem hierarchicam et catholicam Clemens Romanus et Ignatius Antiochenus, huic duplici crisi tempore anteriores. Hac de re, non tamquam doctores, sed tamquam hujus facti testes, loquuntur SS. Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Polycarpus, Hegesippus, Dyonisius Corinthi, Aberkios, Irenaeus, Cornelius, deinde Clemens Alexandrinus, Tertullianus et Origenes [1].

Testatur ergo historia duorum priorum saeculorum existentiam Ecclesiae catholicae inaequalis et hierarchicae, a tempore Victoris et Irenaei, a tempore Petri et Pauli, a tempore ipsius JESU CHRISTI. Utique post christianismi exordia magis manifestatur, magis in secundariis explicatur auctoritas externa et socialis ecclesiae, sed remanentibus essentialibus a CHRISTO institutis [2].

148. — III. **Objectio.** CHRISTUS dedit Apostolis potestatem, eamque ipsi exercuerunt ; sed illa potestas, in Ecclesiae primordiis necessaria, vita functis Apostolis, exstincta est. Ergo.

R. Ea opinio Protestantium nullo argumento stabilitur, et est manifeste contraria SS. Litteris et rationi. *SS. Litteris,* cum CHRISTUS ipse significaverit, potestatem Apostolis traditam perpetuo duraturam esse [3]. Praeterea SS. Litterae jubent, non modo Apostolis, verum etiam suis *praepositis* unumquemque obedire et subjectum esse ; ex quo perspicuum est Ecclesiae praepositis potestatem esse imperandi [4]. *Rationi ;* si enim Apostolorum aetate necessaria erat potestas, qua Ecclesia regeretur, illa aeque necessaria fuit sublatis Apostolis, quia par est utriusque temporis ratio, ne sc. Ecclesia sine certa gubernatione et imperio relinqueretur ; ex quo maxima rerum confusio orta esset, nec diu stare potuisset christiana societas [5].

149. — IV. **Errores.**. *Ex probatis deducitur* 1° falsam esse opinionem Protestantium, qua contendunt in Ecclesia aliam relationem superiores

1. *Diction. apolog., l. c.,* col. 1262 ss.
2. *Ibid.,* col. 1268.
3. Matth. XXVIII, 18-20.
4. Cf. ad Heb. XIII, 17 ; Act. XX, 28. Cf. etiam I Tim. IV, 11 ; V, 19 ; Tit. II, 15.
5. Cf. HAMMERSTEIN, *o. c.,* p. 45.

inter et inferiores non esse, nisi eam, quae existit inter doctores et auditores, vel saltem quae ab hac parum differt.

2° Falsum esse systema Marsilii Patavini († 1340) [1], qui saeculo XIV in suo libro *Defensor Pacis,* docuit CHRISTUM quidem potestatem ecclesiasticam instituisse, sed eam contulisse toti coetui fidelium, a quo postea fuit delegata principibus, si essent fideles, sin infideles, Episcopis.

3° Falsum esse systema Richerii († 1631) [2], qui saeculo XVII, in libello *De ecclesiastica et politica potestate,* inter alia docet, potestatem sacram a CHRISTO proprie, primario et essentialiter traditam esse toti fidelium coetui ; Papae vero, Episcopis et Presbyteris instrumentaliter et quoad executionem.

4° Idem asserendum de doctrina eorum, qui Richerismum postea instaurarunt, ut sunt Jansenistae [3], inter quos Quesnellus, et neo-canonistae Germani, inter quos Febronius [4] primas partes tenet.

5° Illas ecclesias CHRISTI non esse, quae non sunt constitutae juxta formam inaequalem.

6° In Ecclesia fundamentale esse principium, nihil posse inferiorem contra voluntatem superioris.

7° Solis superioribus ecclesiasticis competere potestatem *magisterii,* quae res fidei et morum docet atque definit ; *ministerii,* qua sacramenta resque sacras administrat ; *imperii* seu *regiminis,* quae ad Ecclesiae gubernationem spectat sibique conjunctam habet auctoritatem leges condendi, judicandi et puniendi.

8° Ad eosdem pertinere reformationem rerum ecclesiasticarum, et jus conventionale, quatenus in Ecclesia admitti potest.

9° Ecclesiam CHRISTI principio auctoritatis totam inniti. Cum autem natura legislationis necessario sequatur naturam societatis cujus est legislatio, haec quoque principio auctoritatis innitatur necesse est.

---

1. Cf. infra n° 156, 2°. V. textus et bibliographiam ap. GALANTE, *Fontes jur. can. selecti,* p. 205 ss.; *Staatslexikon,* v°, *Marsilius von Padua ;* BUCHBERGER'S *Kirchliches Handlexikon,* ibid.; *Realenzyclop. für Protest. Theol.,* ibid.; NOËL VALOIS, *Jean de Jandun et Marsile de Padoue, auteurs du « Defensor pacis ».* (Extr. de l'*Histoire littéraire de France,* t. XXXIII), Paris, 1906 ; W. MULDER, *De « Defensor pacis »,* in *Studien,* 1908, t. LXX, p. 182 ss.; EMERTON, *The « Defensor Pacis » of Marsiglio of Padua. A critical Study,* Cambridge, 1920 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 55.

2. Cf. easdem encyclopedias, v° *Richer.* Cf. P. At. *Histoire du droit canon gallican,* Paris, 1905 ; Rapp. du Sém. hist. de Louvain, 1908-1909, *Annuaire,* 1910, p. 474 s.; A. DE MEYER, *Les premières controverses jansénistes en France* (1640-1649), Louvain, 1919.

3. Cf. Bibliographiam ap. GALANTE, *o. c.,* p. 259 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 60 ; Rapp. du Sém. hist. de Louvain, 1904-1905, 1910-1911, *Annuaire,* 1906, p. 409 ss.; 1912, p. 432 ss.

4. Cf. ROESCH, *Das Kirchenrecht im Zeitalter der Aufklärung (Febronianismus u. Josephinismus)* in *Arch. für kath. Kirchenrecht,* 1903, t. LXXXIII, p. 446 s.; 620 ss.; 1904, t. LXXXIV, p. 56 ss., 244 ss., 495 ss.; 1905, t. LXXXV, p. 29 ss.; STUEMPER, *Die Kirchenrechtliche Ideen des Febronius,* Aschaffenburg, 1909 ; SAEGMUELLER, *Das Naturrecht im offiziellen Kirchenrecht der Aufklärung,* in *Theol. Quartalschrift,* 1912, t. XCIV, p. 58 ss.; GALANTE, *o. c.,* p. 261 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 61 ; Rapp. du Sémin. hist. de Louvain 1909-1910, *Annuaire,* 1911, p. 485 ss.

10° Falsissima esse quae a modernistis excogitantur de origine, forma et limitibus potestatis ecclesiasticae, sc. auctoritatem in Ecclesia e conscientia collectiva fidelium vitaliter emanare eique subesse, et ideo, ea nostra tempestate, democraticis formis uti debere[1]. Merito etiam damnata est Decreto *Lamentabili*[2] theoria Loisy[3], in prop. 52 et 55 enuntiata : « Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere velut societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam ; quinimo in mente CHRISTI regnum coeli una cum fine mundi jamjam adventurum erat » et « Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia. »

ART. V. — Ecclesia Christi est societas perfecta, adeoque independens.

Auctores. FEYE, *o. c.*, p. 71 ; HAMMERSTEIN, *o. c.*, p. 73 ; WILMERS, *o. c.*, p. 133 ; CAVAGNIS[3], *o. c.*, p. 104 ss.; PAQUET, *Droit public de l'Église*, p. 69, Québec, 1908 ; STRAUB, *o. c.*, t. II, p. 484 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 6 ss.

150. — I. Probatur Ecclesiam Christi esse societatem intrinsece perfectam.

Etenim ea societas dicenda est perfecta quae finem habet proprium et completum, et consequenter ex se aptitudinem ad illum finem consequendum[4]. Hujusmodi autem societatem esse Ecclesiam ex positiva voluntate fundatoris probatur.

1° CHRISTUS, munere legislatoris fungens et vera auctoritate usus, instituit Ecclesiam hoc fine ut in ea et per eam homines salutem aeternam consequantur. Atqui finis ille est bonum hominis plenum et supremum. « Nati susceptique homines omnes sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta, ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit[5]. » Ergo non potest habere rationem partis vel medii respectu finis alterius societatis. Ergo est finis completus, et quidem Ecclesiae proprius quum extra eam attingi nequeat.

2° Insuper, ex eadem CHRISTI voluntate, Ecclesia instructa est *omnibus mediis* necessariis ad finem illum consequendum. Hoc probatur *a/ directe :* supra enim vidimus CHRISTUM Dominum modo auctoritativo

---

1. Encycl. *Pascendi*, ap. *Coll. Brugen.*, 1907, t. XII, p. 614 ss.
2. 4 jul. 1907, ap. *Coll. Brugen.*, l. c., p. 526.
3. SAEGMUELLER, *Loisy und das Kirchenrecht*, in *Arch. für kath. Kirchenr.*, 1904, t. LXXXIV, p. 467 ss.
4. Cf. supra n° 134.
5. Const. *Immortale Dei.*

varia media determinasse, et instituisse in Ecclesia magistratus ipsi proprios, cum plenissima et efficacissima potestate fideles in ordine salutis gubernandi et media in finem dirigendi. Ergo CHRISTUS revera voluit ut Ecclesia, in prosequendo suo fine, esset sui juris, ut propria auctoritate seipsam regeret et omnia media ad finem in se et per se, pleno et proprio jure, haberet. *b/* Idem probatur *indirecte,* et quidem duplici modo : 1° Si, fide docente, Ecclesia est societas instituta pro consecutione finis ultimi supernaturalis, hinc absurdum est eam carere mediis aut ea accipere juridice debere ab alia societate. Etenim jus ejus ad finem est absolutum et illimitatum, cum sit finis perfectus absolute necessarius et ei subordinentur ceteri fines. Ergo jure adhibet media omnia suo judicio necessaria et ea habet realiter aut saltem virtualiter [1]. 2° Absurdum est asserere CHRISTUM Deum non sufficienter Ecclesiae suae providisse. Non providisset autem si non constituisset Ecclesiam suam instructam omnibus facultatibus quibus valeret finem suum attingere, sed contra, eam ita ordinasset ut deberet media ad finem suum necessaria exspectare ab arbitrio alterius societatis, np. civilis. Major patet ; probatur minor ex eo quod « si media ad finem Ecclesiae consequendum penderent ab alia societate, id est, a societate civili, *a/* recta Ecclesiae administratio fere precaria esset ; b/ ejusdem unitas pro varietate consiliorum variarum societatum civilium in perpetuo discrimine versaretur ; c/ per tria priora saecula, hodieque etiam in regionibus infidelium, Ecclesia ipsa suis hostibus fuisset dedita. Atqui id profecto est, non bene eidem providisse. Ergo, nisi CHRISTUS Ecclesiam suam constituisset societatem perfectam, non bene eidem providisset, quod est absurdum [2]. »

Ergo Ecclesia « societas est genere et iure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat [3]. »

151. — II. **Probatur Ecclesiam Christi esse societatem plane independentem.**

Propugnamus igitur Ecclesiam talem esse societatem quae neque *directe,* neque *indirecte* a societate civili dependeat.

152. — A. Quod Ecclesia non dependeat *directe,* probatur, 1° *ex ipso fine Ecclesiae.* Ex dictis [4] illa societas non est ab alia directe dependens quae habet finem in alio ordine seu genere distincto ac

1. CAVAGNIS, *o. c.,* p. 110.
2. TARQUINI, *o. c.,* l. I, n° 44.
3. C. *Immortale Dei.* Quoad argumentum traditionis, cf. STRAUB, *o. et l. c.,* p. 487 ss.
4. Supra, n° 134.

diverso ab eo in quo est finis alterius societatis. Atqui Ecclesiae finis toto ordine seu genere differt a fine societatis civilis. Hujus enim finis est tranquillitas, ordo, felicitas temporalis civium. Finis autem Ecclesiae est tum fidelium supernaturalis perfectio et sanctitas, tum sempiterna felicitas. Ergo Ecclesia non dependet directe a Statu, nec potestas ecclesiastica a civili. Proinde non competit Principi *jus in sacra* seu non potest potestas civilis sese immiscere in directione et administratione mediorum quibus Ecclesia finem suum prosequi debet.

2° *Ex sacra Scriptura.* In sacris litteris, multa inveniuntur dicta vel facta ipsius CHRISTI vel Apostolorum quibus luculenter probatur positivam CHRISTI voluntatem esse ut Status seu potestas civilis nullum jus habeat sibi arrogandi quamcumque partem in regimine Ecclesiae. Sic :

a/ CHRISTUS voluit ut societas quam ipse in terris constituit sit *universalis et una* [1]. Atqui illae notae *universalitatis* et *unitatis* simul sumptae subsistere nequeunt cum dependentia directa Ecclesiae a societate civili. Deficit enim Status ab universitate subjecti obnoxii ; deficit in thronis suis a constantia et perennitate ; deficit ab unitate et identitate regiminis ; et ideo, si potestati civili subjecta esset potestas ecclesiastica, brevi unitas regiminis plane deesset, et Ecclesia discerperetur in tot societates diversas quot sunt regna et nationes diversae, atque tot essent potestates supremae in Ecclesia quot sunt reges [2].

b/ CHRISTUS Dominus magistratibus a se constitutis eorumque successoribus *potestatem* dedit *tam amplam* et *tam absolutam,* quae cum dependentia a potestate civili stare nequeat [3].

c/ CHRISTUS, qui ipse, post multas a regibus excitatas in se persecutiones, *invitis principibus,* Ecclesiam suam instituit, regimen ipsius Petro et Apostolis a se electis, *nulla de principibus facta mentione,* concredidit. E contrario eos mittendo, CHRISTUS non tantum hanc statuit legem fundamentalem : *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo,* secundum quam, relicta principibus integra rerum profanarum cura et administratione, ea quae ad religionem et salutem animarum spectant, ad Ecclesiae principatum revocavit ; verum etiam praedixit fore ut a regibus ipsi propter Evangelium variis cruciatibus aliquando afficerentur ; iisdemque instanter commendavit ut illos eorumque supplicia nunquam timerent. Atqui, si a laica potestate penderet ecclesiastica potestas, nec potuisset CHRISTUS illud prius praedicere, nec potuisset hoc posterius commendare.

---

1. C. *Immortale Dei.*
2. CAVAGNIS, *o. c.,* p. 111 s.; PALMIERI, *De Ecclesia,* p. 119.
3. PALMIERI, *l. c.;* CAVAGNIS, *o. c.,* p. 116.

d/ Confirmant *testimonia et facta Apostolorum,* qui profecto CHRISTI mentem assecuti sunt et voluntatem divini sui magistri fideliter executioni mandarunt. S. Paulus, tametsi frequenter de regimine Ecclesiae loquatur, nusquam tamen reges et principes saeculares tamquam potestatem in ea gerentes, sed passim Apostolos et Episcopos nominat[1]. Ideo Apostoli, dum de rebus Ecclesiae agebatur, principibus restiterunt, atque multa circa res sacras auctoritate statuerunt et praescripserunt, absque ullo principum interventu:

e/ Confirmatur *historiae ecclesiasticae testimoniis.*

Haec ratio est, cur ab initio antistites fidelesque principibus in Ecclesiam sibi potestatem assumentibus, obedire noluerunt, et Patres contra imperantes civiles sacra invadentes vocem extulerunt. Ut inter plures unum citemus, S. Gelasius (492-496) scripsit ad Anastasium[2]: « Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur : auctoritas sacrata Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expectas, inque sumendis coelestibus sacramentis eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse, itaque inter haec ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae... legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites... ; quo, oro te, decet affectu eis obedire, qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis ? »

Quam quidem doctrinam professi sunt multi reges atque imperatores, etiam pessimi[3].

153. — B. Quod autem neque *indirecte* dependeat Ecclesia a societate civili[4], sequitur ex eo quod finis ipsius, nedum sit inferior ac subordinatus, e contra sit superior ac magis necessarius fine societatis civilis. Finis enim Ecclesiae est *supremus,* et ultimatim ab ipsis membris societatis civilis obtinendus. Jamvero societates se habent inter se sicut fines earum. Ergo, « sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus

---

1. Act. XX, 18 ; Eph. II, 27 ; IV, 11. Confirmatur ex defectu tituli a parte principis ut sibi partes vindicet in administratione Ecclesiae. Cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 8 ss.
2. Epist. ad Anastasium imperat. MIGNE, *PL.,* t. LIX, col. 42. Cf. GALANTE, *Fontes jur. can. selecti,* p. 114, juxta JAFFÉ-WATTENBACH, n° 632. Cf. etiam quoad hunc textum a Gallicanis mutilatum, MOULART, *o. c.,* p. 165, nota (4). V. alias auctoritates ap. STRAUB, *o. et l. c.,* p. 487 ss.; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 118.
3. STRAUB, *o. et l. c.,* p. 492 ; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 126.
4. STRAUB, *o. c.,* t. II, p. 496 ss.; PAQUET, *o. c.,* p. 174 ss.

est, ita ejus potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia [1]. »

154. — Objectiones. 1° Ecclesia necessario pendet a Statu civili : *a/* Ecclesia enim non habet territorium ; et *b/* saltem si distributim sumatur, est pars societatis civilis, in cujus sinu coalescit, juxta verba S. Optati Milevitani : « Non enim respublica est in ecclesia, sed ecclesia in republica est [2] ».

R. Ad *a/* : Ecclesia non habet territorium, id est, non habet locum, ubi jure pollet exercendi potestatem sibi divinitus collatam : *neg.* Territorium quidem pertinet ad principes civiles, ut temporalem curent suae societatis finem et politicum in eo exerceant dominium, sed pertinet quoque alio titulo ad Ecclesiam, ut finem suum, qui est supremus, et cui temporalis subordinatus esse debet, prosequatur et in eo religiosum explicit dominium, directe in spiritualia, indirecte in temporalia subditorum. Cum autem nemo sit hominum qui fine Ecclesiae non adstringatur, ideoque Ecclesia sit societas natura et institutione sua catholica, *totus terrarum orbis* est territorium Ecclesiae, juxta ipsam divinam voluntatem expressam [3]. In objectione falso supponitur jus in aliquo territorio esse indivisibile ; adeo ut qui dominus est, talis sit quovis sub respectu ; quod non verum est ; etenim jus in territorio oritur ex titulo illud conferente ; sed titulus potest conferre dominium privatum quin conferat politicum, et politicum quin conferat ecclesiasticum [4].

Ad *b/ :* negatur 1° suppositum. Supponunt enim adversarii Ecclesiam, cum de ejus natura ac juribus agitur, distributim sumi posse, ita ut tot fere corpora habeat quot sunt societates in quibus vivit, quod est falsum. Ecclesia enim, quamvis dividatur in Episcopatus, Archiepiscopatus, etc., una est non modo unitate fidei et charitatis, verum etiam unitate finis atque regiminis, sub communi omnium capite Romano Pontifice, adeoque una unitate corporis.

2° Etiamsi Ecclesia distributim sumeretur, nullo tamen modo dici posset Ecclesias particulares esse partes societatis civilis. Etenim finis utriusque societatis est omnino diversus; ex finis autem diversitate merito concluditur ad diversitatem societatum, et consequenter ad diversitatem

---

1. C. *Immortale Dei.* Cf. testimonia Patrum Romanorumque Pontificum ap. STRAUB, *o. et l. c.*, p. 506 ss.
2. *De Schismate Donat.* l. III, n° 3, ap. MIGNE, *PL.*, t. XL, col. 999 s.
3. Matth. XXVIII, 18-20 ; Marc. XVI, 15.
4. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 146 ; STRAUB, *o. et l. c.*, p. 508. Opinio contraria damnata est decreto S. Officii a. 1649, approbato ab Innocentio X : « Summi Pontifices ferunt leges in alieno territorio quando constitutiones mittunt in regionibus diversis a Statu Pontificio ». Iterum damnata fuit a Clemente XI Const. *Accepimus*, d. d. 11 junii 1715, *Bull. Romanum. Amplissima coll.* Romae, t. XI,, P. II, p. 36 ss.

partium earum ; nam pars debet esse ejusdem naturae ac suum totum. Dein, finis Ecclesiae est multo excellentior, nam est supernaturalis ; adeoque repugnat ut in fine inferiori, praesertim naturali, contineatur.

Perperam praeterea ab adversariis objici auctoritatem S. Optati, cujus verba alio omnino sensu sunt exponenda [1].

155. — *Obj.* 2° Duae societates iisdem membris coalescentes quarum utraque *perfecta* est, et consequenter duae potestates *summae* in eadem civitate, quemadmodum duo in eodem corpore capita repugnant ; quod aliis verbis tradit axioma : *Status in Statu repugnat.* Insuper inde frequens oriretur conflictus et maxima necessario nasceretur confusio. Jam vero societas civilis ex omnium gentium consensu perfecta est, ejusque potestas summa. Ergo Ecclesia non est societas perfecta, ejusque potestas nec summa est, nec esse potest.

R. *Dist.* Status in Statu repugnat, si ad unum eumdemque finem contendunt : *conc.* Si ad diversum finem : *subd.* Dum agitur de finibus sibi absolute oppositis : *conced. ;* dum vero agitur de finibus coordinatis, ita ut finis unius sit subordinatus fini alterius et existant principia solutionis difficultatum : *neg.*

Jam vero *a/* Ecclesia non habet eumdem finem ac societas civilis, sed plane diversum ; *b/* earumdem fines sibi invicem non opponuntur, sed mirifice se mutuo adjuvant ; *c/* fines illi inter se sunt coordinati, ita ut finis societatis civilis Ecclesiae fini subordinatus sit [2], adeo ut *d/* praesto sint certissima principia solutionis conflictuum.

Quapropter, si qui oriantur conflictus, ex regulis ab ipso jure naturali propositis facile poterunt componi ; et quoniam societas civilis et ecclesiastica non Status in Statu, sed duo Status in una civitate sunt, diversi omnino generis et naturae, iique coordinati, omnis pugna tollitur atque rerum confusio ex finis et objecti diversitate [3].

---

1. TARQUINI, *o. c.*, l. I, n° 57 ; MOULART, *o. c.*, p. 175 ; STRAUB, *o. c.*, p. 509. In hoc libro confutatur calumnia Donatistarum, qua accusabantur Christiani quod vellent subjicere Ecclesiam imperatori. Contextus, dein, clarissime probat S. Optatum non Ecclesiam veluti partem societati civili obnoxiam habere ; sed asserere tantum orandum esse pro principe imperii romani ut pacifice cum ipso conversentur christiani : « Non enim respublica est in ecclesia, sed ecclesia in republica est, id est, in imperio romano... ubi et sacerdotia sancta sunt, et pudicitia et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt ; et si essent, tuta esse non possent », propter hanc rationem ergo quod de facto Ecclesia, tunc limitibus Imperii Romani contenta, ibi libertate et securitate verissime frueretur.

2. Infra probabitur fines Status et Ecclesiae se mutuo adjuvare et inter se coordinatos esse.

3. TARQUINI, *l. c.*, n° 46 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 11 s. Solutiones aliarum objectionum, notatim ex factis principum quorumdam in negotiis ecclesiasticis gerendis, et ex « Monarchia Sicula », et ita porro, invenies ap. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 130-172 ; STRAUB, *l. c.*, p. 507-514 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 11 ss.

Ceteroquin si conflictus oriantur, hoc non provenit ex imperfectione constitutionis societatis religiosae et civilis, sed ex malitia hominum, frequentissime ex ambitione principum et usurpationibus Status.

156. — Errores. Ex his deducitur : 1° merito proscripsisse Pium IX, in *Syllabo,* sequentes propositiones :

Prop. XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis ; sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura et limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Prop. XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet, absque civilis gubernii venia et assensu.

Prop. XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt ; quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione, et dispositionibus, ad ea suscipienda necessariis, decernere.

Prop. LI. Imo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Prop. LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Cf. etiam propositiones XXXIII, XXXVI, XXXIX, XLI, XLV ad XLVIII, L, LII, LIII, LXVIII ad LXXI et LXXIV.

2° Falsum esse systema Marsilii Patavini, qui adjutus opera Joannis Janduni, docebat in jam citato [1] libro *Defensor pacis,* an. 1324, potestatem ecclesiasticam proprie et primario competere communitati ; hanc potestatem translatam fuisse in principes, si essent fideles ; sin infideles, in Episcopos, non tamen sine subjectione tum populo ipsi, tum principibus.

3° Rejiciendam esse doctrinam Gallicanorum, qui adhaerent Declarationi dictae cleri gallicani an. 1682 [2], Jansenistarum, Regalistarum, Josephistarum, Pistoriensium et aliorum, qui juribus Ecclesiae ita detrahunt, ut res, si non spirituales, at certe spiritualibus annexas, et *disciplinam Ecclesiae externam* potestati civili subjiciunt.

4° Rejicienda esse, inter alia systemata Protestantium [3], *a/ episcopale,* quo jura episcopalia, non exceptis juribus pontificiis, principibus tribuuntur, quibus pertinent sive jure nativo (restitutivo), sive devolutivo ; *b/ territoriale,* quod innititur hisce principiis : *Ecclesia est in Statu ; Cujus est regio, illius est de religione dispositio.* Hoc systema principi civili non praecise summi Episcopi dignitatem adscribit, sed ipsi jurisdictionem sacram tribuit in omnes ecclesias particulares sui territorii, jure quodam naturali et intrinseco, sc. vi imperii territorio et statui inhaerentis ; atque

1. Textus ap. GALANTE, *o. c.,* p. 205-207.
2. Textus ap. GALANTE, *o. c.,* p. 259 s. Cf. WERNZ, *o. c.,* I², p. 39.
3. Cf. FEYE, *o. c.,* p. 74 ss. (optima tractatio) ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 59 ; BACHOFEN, *o. c.,* p. 32 ; WERNZ, o. c., p. 38. Cf. etiam *Kirchenlexikon, Staatslexikon,* v^is *Episcopal-, Territorial-, Kollegialsystem.*

ita regimen ecclesiasticum partem potestatis civilis constituit ; *c/ collegiale,* quod vult Ecclesiam nihil aliud esse, nisi quamdam membrorum aequalium collectionem, seu collegium sub inspectione et directione Status.

Collegii autem nomine communiter intelligitur societas quaedam minor et imperfecta, respectu alterius societatis majoris et perfectae, intra quam continetur ; v. g. societas negotiatorum in aliqua societate civili. Inde systema collegiale civili potestati tribuit jus dirigendi Ecclesiam, sicut dirigit caetera collegia et privatorum civium actiones. In hoc systemate jura alia sunt *collegialia,* quae collegio, seu coetui fidelium pro tempore saltem competunt ; alia *majestatica,* seu *jura Imperantis circa sacra,* quae ad principem spectant ex ipsa potestatis majestaticae natura.

Ad *jus circa vel in sacra,* quod tanquam sequela unius alteriusve systematis proponitur et a Gallicanis aliisque fuit admissum, pertinent *a/ jus cavendi* et *inspectionis,* quod extendunt ad relationes cum Sede Apostolica, placetum regium (seu exequatur), recursum vel appellationem ab abusu, visitationes, examina alumnorum seminarii, electionem vel nominationem ad officia vel beneficia, acquisitionem, vel administrationem bonorum, *b/* jus *advocatae* seu *protectionis* seu *tuitionis,* quod fere ad omnia extendunt.

Nota. Ex his colligitur errores modernos (ut quidam in Articulis Organicis Concordati anni 1801) circa relationes Ecclesiam inter et Statum civilem magnam haberi affinitatem cum systemate collegiali a Puffendorf et Pfaff invento et a Boehmero vulgato[1].

ART. VI. — Ecclesia Christi est qualibet societate superior.

Fontes. GALANTE, *o. c.,* p. 71-321 ; EICHMANN, *Kirche u. Staat. (Quellensammlung,* I), 750-1122, Paderborn, 1912.

Auctores. FEYE, *o. c.,* p. 98 ss.; MOULART, *o. c.,* p. 215 ss.; HAMMERSTEIN, *o. c.,* p. 144 ss.; VANDENBERGHE, *o. c.,* p. 17 ss.; BIEDERLACK, *o. c.,* p. 63 ss.; BACHOFEN, *o. c.,* p. 131 ss.; BOECKENHOFF, *Katholische Kirche u. moderner Staat,* p. 72, Köln, 1911, 2 ed., 1920; STRAUB, *o. c.,* II, p. 49 ss.; *Collat. Brug.,* 1908, t. XIII, p. 583 ss.; PAQUET, *o. c.,* p. 179 ss.; BILLOT, *Tract. de Ecclesia Christi.* T. II, *de habitudine Ecclesiae ad societatem civilem,* p. 64. Prati, 1910.

157. — Status quaestionis. Quoniam quaecumque ab hominibus legitime expetuntur, ea vel aeterna, vel temporali felicitate continentur ; quaelibet, quam ineunt, societas ad Ecclesiam vel societatem civilem reduci debet. Quamobrem societates omnes his inferiores, respectu habito ad Ecclesiam sunt vel *homogeneae,* seu Ecclesiae partes, eumdem ac Ecclesia saltem partialiter finem habentes, v. g. ordo aliquis religiosus ; vel *heterogeneae,* seu partes societatis civilis, quandoquidem finem ab Ecclesiae fine diversum sequantur ; cujusmodi v. g. sunt collegia militum, negotiatorum, etc.

Praesens igitur controversia tota reducitur ad superioritatem Ecclesiae

---

1. Cf. FEYE, p. 76 ss.; HAMMERSTEIN, p. 131 ss.

respectu societatis civilis seu Status. Etenim nullum dari potest dubium, quin societates homogeneae sint Ecclesiae inferiores, utpote hujus partes. Dein si ostendatur ipsam societatem civilem esse Ecclesia inferiorem, idem a fortiori concludetur de societatibus heterogeneis, quandoquidem istae sint ipsius societatis civilis partes.

158. — Probatur. Superioritas duplex considerari potest : *una dignitatis* et honoris ; altera *auctoritatis* et jurisdictionis.

Pars 1ª. Ad **primatum dignitatis** quod spectat, Ecclesia praecellit Statui, *a/ratione originis;* hic institutionis juris naturalis, illa institutionis juris supernaturalis est ; *b/ ratione extensionis ;* territorium Ecclesiae est universus terrarum orbis ; territorium vero cujuslibet Status limitibus est circumscriptum ; *c/ ratione constitutionis ;* Ecclesia fundata est supra leges aeternas et immutabiles ; Status vero supra leges humanas et mutationi obnoxias ; *d/* et praecipue *ratione finis ;* etenim societas civilis felicitati temporali quaerendae vires intendit ; Ecclesia vero felicitati spirituali et adeptioni vitae aeternae.

159. — *Pars 2ª.* Praeterea Ecclesia prae societate civili pollet primatu **auctoritatis** seu **jurisdictionis.**

Omnes catholici admittunt principes subjici jurisdictioni *fori interni* Ecclesiae, tam pro actibus privatis quam publicis. Sed quaestio ponitur num potestas civilis subjiciatur *jurisdictioni externae et sociali Ecclesiae* seu ipsius potestati legislativae, judiciali et coercitivae et quibusnam in limitibus. Jamvero :

I. **In rebus spiritualibus** potestas temporalis, si christiana est, seu omnes qui effectivo modo huic participant subjiciuntur *directe* potestati externae et sociali Ecclesiae.

Probatur 1° *ex S. Scriptura.* Vetus Testamentum praenuntians potestatem Salvatoris et Novum Testamentum hanc nobis exhibens, talibus utuntur verbis, quibus aperte demonstratur CHRISTUM habere potestatem supremam non tantum in individuas personas sed in nationes et gentes qua tales et duces earum [1].

Atqui CHRISTUS hanc suam potestatem, antequam ascendit ad coelos, suis apostolis, eorumque successoribus delegavit [2]. Ergo.

2° *Traditione.* Hanc nobis doctrinam proponunt Patres, Pontifices, Ecclesiae Doctores [3], inter quos sufficiat citare S. Thomam [4] : « Potestas spiritualis et saecularis, utraque deducitur a potestate divina ; et

1. Is., XI, 10 ; II, 12 ; LV, 3 ; Agg., II, 7-8 ; Dan., VII, 27 ; Luc., I, 32 ; II, 32 ; Apocal., I, 5 ; XVII, 14. Cf. MOULART, *o. c.*, p. 220 ss.
2. Matth., XXVIII, 17-20 ; Joan., XX, 21.
3. STRAUB, *o. c.*, II, p. 498 ss.
4. S. Theolog., 2, dist. 44, q. 2, a. 3 expos. text. ad 4.

ideo in tantum saecularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in his quae ad salutem animae pertinent ; et ideo in his magis obediendum potestati spirituali quam saeculari. In his autem quae ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati saeculari quam spirituali, secundum illud Mat. XXII, 21 : Reddite quae sunt Caesaris Caesari. »

Objicitur. Persona privata principis christiani est subjecta Ecclesiae, non vero persona publica ; quia potestas civilis uti societas civilis est ex jure naturae. Essentialiter ergo aliena est et independens a Revelatione et Ecclesia.

Resp. 1° In hoc habetur manifesta contradictio. Si actus principis civilis essentialiter alieni sunt ab Ecclesia, quomodo subjecti admittuntur foro interno Ecclesiae; quomodo praeterea princeps christianus existere posset defensor Ecclesiae et SS. Canonum ?

2° Falso nititur principio : utique societas civilis est ex jure naturae, sed inde concludi tantum potest Revelationem non esse necessariam existentiae societatis civilis. Sed supposita revelatione, religione, et auctoritate catholica, illico exsurgit dependentia auctoritatis civilis a Revelatione et Ecclesia.

3° Absurda est distinctio inter personam publicam et privatam. Una est persona principis et individui, principium actuum utriusque qualitatis.

160. II. **In temporalibus** seu in proprio ordine videndum est qua ratione societas civilis ab Ecclesia pendeat [1].

A. **Status quaestionis.** Nimis longum esset hac de controversia pro rei gravitate disserere ; non inutile tamen erit pauca quaedam de ea hic subjicere.

Ex pluribus iisque luculentissimis monumentis notius est, quam ut

1. Cf. supra n. 127 ; *Collat. Brugen.*, 1908, t. XIII, p. 583 ss., 672 ss., *Collat. Namurcen.*, 1908-1909, t. VIII, p. 295 ss.; 1909-1910, t. IX, p. 14 ss.; PAQUET, *o. c.*, p. 202 ss.; SCHULTES, *Die Autoritaet der Kirche in weltlichen Dingen*, Mainz, 1912. Ulterior bibliographia apud SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 36, 41 s. — Sub respectu historico, conspectus generalis ap. SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 51 ss.; BACHOFEN, *o. c.*, p. 126 ss. ; WERNZ, *o. c.*, t. I², p. 32 ss.; HERGENROETHER-KIRSCH, *Kirchengeschichte*, t. II ⁴, p. 336 ss. Cf. HERGENROETHER, *Kath. Kirche und christlicher Staat*, Freib.-Br., 1873-1874 ; BAUDRILLART, *Des idées qu'on se faisait au XIV^e s. sur le droit d'intervention du Souverain Pontife en matière politique*, in *Rev. d'hist. et de littérature religieuses*, 1898, t. III, p. 193 ss., 309 ss.; SOLMI, *Stato e Chiesa, (800-1102)*, Modena, 1901 ; CARLYLE, *Mediaeval political theory in the West*, 3 vol., Edimburg, 1903-1915; SMITH, *Church and State in the middle ages*, Oxford, 1913 ; VON GIERKE, *Les théories politiques du moyen-âge*, trad. par JEAN DE PANGE, Paris, 1914 ; KAUFMANN, *Kaisertum u. Papsttum bis Ende des 13 Jahrh.* (*Weltgeschichte*, ed. v. PFLUGK-HARTTUNG, Extr.) Berlin, 1909 ; ARNAUD d'Agnel, *Benoît XV et le conflit européen*, t. II. *A la lumière de l'histoire*, Paris, 1917.

probari debeat, vel ab initio medii aevi, RR. Pontifices sese in rebus civilibus non raro immiscuisse ipsosque plus semel principes saeculares, sua potestate in Ecclesiae et animarum detrimentum abutentes, non modo monuisse et increpasse, aut etiam censuris constrixisse, sed imo regia dignitate et jure regnandi privasse [1].

Verum, notum etiam est auctores maxime dissentire in assignando jure quo RR. Pontifices id praestiterint : alii dicunt jure *humano ;* alii vero jure *divino ;* alii tandem *utroque mixto.*

161. — B. **Variae sententiae.** 1° Qui primam sequuntur sententiam generatim docent totum et solum illius potestatis fundamentum ponendum esse *in jure publico,* quod tunc receptum erat [2]. Tempore medii aevi, ait Baudrillart [3] : « Le Pape était dans le monde le gardien-né de l'unité chrétienne. En outre, à l'époque où la société féodale avait achevé de se constituer, c'est-à-dire au XI[e] siècle, la force des choses, la logique des principes, et même, à l'occasion, l'intérêt et le besoin des princes et des peuples, — nullement une vulgaire ambition, — avait amené le Souverain Pontife à se considérer comme la tête de cette hiérarchie, qui ne pouvait se passer de tête ni en avoir deux. » Status catholici Europae efformabant quamdam Christianam Rempublicam, cujus caput habebatur S. Pontifex. Vi hujus tituli judex erat conflictuum inter principes et subditos, reges laesae religionis reos coram tribunali suo attrahebat, excommunicatione mulctabat, eosque dignitate et imperio privabat.

Hoc systema, quod dicunt *historicum* [4], probatur [5] : *a) ex crebris illis ab antiquissimo inde tempore excommunicationis latis sententiis,* in quibus RR. Pontifices *ab omni ditione regni, absque ulla spe recuperationis,*

---

1. Cf. BARRY, *The papal deposing power* in *the Dublin Review,* 1907, p. 221 ss.; HEINER, *Das Recht der Fürstenabsetzung einst u. jetzt,* in *Hist. polit. Blätter,* 1909, p. 169-184, 168-182. Non est haec interventio assignanda ambitioni, errori aut usurpationi RR. Pontificum, qui hac sua praerogativa usi sunt in bonum societatis religiosae et civilis. Cf. MOULART, *L'Église et l'État,* p. 196 ss.; BAUDRILLART, *o. c.,* p. 195 s.

2. Cf. quoad expositionem juris publici, bibliographiam, supra n. 160 ; HARING, *Kirche u. Staat,* p. 43 ss., München, 1907 ; HERGENROETHER-KIRSCH, *o. c.,* t. II, p. 181 ss.; BAUDRILLART, *o. c.,* p. 195 ; HUGELMANN, *Die deutsche Koeningswahl im corpus juris canonici,* p. 1 ss.; Breslau, 1909. V. etiam P. FABRE, *Le Liber censuum de l'Église Romaine,* Paris, 1892 ; C. DAUX, *Le cens pontifical dans l'Église de France,* in *Rev. des questions histor.,* 1904, t. LXXV, p. 5 ss. Certe hac in quaestione attendendum est ad jura quae in re temporali habuerunt RR. Pontifices vi juris publici christiani tempore medii aevi vel quae sibi acquirere potuerunt titulo humano. Inde autem minime efficitur omnia jura Ecclesiae in temporalia in se esse mere humana et historica. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 36 s.

3. *O. c.,* p. 195.

4. Cf. v. SCHERER, *o. c.,* t. I, p. 54, nota 1 ; MOULART, *o. c.,* p. 209 ; FEYE, *o. c.,* p. 109.

5. Cf. SOGLIA, *o. c.,* p. 303 s.

principes removerunt ; ea quidem ratione, quia id *humanarum legum testabatur auctoritas.*

b) Ex ipso principum facto, qui suis legibus hoc jus RR. Pontificibus et palam admiserunt et sanctione confirmarunt.

c) Ex populorum omnium consensu, qui medio aevo professi sunt, hanc RR. Pontifices habere praerogativam *ex speciali quodam jure,* ut aiebant ; quod aliud jus non erat, nisi illud publicum, de quo loquimur [1].

2° Plerique vero AA. catholici contra Gallicanos [2] propugnant fundamentum ac radicem praefatae potestatis R. Pontificis esse in *jure divino.* At circa qualitatem et extensionem illius inter se non conveniunt.

162. — a) *Systema potestatis directae.* Alii enim *directam* jure divino potestatem R. Pontifici in civile principum regimen competere putant. Juxta hanc opinionem, accepisset R. Pontifex immediate a Deo plenissimam potestatem gubernandi universum mundum, tum in spiritualibus, tum in temporalibus ; ita tamen ut debeat per se exercere potestatem spiritualem, principibus vero committere temporalem seu civilem. Principes itaque sunt Ecclesiae ministri, qui potestate sua uti debent juxta ordinem a Deo stabilitum ; alias ea per Ecclesiam privari possunt. Unde cum RR. Pontifices medii aevi reges deponebant, id plena illa potestate a CHRISTO tributa faciebant, qua ligatum erat quidquid ligassent, solutumque quidquid solvissent [3].

163. *b) Systema potestatis indirectae.* Alii vero, ad explicandam agendi rationem RR. PP. medii aevi, tamquam fundamento nituntur doctrinae, ab auctoribus catholicis communiter receptae, de *indirecta* Ecclesiae seu Romani Pontificis potestate in temporalia regum.

Hujus doctrinae sectatores arbitrantur RR. Pontifices, quamvis, ut tales, nullam habeant directe et immediate temporalem potestatem ; ratione potestatis suae spiritualis et *juxta exigentiam finis supernatu-*

---

1. Cf. textus ap. SOGLIA, *o. et l. c.*
2. Cf. MOULART, *o. c.*, p. 188 ss.
3. Cf. patronos hujus sententiae citatos ap. SUAREZ, *Defensio fidei catholicae,* l. III, c. 5 ; BELLARMINUM, *De R. Pontifice,* l. V, c. 14 ; GOSSELIN, *Pouvoir des Papes au moyen-âge,* t. II, p. 422 ss., Louvain, 1845. Cf. etiam HERGENROETHER, *o. c.*, p. 263 ss.; P. VIOLLET, *Histoire des institutions politiques et administratives de la France,* 3 vol., t. II, p. 272 ss., Paris, 1898-1903 ; FINKE, *Aus dem Tage Bonifaz VIII,* München ; SCHOLZ, *Die Publizistik zur Zeit Philipps des Schoenen und Bonifaz VIII,* p. 32 ss., Stuttgart, 1903 ; SCHOLZ, *Unbekannte Kirchenpolitischen Streitschriften aus der Zeit Ludwigs des Bayern* (1327-1354), 2 vol., Rome, 1911-1914; LIZERAND, *Les constitutions « Romani Principes » et « Pastoralis cura » et leurs sources,* in *Nouv. rev. hist. de dr. fr. et étrang.*, t. XXXVII, p. 725 ss.; *Collat. Brugen. l. c.*, p. 584 ; *Collat. Namurcen.*, 1908-1909, t. VIII, p. 299 s.; WERNZ, *o. c.*, t. I, p. 17 s.; DE GHELLINCK, *La littérature polémique durant la querelle des Investitures,* in *Rev. des Quest. hist.*, 1913, t. XCIII, p. 71 ss.

ralis ad quem spiritualis potestas ordinatur, posse in civilibus negotiis cum *vera jurisdictione* intervenire ; ideo ipsos in quibusdam gravioribus rerum adjunctis, positis certis principum contra Ecclesiam conatibus, vi potestatis a CHRISTO ipsis concessae, leges principum posse rescindere, sententias eorum et decreta nulla et irrita facere, novas leges in temporalibus ferre, imo vinculum principes inter ac subditos *reapse dissolvere*. Est opinio Cardinalis Bellarmini, qui eam pluribus explicat, atque rationibus et exemplis stabilire conatur [1].

164. *c) Systema potestatis directivae.* Recentius excogitatum fuit systema aliud, quod vocant systema *potestatis directivae* [2]. Hujus fautores veram et proprie dictam jurisdictionem in temporalia, Ecclesiae et Romano Pontifici denegant, et putant Bellarmini aliorumque de potestate *indirecta* sententiam minus cum legitima principis civilis independentia componi posse. Contendunt R. Pontificem, utpote interpres, custos, et judex moralitatis, habere jus *dirigendi conscientias* principum aeque ac populorum, eosque edocendi ac monendi circa obligationes, quibus vi legis divinae, naturalis aut positivae, tenentur etiam quoad exercitium suae potestatis [3]. Haec potestas pure spiritualis est ; versatur

---

1. Exposuit hanc theoriam Bellarminus in l. V, *De Summo Pontifice ;* in c. XII sui *Tractatus de R. P... adversus Barclaium ;* in t. I, *Disputationum de controversiis.* Hoc volumen in novo Indice librorum prohibitorum a Sixto V parato fuit relatum, quia nimis restringere videbatur potestatem R. P. in temporalia. Mortuo Pontifice, hoc decretum fuit revocatum, antequam prodiit bulla promulgationis novi Indicis. Cf. *Rev. des questions histor.,* 1908, t. LXXXIII, p. 81 ; *Études,* 1907, t. CXI, p. 227 ss.; HILGERS, *Der Index der verbotenen Bücher,* p. 11 ss., 230 s., 324 s., Frib.-Br., 1904 ; *Collat Namurcen., l. c.,* p. 301, nota (2). Systema Bellarmini optime exponitur a LE BACHELET, v° *Bellarmin,* in *Dict. de théologie cath.,* t. II, col. 560-599, Paris, 1904 ; DE LA SERVIÈRE, *La théologie de Bellarmin,* Paris, 1908, p. 129 ss. ; Cf. etiam TIMPE, *Die kirchenpolitischen Ansichten u. Bestrebungen des Kardinals Bellarmin,* Breslau, 1905. V. etiam *Collat. Brugen., l. c.,* p. 584 ss.; FEYE, *o. c.,* p. 100 ; vide etiam BAETHGEN, *Der Anspruch des Papsttums auf das Reichsvikariat. Untersuchungen zur Theorie und Praxis der potestas indirecta in temporalibus, in Zeitschrift der Savign. Stiftung. Kan. Abth.,* 1920, t. X, p. 168 ss.

2. Cf. quoad expositionem hujus systematis, MOULART, *o. c.,* p. 206 ss., ubi adhaerentes huic theoriae citantur ; MOLITOR, *Die Dekretale « Per Venerabilem »,* p. 138 ss., Münster, 1876 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 37 ; HAMMERSTEIN, *o. c.,* p. 147 ; *Collat. Brugen., l. c.,* p. 587 ; *Collat. Namurcen., l. c.,* p. 300. Multi auctores patronum hujus systematis habent franciscanum BIANCHI (1686-1768), in opere suo *Della podestà et della politia della Chiesa,* 6 vol. in-4°, Romae, 1745-1751. A multis merito de hac assertione dubitatur. Cf. textus auctoris Bianchi ap. DE BRABANDERE-VAN COLLIE, ed. 7, p. 177 ; LE BACHELET, *o. c.,* col. 593 ; PAQUET, *o. c.,* p. 213 ss. Scribit hac de re Ill^mus^ FEYE (*Jus publicum,* tract. autogr. l. I, n° 72) : « Doctrinam de potestate directiva, tenere dici non potest Bianchi. Quanquam enim mollioribus utitur verbis, nihilominus Bellarmini doctrinam de indirecta potestate dicendus est sequi, nec diversam ab ea, nisi quod non tamen perspicue loquatur. Tantum in quaestione de principum dispositione aliter procedit ». Cf. *Collat. Namurcen., l. c.,* p. 301.

3. Cf. GOSSELIN, *o. c.,* t. II, n° 9-13, 170-172, 177, not. 1 etc. Pièces justific.

circa moralitatem actuum, indirecte tamen attingit temporalia cum illa moralitate connexa. At, ne restringatur potestas pontificia ad nudum magisterium, ulterius evoluta est haec theoria, ita ut ad doctrinam Bellarmini prope jam accedat, negato tantum jure Pontificis positive interveniendi in temporalibus, jubendo vel prohibendo [1]. Nimirum, si principes, spretis suis obligationibus, in perversam abeant viam et Ecclesiam vel Religionem laedant, non potest quidem Pontifex se rebus civilibus et politicis immiscere, ut contendit Bellarminus, sed ad summum eos poenis spiritualibus seu censuris adigere ut a pravis conatibus abstineant. Quod si resistant, et ad tantos excessus devenerint ut, *vi legis naturalis* ruptum censeatur vinculum obedientiae quo populi principibus ligantur, poterit Pontifex, uti legis naturalis interpres, *declarare* subditos tuta conscientia principibus obedientiam abnuere posse, fidelitatisque juramentum nullam amplius vim habere. Quod si medii aevi tempore quidquam ultra egerint in temporalia Pontifices, id non vi potestatis suae nativae et propriae, sed unice vi juris publici humani illius aetatis potuerunt efficere [2].

165. — Haec autem profecto longe distat ab illa Gallicanorum [3], qui *omnem* hujusmodi *potestatem a jure divino* ortam Pontifici denegant. Hanc theoriam vere novam primum sparsit facultas Parisiensis anno 1663, eamque amplexa est *Declaratio cleri gallicani* anni 1682, et solemniter sanxit primo suo articulo, de quo multo magis quam clerus abusi sunt politici seu parlamentarii. Fundamentale ponunt principium in eo, quod potestas civilis sit immediate a Deo. Unde deducunt principes, qua tales, in suo ordine non habere superiorem nisi Deum, et consequenter eos esse absolute independentes a potestate ecclesiastica. Possunt quidem principes, qua personae privatae, a Pontificibus dirigi et censuris plecti, etiam propter excessus in exercitio potestatis commissos ; sed acta eorum publica infirmari vel rescindi ab iis nequeunt. Subditis autem, licet non teneantur obedire legibus impiis vel injustis, nullum praeter inobedientiam et patientiam suppetit medium resistendi.

Strenuus istius systematis propugnator extitit Bossuet, in opere

---

n° VIII. V. textum FÉNELON, ex sua *Dissert. de auctor. R. Pontif.* c. 27, ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, ed. 7, p. 178. Cf. JUNGMANN, *o. c.*, t. IV, 329 ss.

1. Ita FEYE, tract. autogr. *De Ecclesia*, p. 105 ss.; ita nuperrime BACHOFEN, *o. c.*, p. 136 ss. Cf. etiam SCHULTES, *Die Autorität der Kirche in weltlichen Dingen*, p. 23 s.

2. Depositio principis a R. Pontifice legitimatur juxta FEYE, *o. c.*, p. 113 jure publico medii aevi.

3. Cf. FEYE, *o. c.*, p. 106 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 36 ; PAQUET, *o. c.*, p. 206.

Defensio Declarationis cleri Gallicani [1], de quo opere scribit Benedictus XIV, *in epist. ad supremum Hispaniae Inquisitorem* [2] : « Difficile profecto est aliud opus reperire, quod aeque adversetur doctrinae extra Galliam ubique receptae, de Summi Pontificis ex Cathedra definientis infallibilitate, de ejus excellentia supra quodcumque concilium oecumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum Religionis et Ecclesiae commodum id exigat, super juribus temporalibus principum supremorum ».

166. — 3° Tandem solutionem repetunt quidam *ex publico jure* medio aevo vigenti, *mixto cum jure divino.*

Ita Soglia[3] «Si hoc in sententiarum discrimine, ait, fas nobis est aperte dicere quod sentimus, opinio (quae fundamentum ponit in jure publico medii aevi), si eo tantum sensu intelligatur, ut jus publicum, de quo agitur, certum quidem ac solidum, non autem unicum et totum fundamentum constituat, veritati magis consentanea videtur. Sequimur itaque eorum judicium, qui pro hoc jure stant ; non eo tamen progredimur, ut contendamus hujusmodi jus, etiamsi quaestio historice consideretur, ex jure divino, aut praerogativis RR. Pontificum exoriri haud potuisse [4]. »

167. — 4° Cum systemate juris historici et potestatis directivae, connexa est *theoria coordinationis.*

a) Hic sermo non est de opinione proposita ab É. Ollivier [5], quae nitens separatione radicali ordinis naturalis et supernaturalis, disjungens catholicum a cive, reincidit in purum putum liberalismum et ducit ad oppressionem Ecclesiae a Statu [6].

b) Sed praecipue significatur illa theoria quae initio saeculi XIX in Germania orta [7], adhuc a multis proponitur, sine ulla hostilitate erga S. Sedem sed respectu praesertim habito ad facta et ad constitutionem Status moderni. Juxta illos [8] admittenda est *independentia* Status non

---

1. P. II, lib. IV-VIII. Hanc Gallicanorum doctrinam strenue et primi quidem impugnarunt doctores Lovanienses, v. FEYE, *o. c.*, p. 107.
2. Bull. ed. Mechlin. t. XIII, p. 107. Cf. prop. XXIV Syllabi.
3. *O. c.*, p. 303 ss.; cf. PHILLIPS, *o. c.*, t. II, p. 620 ; t. III, pars 1, p. 127, aliosque.
4. Cf. supra n° 162, nota 3.
5. In opere suo : *L'Église et l'État au concile du Vatican*, t. I, c. 2, p. 31 ss. Cf. refutationem ap. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 133 ; *Collat. Brugen.*, l. c., p. 673 ; *Collat. Namurcen.*, l. c., p. 296 s.
6. In hos errores inciderunt Modernistae. Cf. encycl. *Pascendi*, ap. *Collat. Brugen.*, t. XII, 615 s.; *Collat. Namurcen.*, l. c., p. 137 ss.
7. Cf. ROTHENBUECHER, *o. c.*, p. 93 ; v. etiam KRUECKMEYER, *Zentrum und Katholicismus*, Fr.-Br., 1912 ; *Arch. für kath. Kirchenr.*, 1909, t. LXXXIX, p. 411 ss. ; WACKER, *Zentrum und kirchliche Autorität*, Essen, 1914 (in *Indicem* relatus, decr. 1 junii 1914).
8. Cf. quoad expositionem systematis : PHILLIPS, *o. c.*, t. II, p. 607 ss.; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 670 s.; v. SCHERER, *o. c.*, t. I, p. 54, § 14 ; ejusd. auct. art. *Kirche*

tantum in propriis rebus et sub ratione proprii finis sed etiam in illis rebus quae ordinem utriusque societatis attingunt, quasque convenienti sibi modo componi utriusque interest [1]. Rejiciunt proinde dependentiam indirectam Status ab Ecclesia. Status et Ecclesia sunt potestates independentes, non ad invicem subordinatae sed coordinatae. Controversiae de rebus mixtis exortae amicabili conventione aut concordato finiendae sunt. Si ad unionem non devenitur, remedium ulterius non superest, nisi quod quidam [2], ut temperamentum, admittunt *potestatem directivam Ecclesiae*, qua etiam declarare valet omni vi juridica ex jure divino destitui leges Status injustas.

C. **Variarum opinionum crisis.** De variis istis opinionibus, si mentem aperire liceat, haec dicemus :

168. — 1° Omnino rejicimus sententiam illorum qui ex *solo jure humano* dicta et gesta RR. Pontificum medii aevi explicant, propter rationes mox subjiciendas sub 5°.

169. — 2° Nec admittimus *systema coordinationis*, quia flocci facit principium subordinationis finis temporalis Status fini spirituali Ecclesiae ; quia praeterea in ordinandis materiis mixtis non possunt duae potestates independenter ab invicem statuere quin inde conflictus oriantur, pro quibus sopiendis, nullum praesto est in hoc systemate principium solutionis. Practice Status vim inferet Ecclesiae [3].

170. — 3° Neque magis adstipulamur systemati *juris divini directi.* Quod enim Status ab Ecclesia non dependeat *directe*, probatur *a/ ex natura utriusque societatis.* Ut una societas vel potestas ab altera directe pendeat, requiritur ut utraque sit in eodem ordine constituta et utriusque finis sit ejusdem naturae, ita ut una prosequatur integraliter eumdem finem qui ab altera partim intenditur. Atqui finis Status toto ordine differt a fine Ecclesiae, et ideo potestas ecclesiastica nullum habet jus in omnibus rebus quae et quatenus ad finem proprium Status conducunt, v. gr. in iis quae spectant ad formam constitutivam Status, ad rem

---

u. Staat, in *Staatslexikon* [2], t. III, col. 467 ; *Collat. Brugen.*, l. c., p. 673 ; WERNZ, *o. et l. c.*, p. 16, 20.

1. Haec independentia Status ab aliquibus auctoribus nimis extollitur ; ita a V. SCHERER, *l. c.*, et SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 43, qui admittunt legem civilem annullatam aut injustam declaratam ab Ecclesia omni carere effectu *in foro conscientiae et ecclesiastico* at conservare *valorem civilem*, quasi, voluntate Status, valor civilis stare posset sine valore juridico. Cf. *Collat. Brugen., l. c.*, p. 677, nota ; *Collat. Namurcen., l. c.*, p. 297, nota ; BOECKENHOFF, *o. c.*, p. 77, nota.

2. Ita BOECKENHOFF, *o. c.*, p. 90 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 37 ss., 41 s., qui videtur favere theoriae coordinationis.

3. Cf. *Collat. Brugen., l. c.*, p. 673 s.; *Collat. Namurcen., l. c.*, p. 296 ss.; VON SCHERER, in *Staatslexikon, l. c.;* LAURENTIUS, *o. c.*, p. 671 ; WERNZ, *o. c.*, p. 20 ; SCHULTES, *o. c.*, p. 19.

militarem, commercium, relationes internationales, tributa, etc., omnis enim ratio potestatis in societate repetenda est ex hujus fine et ex connexione rerum cum illo fine [1].

b/ Ex positiva Christi voluntate. CHRISTUS his in terris nullam potestatem directam in temporalia, nullam jurisdictionem temporalem sibi vindicavit neque exercuit : in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* [2]. Atqui CHRISTUS eo fine constituit Ecclesiam ut excelsum divinumque munus quod ipse a Patre acceperat in omnes saeculorum aetates continuaret. Ergo Ecclesia et ecclesiastica potestas nullam a CHRISTO jurisdictionem directam in temporalia accepit. Imo divinus Ecclesiae fundator, ubi definit Ecclesiae fundamentalem constitutionem, aperte significat potestatem, a supremo rectore in ea exercendam, esse spiritualem :« unum omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves *regni coelorum* commisit. *Tibi dabo claves regni coelorum* [3]. »

c/ Ex traditione constanti Ecclesiae. Hanc independentiam principis civilis tum SS. Patres et scriptores ecclesiastici, tum ipsi Romani Pontifices, unanimi voce proclamant. Horum doctrinam his verbis complectitur Leo XIII : « [Ecclesia] quae in genere rerum civilium versantur, ea in potestate supremoque imperio eorum [np. principum] esse agnoscit et declarat [4]. »

171. — 4° Nec sufficiens videtur doctrina illorum qui tuentur potestatem juris divini *directivam.* Imprimis, hoc systema adversatur sententiae communi quae, uti ostendemus, non merum magisterium sed *veram* tribuit Ecclesiae *jurisdictionem* in temporalia quando finis spiritualis tuitio hoc exigit, et consequenter agnoscit Romano Pontifici potestatem certis in casibus per *proprios* actus sese immiscendi temporalibus negotiis quae alias ad ordinem civilem pertinent [5]. Praeterea videtur istud systema apte componi non posse cum dictis RR. Pontificum, de quibus statim sermo erit.

172. — 5° Amplectimur autem systema *potestatis indirectae,* sensu Bellarmini et Suarezii, aliorumque multorum antiquorum et modernorum [6], secundum quod agnoscitur R. Pontifici *de jure divino* competere

---

1. Cf. supra, n° 134, 150 ss. Cf. BILLOT, *o. c.*, p. 79 ss.
2. Cf. Joan., X, 10 ; XVIII, 33 ss.; Matth., XXII, 21.
3. C. *Immortale Dei.*
4. Encycl. *Diuturnum,* 29 jun. 1881 de origine potestatis civilis. Cf. etiam Encycl. *Sapientiae Christianae,* 10 jan. 1890 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 21 ss.
5. Cf. WERNZ, *o. et l. c.*
6. Cf. S. THOMAM, *De regimine Principum,* l. I, c. 14 ; l. II, c. 15 ; l. III, c. 19 ; *Summa theolog.,* 2-2, q. 60, art. 6, ad 3 ; q. 12, art. 2 ; BELLARMINUS, *Tractatus de potestate R. Pontificis... adv. Barclaium,* c. XII, Romae, 1610 ; SUAREZ, *De-*

veram potestatem jurisdictionalem in temporalia regum, *indirecte et per consequentiam,* quia et in quantum hoc postulat finis supernaturalis Ecclesiae.

Praeplacet haec sententia propter triplicem praecipue rationem.

173. — *à) Ex subordinatione finis temporalis fini spirituali.* Praecipuum desumitur argumentum ex eo quod finis quo tendit Ecclesia, salus np. animarum sempiterna, longe nobilissimus sit ; hinc enim pendet omnium hominum undique expleta ac perfecta felicitas. Huic autem summo et ultimo bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, subordinatur bonum inferius quod a societate civili intenditur ; et, quum societates sint inter se sicut earum fines, sponte sequitur Statum, ratione finis, subordinari Ecclesiae cujus potestas est omnium praestantissima [1].

Inde principium Bellarmini : potestas Ecclesiae et Romani Pontificis extenditur ad omnia quae necessaria sunt ad salutem animarum et illa potestas, etiam si *indirecte* et *per viam consequentiae* exerceatur in temporalia, fine suo *spiritualis* est.

Caeteroquin si haec subordinatio finis temporalis fini spirituali rueret, si esset Status plane independens a societate ecclesiastica, admittenda esset existentia dualismi inconciliabilis, tum ratione causarum mixti fori, tum ratione rerum natura sua temporalium aut spiritualium quae obesse vel prodesse possunt bono societatis spiritualis aut societatis temporalis ; qui dualismus esset origo necessaria difficultatum et conflictuum tum in mundo tum in conscientia subditorum. Quod evidenter repugnaret sapientiae Dei, auctoris tum Ecclesiae tum Status [2].

174. — *b/ Ex plenitudine jurisdictionis Ecclesiae.*

Quod vero speciatim spectat reges *christianos*, probatur ipsos *jurisdictioni Ecclesiae* indirecte subjacere etiam quoad usum potestatis gubernativae, ex eo quod reges et principes, non secus ac caeteri fideles, subsint universali potestati, Petro ejusque successoribus a CHRISTO concessae, pascendi, ligandi atque solvendi omnes christianos quoad omnes suos actus in quantum ordinem dicunt seu respectum habent ad finem Ecclesiae. Etenim unus ex illis actibus, in principe, est usus potestatis gubernativae, tum quatenus cum lege divina congruere vel ei repu-

---

fensio fidei catholicae, l. III, c. 22, n° 1 ss.; *de Legibus,* l. IV, c. 9, n° 3 ; *Annuaire de l'Université de Louvain,* 1906, p. 426 ss. Sententia est multorum modernorum : HEINER, WERNZ, BARGILLIAT, HERGENROETHER-HOLLWECK, LAURENTIUS, CAVAGNIS, VAN DEN BERGHE, BIEDERLACK, PAQUET, LECLER, FERRERES, etc. Non potest annumerari S. Franciscus Salesius inter adversarios potestatis indirectae, cf. *Collat. Brugen.,* t. XIII, p. 679.

1. Cf. C. *Immortale Dei.* Cf. Act., X, 28 ss.; Matth., VI, 31 ss.; V, 29 s.; Luc., XIV, 26 ; Matth., XVI, 26. V. CAVAGNIS, *l. c.,* p. 256 s.; DANTE, *Monarchia,* III, 16.

2. *Collat. Brugen., l.c.,* p. 673 s.; *Collat. Namurcen., l. c.* p. 296 ss.

gnare potest, et ideo ipsum principem ad finem suum ultimum conducere vel ipsum ab eo avertere ; tum quatenus prodesse vel obesse potest fini Ecclesiae et aeternae beatitudini civium universim.

Ergo ille usus potestatis politicae submittitur jurisdictioni plenae et supremae Ecclesiae. Haec, magisterio suo, judicat auctoritative de valore et moralitate actuum principum ; potestate legislativa, temporalia necessaria aut nociva fini suo jure praecipit aut prohibet ; potestate judiciaria, merito cognoscit de violatis legibus suis a fidelibus aut principibus, quos punire valet poenis spiritualibus et temporalibus. Exinde autem directe concluditur potestatem esse R. Pontifici coercendi poenis etiam temporalibus principem in Ecclesiam adversa mollientem ; mensura vero poenae in quacumque societate perfecta est necessitas tuitionis ordinis socialis ; si ergo in certis circumstantiis R. Pontifex judicet bonum Ecclesiae expostulare ut principem pravum et rebellem deponat, fatendum est nihil a parte juris obstare ne hoc faciat [1].

175. — *c) Traditio historica et juridica* [2]. Hoc modo videntur commode et simul recte explicari *praefata Pontificum dicta et facta,* prout in historia narrantur. α) Constat enim ipsos in malevolos principes non tantum usos esse spiritualibus poenis censurarum, sed et poena temporali, privatione np. potestatis ; nec unice videntur *declarare* principem jus regnandi amisisse, sed potius, si eorum verba sensu obvio sumantur, directe illum jure regnandi privant, simul interdicendo subditis, identidem etiam sub poena excommunicationis, ne jam ipsi obedientiam praestent ; atque in ea auctoritate exercenda non primarie et ultimatim provocant *ad jus sociale* [3] illius temporis, sed disertissime adstruunt fundamentum ac radicem hujus auctoritatis esse *in jure divino,* et promanare eam ex plenitudine potestatis ipsis per CHRISTUM concessae regendi universam Ecclesiam. Sic notum est S. Gregorium VII duplicem tulisse sententiam depositionis adversus imperatorem Henricum IV; in prima autem, alloquendo S. Petrum, ait : « *Ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti per tuam potestatem et auctoritatem,* Henrico... totius regni Teutonicorum et Italiae *gubernacula contradico...* » — In altera vero : « *Fultus vestra auctoritate* (sc. BB. Petri et

1. Cf. SUAREZ, *o. et l. c.,* c. XXIII.
2. Cf. *Collat. Namurcen., l. c.,* p. 306 ss.; WERNZ, *o. c.,* p. 18.
3. Negari quidem nequit RR. Pontifices non raro, praeter jura divina, etiam leges civiles commemorare. At perperam quis inde concluderet eos in jure humano *ultimum fontem* suae potestatis vel *aequale fundamentum* cum jure divino posuisse. Jus enim sociale medii aevi agnovit Ecclesiae illam auctoritatem quae ipsi ex indole sua et divina institutione pertinebat, illiusque exercitium sanctionibus suis promovit. Quare merito ad illud provocare poterant Pontifices, illudque afferre tanquam argumentum *secundarium* et *confirmatorium.*

Pauli, quos alloquitur), saepe nominatum Henricum... excommunicationi subjicio... et iterum regnum Teutonicorum et Italiae, *ex parte Dei omnipotentis et vestra,* interdico ei, omnem potestatem et dignitatem illi regiam *tollo...* » — Similiter, Innocentius IV, in Conc. Lugdunensi I, deposuit imperatorem Fredericum II, his utens verbis : « Nos itaque... cum Jesu Christi vices immerito teneamus in terris, nobisque in B. Petri Apostoli persona sit dictum : *quodcumque ligaveris super terram...* memoratum principem... omni honore et dignitate privatum a Domino ostendimus, denuntiamus, ac nihilominus *sententiando privamus* ». — Nec alio modo loquitur S. Pius V sententiam depositionis ferendo adversus Elisabetham Angliae reginam : « *Illius auctoritate suffulti* qui nos in hoc supremo justitiae throno... voluit collocari : *de apostolica potestatis plenitudine* declaramus praedictam Elisabetham haereticam... et *privamus* eamdem praetenso jure regni, aliisque omnibus supradictis [1]. »

β) In duabus Decretalibus *Per Venerabilem* et *Novit,* receptis in Corpore Juris [2], Innocentius III, qui inter RR. Pontifices maxima fruitus est potestate politica, clare asserit doctrinam potestatis indirectae, innixus non jure publico, sed jure divino [3]. Eadem doctrina exponitur a Bonifacio VIII in Bulla *Unam Sanctam* [4].

γ) In novo juris canonici codice canones 1553, § 1, 2° et 2198 intime cohaerent cum praefatis Pontificum dictis, praesertim vero cum Decretali *Novit.* Etenim can. 2198 affirmatur solam ecclesiasticam potestatem, natura sua, persequi delictum quod unice laedat Ecclesiae legem, *requisito* interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum judicaverit, *auxilio brachii saecularis.* Quo significatur Ecclesiae jus proprium et nativum esse, ratione subordinationis finis temporalis fini spirituali, urgendi, attentis tamen adjunctis, *officium positivum* Status

---

1. Cf. Jungmann, *o. c.,* t. IV, p. 328 ss.; t. V, p. 421 ss.
2. C. 13, X, IV, 17 ; c. 13, X, II, 1.
3. Cf. *Collat. Namurcen., l. c.,* p. 306 s.; Molitor, *Die Decretale « Per Venerabilem »,* p. 10, Münster, 1876 ; P. Viollet, *o. c.,* p. 278 ; Jungmann, *Dissertationes selectae in historiam ecclesiasticam,* diss. XXVII, t. V, p. 464 ss. Ratisbonae, 1885 ; Van den Berghe, *o. c.,* p. 30. Bibliographia apud Saegmueller, *o. c.,* p. 51 ss.; textus et bibliogr. ap. Galante, *o. c.,* p. 185 ss., 203 ss.
4. Cf. Molitor, *o. c.,* p. 83 ; Jungmann, *o. c.,* t. VI, p. 48 ss. Bibl. ap. Saegmueller, *o. c.,* p. 52 ; *Collat. Namurcen., l. c.,* p. 307, nota 3 ; opera citata, n. 162, etc. Cf. etiam prop. damnata 24 Syllabi : *Ecclesia... non habet ullam temporalem potestatem directam vel indirectam,* cujus contradictoria tenenda ita potest exprimi : *Ecclesia habet aliquam potestatem temporalem, etsi non directam, saltem indirectam ;* v. Wernz, *o. c.,* p. 21 nota (37). Cf. etiam Schema Concilii Vaticani *de Ecclesia,* c. 14, quae cum doctrina de potestate indirecta bene convenit, ap. *Collect. Lacensis,* t. VII, col. 574 ; Laurentius, p. 673 s.; Epistolam Secretarii Status ad Lugdunensium Archiepiscopum, 14 oct. 1913, ap. *AAS.,* 1913, t. V, p. 558 ss.

adjuvandi Ecclesiam in prosecutione sui finis, pro necessitate vel utilitate societatis ecclesiasticae. Praeterea canone 1553, § 1, 2° decernitur Ecclesiam esse jure proprio et exclusive competentem in omnia in quibus inest *ratio peccati* quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem [1]. Sive ergo princeps christianis actibus suis aut legibus prosecutionem finis Ecclesiae impediat, sive requisitus ab Ecclesia, eam, quantum fieri possit, non promoveat, in utroque casu adest ratio peccati et principem Ecclesiam hostiliter insequentem aut ei inobedientem justis poenis coercere valet Ecclesia [2].

176. — Nota. Sedulo autem hic notandum venit, praefatum jus R. Pontificis in temporalia principum, quamvis sit radicaliter primatui insitum ac consequenter aboleri nequeat, tamen quoad *actuale ipsius exercitium,* dependere a variis conditionibus socialibus et politicis [3] ; atque R. Pontificem non raro prohiberi ab illo exercendo propter minus rectam societatis civilis constitutionem, quo fieret ut illius juris exercitium vergeret in destructionem potius quam aedificationem Ecclesiae [4].

---

1. Cf. etiam can. 2198 ; ad utrumque canonem in annotatione fontium adducitur Decretalis *Novit.*

2. Cf. tamen SOLE, *De delictis et poenis,* n. 12, Romae, 1920.

3. Ideo dici nequit adhaerentes potestati indirectae nimia duci admiratione erga statum rerum medii aevi, uti vult VON SCHERER, *o. c.,* p. 53, nota 13. Cf. *Collat. Brugen., l. c.,* p. 677, nota (1) ; PAQUET, *o. c.,* 221. Quoad objectiones, cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.;* p. 37 ss.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 672 s.

4. Exempla actualis exercitii potestatis indirectae praebent v. gr. Encyclicae Pii X reprobantes leges separationis et sic dictas associationes cultus in Gallia et Lusitania ; frequentes RR. Pontificum interventiones : in *Gallia,* quoad adhaesionem catholicorum Reipublicae et quoad « sillonismum », cf. MOURRET, *Les directions politiques, intellectuelles et sociales de Léon XIII,* Paris, 1920 ; in *Germania,* quoad *septennat militaire ;* in *Hispania,* quoad electiones politicas ; in *Italia* quoad *non expedit* et quoad actionem economico-socialem, etc. Cf. BRANDI-VETTER, *La politique de Léon XIII,* Paris, s. d. ; LECLER, *De l'autorité de l'Église en matière politique,* ap. *Collat. Namurcen.,* 1909-1910, t. IX, p. 14 ss., ubi merito, allatis rationibus et exemplis, defenditur haec thesis contra modernistas : « Tracer et prescrire au citoyen, pour cause légitime, une ligne de conduite dans la poursuite du bien public loin d'être un abus est au contraire un droit et un devoir de la puissance ecclésiastique, à laquelle le catholique doit se soumettre de toute son âme ». Item dicendum est in re sociali, in re linguistica, cf. Epist. Bened. XV, 10 febr. 1921, *AAS.,* t. XIII, p. 127 ss. Cf. etiam HEINER, *Freiheit der Katholiken auf politischen Gebiete,* in *Arch. f. kath. Kirchenr.,* 1907, t. LXXXVII, p. 285 ss ; SCHULTES, *o. c.,* p. 26 ss. ; Y. DE LA BRIÈRE, *Les luttes présentes de l'Église,* t. I, p. 73 ss., 223 ss.; t. II, p. 3 ss.; t. III, p. 100 ss.; *Nederl. kath. Stemmen,* 1919, t. XIX, p. 138 ss.; 1921, t. XXI, p. 134 ss. Quoad ea quae praestitit Benedictus XV in bello europaeano 1914-1918, fungens munere suo pacificandi nationes, leniendi miserias et declarandi et vindicandi jus et justitiam, cf. CAFIERO, *De Romani Pontificis munere pacificandi et sociandi nationes,* Romae, 1916 ; MISONNE [2], *Le Pape, la Belgique et la guerre,* Bruxellis, 1919 ; DUDON, *L'action de Benoît XV pendant la guerre,* Paris, 1917 ; CONCLINI, *L'arbitrio pontificio,* Camo, 1917 ; SAEGMUELLER, *Der Apostolische Stuhl und der Wiederaufbau des Voelkerrecht und des Voelkerfriedens,* Freib.-Br., 1919 ; BAUDRILLART, *Benoît XV,* Paris, 1920 ; LE FLOCH, *La politique de Benoît XV,* Paris, 1919 ; Y. DE LA BRIÈRE, *Les luttes présentes de l'Église,* t. III, p. 88 ss., 256 ss., 293 ss., 316 ss. et t. IV,

177. — D. **Conclusio.** Ex proposita doctrina sequitur quod societas civilis, in fine suo prosequendo, rationem habere debeat finis Ecclesiae, et ita se gerere ut hujus finis prosecutionem unquam *non impediat,* imo, si opus sit, eam quantum fieri potest, attentis adjunctis, auxilio potestatis suae *promoveat.* Consequenter etiam, quamvis Ecclesia non possit sese immiscere in regimine rerum temporalium, quando in eis sola felicitatis temporalis ratio occurrit ; statim ac tangitur finis spiritualis, *et quatenus finis ille hoc requirit* [1], poterit ecclesiastica potestas a societate civili exigere ut debitam subordinationem servet ; et, si princeps christianus sit, poterit ipsi prohibere ne in regimine temporali fini Ecclesiae obstacula ponat, et praecipere, necessitate data, ut positive hunc finem promoveat ; atque illum inobedientem aut rebellem justis poenis coercere. Idem fere asserendum est de principe infideli habenti subditos christianos. Horum obligatio obediendi Ecclesiae praevalet obligationi obediendi Statui, propter subordinationem finis temporalis fini eorum spirituali. Jam vero jus imperandi correlativum est obligationi obediendi. Ergo eadem relatio subordinationis existat necesse est potestatis civilis erga potestatem ecclesiasticam. Et si Status hos suae potestatis limites praetergrediens, potestatem Ecclesiae directam in spiritualia et indirectam in temporalia offendat ut injustus aggressor ab Ecclesia merito haberi et puniri potest [2].

178. — Ex dictis deducitur : 1° in conflictu summum judicium ad Ecclesiam spectare ; eamque potestatem suam jure exercere, et civilem societatem eidem cedere debere. Quare merito damnata est in *Syllabo,* prop. XLII : *In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet* [3].

2° Alienam a veritate, jureque damnatam esse doctrinam Modernistarum, juxta quam negatur omnis subordinatio Status Ecclesiae et affirmatur Ecclesiam in temporalibus subesse omnino Statui [4].

Paris, 1916-1919 ; ARNAUD D'AGNEL, *Benoît XV et le conflit européen,* Paris, 1919. Cf. *Acta Benedicti XV,* ap. *AAS.,* 1914, t. VI, p. 501, 565, 694 ; 1915, t. VII, p. 253, 365, 509 ; 1916, t. VIII, p. 465 ; 1917, t. IX, p. 417 ss.; 1918, t. X, p. 473, etc.

1. VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 38 ; MOULART, *o. c.,* p. 233.

2. VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 26 ; BIEDERLACK, *o. c.,* p. 91 ; BILLOT, *o. c.,* p. 83 ss.

3. Cf. CHOUPIN, *Valeur des décisions pontificales et disciplinaires du St-Siège,* p. 272, Paris, 1907.

4. Cf. Enc. *Pascendi* ap. *Coll. Brugen.,* 1907, t. XII, p. 615 s. ; *Collat. Namurcen.,* 1908-1909, t. VIII, p. 137 ss., ubi habetur optima expositio et refutatio errorum modernistarum circa relationes Status et Ecclesiae.

CAPUT IV.

DE FORMA REGIMINIS ECCLESIASTICI.

Auctores. SOGLIA, *o. c.*, t. I, p. 353 ss.; AICHNER, *o. c.*, p. 74 ss.; DE BROUWER, *o. c.*, p. 341 ss.; VAN NOORT, *Tractatus de Ecclesia Christi* [2], p. 44, Amsterdam, 1909 ; WILMERS, *o. c.*, p. 115 ss.; CAVAGNIS, *o. c.*, t. II, p. 5 ss.; PAQUET, *o. c.*, p. 105 ; *Dict. apol. de la Foi cath.*, v° *Gouvernement de l'Église*, art. a NEYRON, S. J., conscriptus ; ejusdem auctoris, *Le gouvernement de l'Église*, Paris, 1919 ; *Diction. de théol. cath.*, v° *Gouvernement ecclésiastique.*

179. — Notio. Solemne est politicis, post Aristotelem, formam regiminis nuncupare modum quo istud residet in subjecto.

Porro si summum imperium stet penes unum, sine superioris aut aequalis, populi vel alterius Principis consortio, *monarchicum*, seu forma ejus *monarchica* ex graeco recte dicitur ; si vero penes aliquos optimates gradu proprio et nativo, non vicario, simul existat, est *aristocratica ;* si tandem penes totam multitudinem seu populum, *democratica* vocatur. Praeter tres istas formas simplices, dantur aliae mixtae quae ex priorum commixtione seu *temperamento*, ut aiunt, exsurgunt, quaeque diversa sortiuntur nomina pro diverso suo temperamento.

180. — Probatur *Ecclesiae seu ecclesiastici regiminis formam, non esse democraticam, aut aristocraticam, sed monarchicam.*

1° Quidquid dicant aliqui Lutherani, formam Ecclesiae non esse *democraticam* facile suadent ea, quibus probavimus Ecclesiam esse societatem inaequalem et hierarchicam [1].

2° Neque forma ecclesiastici regiminis est *aristocratica.* Huic enim maxime repugnat primatus honoris et jurisdictionis, divinitus institutus, quo unus et solus R. Pontifex, S. Petri successor, universae Ecclesiae praeest.

3° Forma igitur regiminis ecclesiastici est *monarchica*, cum solus R. Pontifex, Ecclesiae et ipsorum Episcoporum princeps, habeat immediate a CHRISTO plenam et supremam potestatem regendi ac gubernandi universam Ecclesiam ; quod est proprium monarchae, ut statim diximus.

« Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit qui cum potestate praeessent ; unumque omnium principem, et maxi-

1. Supra n° 147 s. Postea sermo fiet de interventu laicorum in Ecclesia. Si laici in regimine Ecclesiae jure proprio nullas partes habent, tamen jura habent in Ecclesia, eisque incumbit officium adjuvandi ope sua, tantopere hodie necessaria et exoptata, magisterium et ministerium ecclesiasticum. Cf. PAQUET, *o. c.*, p. 96 ss. ; 116 ss. V. can. 682.

mum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni coelorum commisit [1]. »

181. — De *re* ipsa, inter catholicos nullum potest haberi dubium, sed de *nomine* quaedam existit disceptatio.

Alii enim, formam ecclesiastici regiminis dicunt *monarchicam pure* et *absolute* talem ; quia unus est in Ecclesia principatus supremus, universalis, et nulla alia creata potestate coarctatus [2], et potestas cujuscumque primatui Petri est subdita et obnoxia. Solus Petrus omnium absolute et simpliciter est princeps, sine principe hic in terris, adeoque simpliciter et absolute summus, unde consequenter simpliciter et absolute monarcha [3].

Alii vero, post Bellarminum [4], eam dicunt monarchicam, sed *aliqua tamen aristocratiae specie temperatam ;* quoniam Episcopi sunt veri Pastores suarum ovium, et in Conciliis generalibus veri judices. « In quam sententiam, ait Soglia [5], cl. Zallinger [6] ita praeclare animadvertit: « Temperamentum istud aristocraticum non tale intelligi debet quale in statibus profanis esse solet, quorum forma mixta ex divisione jurium summi imperii ita oritur, ut quod in uno subjecto inest jus, non idem in altero insit, neque ab altero pendeat. Discrimen facit singularis unitas, atque unitatis conservandae obligatio, quam CHRISTUS suae Ecclesiae propriam fecit. Nam primo, ipsa potestas Episcoporum, quae temperamentum illud aristocraticum efficit, perpetuo et ex natura sua alligata est ad centrum unitatis ac supremam potestatem Vicarii CHRISTI, eidemque subordinata, ut proinde haec mixtio aristocratica non absoluta, sed limitata sit. Secundo, quidquid juris competit Episcopis, id eminenti quadam ratione inest in Primate Ecclesiae, ac summo Vicario CHRISTI. Haec, ni fallor, de aliis formis profanis, ex monarchia et aristocratia mixtis asseri haud possunt. »

---

1. Const. *Immortale Dei.* Cf. can. 218.
2. Cf. NEYRON in *Dict. apol. de la Foi Cath., l. c.,* ubi solide respondet Liberalibus et Modernistis asserentibus « regimen Ecclesiae intus forisque cum moderna conscientia componendum, quae tota ad democratiam vergit : ideo inferiori clero ipsisque laicis in regimine partes tribuendas et collectam nimium contractamque in centrum auctoritatem dispertiendam » (Enc. *Pascendi,* ap. *Coll. Brug.,* 1907, t. XII, p. 689 s., coll. p. 615). Concludit, col. 323 : « En définitive plus on examine de près l'Église catholique, plus on se rend compte que ses principes autoritaires, dont on a voulu faire un épouvantail pour l'indépendance légitime des hommes, lui permettent au contraire de concilier dans une harmonie incomparable, à la fois l'ordre et la liberté. » Cf. etiam PAQUET, *o. c.,* p. 127 s.
3. AICHNER, *o. c.,* p. 76.
4. *De controversiis christianae fidei.* T. I. *De Summo Pontifice,* L. I, c. 3 ss.
5. Cf. SOGLIA, *o. c.,* p. 356.
6. *Institutionum jur. nat. et eccles. publ. libri* V, § 362. Augustae-Vindelicorum, 1784.

182. — III. Errores. 1° Rejiciendae omnium eorum sententiae qui Ecclesiae formam regiminis democratici affingere attentarunt in quorum censu cum Luthero, sunt Gallicani, Febroniani, aliique moderni novatores liberales et modernistae [1].

2° Rejicienda est theoria de superioritate Concilii super Papam quae occasione Magni Schismatis occidentalis propugnata est [2]; item reprobandum est temperamentum aristocraticum sensu Declarationis anni 1682 intellectum. Juxta illos Gallicanos principatus residet in Ecclesia universali, in Episcopatu, in communi Episcoporum consensu. Hinc assertum : *Concilium generale est supra Papam.*

Quae doctrina gallicana denuo defensa est tempore Concilii Vaticani et merito proscripta C. *Pastor aeternus* [3].

CAPUT V.

DE MUTUA RELATIONE ECCLESIAM INTER ET STATUM CIVILEM.

Fontes et auctores. V. supra n. 127, 157, 160. Addantur : É. OLLIVIER, *Nouveau manuel de droit ecclésiastique français, Textes et commentaires,* 2 vol., Paris, 1886-1907 ; ejusd. auct. *L'Église et l'État au concile du Vatican,* Paris, 1877 ; CAPELLO, *Chiesa e Stato,* Roma, 1910. Inter Protestantes, HINSCHIUS, *Staat u. Kirche,* Freiburg-Br., 1883 ; VON DER GOLZ, *Kirche u. Staat,* Berlin, 1907. *Sub respectu historico,* conspectus generalis historiae relationum inter Ecclesiam et Statum, addita bibliographia, invenitur ap. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 43 ss.; WERNZ[2], *o. c.,* t. I, p. 21 ss.; HERGENROETHER-HOLLWECK, *o. c.,* p. 88 ss.; HEINER[6], *o. c.,* p. 389 ss [4].

---

1. Cf. AICHNER, *o. c.,* p. 75 ; PAQUET, *o. c.,* p. 105 s.; NEYRON, o. c., col. 311 ; cf. prop. 2 et 3 Const. *Auctorem Fidei* 28 aug. 1794 (DENZINGER-BANNWART [11], *Enchiridion Symbolorum,* Fr.-Br., 1911, n° 1502 s.) contra systema Richeri prolatas : 2. « Propositio quae statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum ;* sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, haeretica ». 3. « Insuper, quae statuit, *Romanum Pontificem esse caput ministeriale ;* sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia, haeretica ».

2. Cf. Bibl. ap. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 56, nota (4) ; WERNZ, *o. c.,* t. II, 2ª pars, p. 703. Cf. HERGENROETHER-HOLLWECK, *o. c.,* p. 343 s.; *Collat. Brugen.,* 1913, t. XVIII, p. 147 ss.; 221 ss.; *Collat. Namurcen.,* 1912-1913, t. XII, p. 279 ss. Cf. etiam gravissimas censuras a Facultate Theologica Lovaniensi et Parisiensi latas contra doctrinam propositam ab A. DE DOMINIS ; cf. SOGLIA, *o. c.,* p. 356 ; KEMPENEERS, *De Romani Pontificis primatu* (Diss.), p. 13 ss. Lovanii, 1841 ; Rapp. du Sém. hist. de Louvain, 1906-1907, *Annuaire,* 1908, p. 291 s. ; *De Katholiek,* 1920-1921, t. CLVIII, p. 16 ss. V. supra n. 148.

3. Caput. III; C. *Apostolicae* Sedis, tit. 1, art. 4, cf. can. 228, § 2; 2332; Cf. GRANDERATH-KIRSCH, *Geschichte des Vatik. Konzils,* t. I, p. 85 s., l. 2, 143 ss.; t. II, p. 254 ss., l. 3, p. 511 ss.; t. III, l. 2, p. 139 ss. et passim., Frib.-Br., 1903-1906 ; Cf. PAQUET, *o. c.,* p. 110 ss., 121 ss.

4. Inter ultimas hac de re publicationes citentur : GIOBBO, *Chiesa e Stato nei primi secoli del Cristianesimo,* Milano, 1914 ; HARNACK, *Kirche u. Staat bis zur*

183. — Connexio et Divisio materiae. Jam liquet ex antea dictis duplicem in mundo existere societatem perfectam Ecclesiam np. et Statum civilem. « Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam »... Ecclesia, « quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, spiritualis est, et supernaturalis : atque idcirco *distinguitur* ac differt a societate civili... Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat..., inter utramque potestatem quaedam necesse est *ordinata colligatio :* quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur[1]. » Porro, duplex ordo relationum existit animam inter et corpus : « quia unam personam faciunt, necessario habent *subordinationem* et *connexionem*[2] » ; similiter Ecclesiam inter et Statum duplex distingui potest genus relationum, videlicet *praeeminentiae et subordinationis* atque *unionis et separationis.*

De relationibus independentiae et subordinationis jam dictum est[3].

Gründung der Staatskirche, in *Die Kultur der Gegenwart,* T. I, 4, p. 129 ss. Berlin, 1906 ; BATTIFOL, *La paix constantinienne,* Paris 1914 ; O. SCHILLING, *Die Staats- und Soziallehre des hl. Augustinus,* Freib.-Br., 1910 ; V. SCHUBERT, *St. u. Kirche in den arian. Koenigreichen u. im Reiche Chlodwigs,* München, 1912 ; CASPAR, *Pippin und die Roemische Kirche,* Berlin, 1914 ; GREINACHER, *Die Anschauungen des Papstes Nikolaus I über das Verhältnis von St. u. K.,* Berlin, 1909 ; ZEILLER, *L'idée de l'État dans St. Thomas d'Aquin,* Paris, 1910 ; cf. *Rev. thomiste,* 1912, t. XX, p. 654 ss.; GAUGUSCH, *St. u. K. nach Dantes Schrift « de Monarchia »,* in *Th. Quart.-Schrift,* 1913, t. XCV, p. 30 ss.; SMITH, *Church and State in the middle Ages,* Oxford, 1913 ; GUTSCHE, *Die Beziehungen zwisschen Reich und Kurie vom Tode Bonifaz VIII bis zur Wahl Heinrichs VII* (1303-1308), Marburg, 1913 ; THEILE, *Nikolaus von Prato, Kardinal-bischof von Ostia* (1303-1321), Niesky, 1913 ; KAYER, *Die Anschauungen der grossen Reformatoren (Luther, Melanchton, Zwingli, Calvin) von der Staatsgewalt,* Bresslau, 1912 ; DESDEVISES DU DÉZERT, *L'Église et l'État en France,* 2 vol., Paris, 1907-1908 ; MOURET, *Le mouvement catholique en France depuis 1830 à 1850,* Paris, 1920 ; ALLISON, *Church and State in the reign of Louis-Philippe,* Princeton, 1917 ; A. DEBIDOUR, *L'Église cath. et l'Ét. sous la 3e République,* 1870-1906, 2 vol., Paris, 1906-1909 (V. *Études,* 1909, t. CXXI, p. 787 ss.; *Rev. d'hist. ecclés.,* 1907, t. VIII, p. 602 ss.); LECANUET, *L'Église de France sous la 3e République,* 2 vol., Paris, 1907-1910 (usque ad a. 1894) ; CAGLIANI, *Droit civil ecclésiastique belge.* Vol. 1, Bruxelles, 1903 ; E. POULLET, *Histoire politique nationale,* 2 vol., Louvain, 1882-1892 ; P. POULLET, *Les institutions françaises de 1795 à 1814,* Bruxelles, 1907 ; ORBAN, *Le droit constitutionnel en Belgique,* T. I, p. 57 ; T. III, p. 590, Liége, 1906-1911 ; FIGGES, *Churches in the modern State,* London, 1914 ; GOYAU, *L'Église libre dans l'État libre,* Paris, 1920 ; Y. DE LA BRIÈRE, *La condition légale de l'Égl. de Fr. et les associations cultuelles,* in *Études,* 1920, t. CLXV, p. 356 ss.; CROUZIL, *L'Église et l'État en Allemagne, d'après la Constitution du 11 août 1919,* in *Rev. du clergé fr.,* 1920, t. CIII, p. 81 ss.; BORRET, *De voorstellen tot wijziging van het zesde hoofdstuk der Grondwet* (in Hollandia), in *Studiën,* 1921, t. XCV, p. 111 ss.; PINON, *L'Europe nouvelle et le catholicisme,* in *Correspondant,* 25 mars 1921.

1. C. *Immortale Dei.*
2. BELLARMINUS, *De controversiis. De Summo Pontifice,* l. V, c. VI, n° 4.
3. Cf. n° 150 ss.

Remanet ergo ut art. I, quaestione in *thesi*[1] seu lumine principiorum conderata, relationes *unionis et separationis* accuratius determinentur. In prima hujus articuli parte tractabimus de *distinctione* et *separatione* utriusque societatis ; in secunda, de positiva unione seu *concordia* inter utramque societatem ; in tertia, de modo solvendi *conflictum*, si oriatur inter utramque potestatem ; tandem in quarta breviter dicemus de *Liberalismo* et *Socialismo* seu de erroribus modernis circa relationes Ecclesiam inter et Statum.

In art. 2 agetur de mutua relatione Ecclesiam inter et Statum *in hypothesi*, seu applicando principia factis. In art. 3 tandem sermo erit de relationibus Ecclesiae et Status prout in Blegio ordinantur.

ART. I. — De mutua relatione Ecclesiae et Status in thesi.

§ 1. DISTINCTIO ET SEPARATIO UTRIUSQUE SOCIETATIS.

Fontes. Praeter docum. citata in corpore doctrinae attendantur: Enc. Pii X *Vehementer*, 11 feb. 1906, damnans separationem in Gallia, ap. *Col. Brugen.*, 1906, t.XI, p. 201 ss.; Encycl. *Jamdudum*, damnans separationem in Lusitania, d. d. 24 maii 1911, ap. *AAS.*, 1911, t. III, p. 217 ss.

Auctores. Cf. supra n. 127, 183 ; * ROTHENBUECHER, *Die Trennung von Staat u. Kirche*, München, 1908 ; MACK, *Trennung von St. u. Kirche.* Trier, 1910 ; HARING, *Zum Problem : Trennung der K. von St.*, in *Theol.-prakt. Quart.-Schrift*, 1911, p. 727 ss.; B. GAUDEAU, *L'Église et l'État laïque*, Paris, 1905. * A. v. HAUCK, *Trennung von K. u. St.*, Leipzig, 1912 ; *Coll. Brugen.*, 1909, t. XIV, p. 79 ss. ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 78 s.

184. I. De distinctione. *Ecclesiam esse societatem a Statu civili distinctam* probatur *a) ex fine* essentialiter diverso utriusque societatis : finis enim Ecclesiae essentialiter *spiritualis* est et supernaturalis, dum finis Status *temporalis* est et in ordine naturae continetur. « Quoniam cuiuscumque societatis et genus et iura a caussis propositisque maxime notantur unde ipsa exstiterit et quo contendat, haec facile sunt consequentia : Ecclesiam societatem esse tam a civili discretam quam utriusque inter se discernuntur proximae caussae et proposita[2] »... *b)* Ex *positiva Christi voluntate*, qui ita constituit Ecclesiam ut prorsus a societate civili differat : praeter finem et media omnino propria et distincta, ipse determinavit Ecclesiae formam regiminis et limites potestatis, imo et subjectum potestatis legemque successionis ; voluit etiam societatem ab ipso fundatam esse universalem atque indefectibilem.

---

1. Cf. *Collat Brugen.*, 1909, t. XIV, p. 359 ss., ubi explicatur quid audiatur per relationes Ecclesiae et Status *in thesi*, seu attentis principiis revelationis et juris naturalis applicatis normali statui societatis civilis, et *in hypothesi*, in concreto, applicando principia adjunctis historicis in quibus versatur societas civilis.

2. Leonis XIII epist. *Officio sanctissimo*, 22 dec. 1887.

Atqui haec omnia in societate civili deficiunt [1], *c) Ex traditione christiana :* non tantum ab Ecclesiae institutione, sed ab omni retro antiquitate, imperium a sacerdotio, thronus ab altari, forum a templo, rex a pontifice, uno verbo potestas temporalis a spirituali distincta fuit [2] ; atque illam distinctionem constanter docuit Sancta Sedes : illam solemniter asseruit Pius IX [3] et nuper Leo XIII : « Haec societas (Ecclesia), ait, distinguitur ac differt a societate civili... Utraque est in suo genere maxima ; habet utraque certos, quibus contineatur, terminos eosque sua cuiusque natura caussaque proxima definitos ; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versatur [4]. »

185. II. **De separatione.** Quamvis Ecclesia a Statu civili essentialiter distinguatur et permagna sit utriusque societatis differentia, immerito inde deduceretur societates illas ab invicem esse *separandas.* « Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum ; proptereaque in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cuiusque caussa constitutos. *Ex quo tamen nulla ratione disiunctas esse sequitur, multoque minus pugnantes* [5]. »

Quae quo melius appareant, *varium sensum* quo haec dictio : « *Separatio Status ab Ecclesia* » a variis usurpatur, separatim considerari oportet.

186. — 1° Nonnulli utriusque potestatis separationem hoc sensu extollunt quod *nunquam utraque potestas uni eidemque personae competere possit,* idque eo consilio ut inde concludant principatum civilem R. Pontificis divinae ordinationi repugnare. Haec theoria confutabitur infra [6].

187. — 2° Sunt qui nomine separationis intelligunt statum necessarium *conflictus seu dissidii* inter ambas societates sibi inimicas. Contendunt « dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere », et Statum, non concorditer, sed inimice cum Ecclesia incedere debere ; quia « Ecclesiam aiunt cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae suo iure sponte omnis bene constituta civitas appetit [7]. »

---

1. Cf. n° 150 s.
2. MOULART, *o. c.*, p. 150 ss.
3. Encycl. *Etsi multa,* 21 nov. 1873 ap. *Act. S. S.*, t. VII, p. 471.
4. C. *Immortale Dei ;* cit. epist. *Officio Sanctissimo.* Cf. CERCEAU, *Catéchisme de Léon XIII,* p. 103 ss., Paris, 1901.
5. Encycl. Leon. XIII, *Sapientiae christianae,* 10 jan. 1890.
6. N° 535.
7. C. *Immortale Dei.* Cf. textus ap. CERCEAU, *o. c.*, p. 122. Haec theoria est liberorum pensatorum, liberalium absolutorum et socialistarum. Cf. GAUDEAU, *o. c.*, p. 18 ss.; 22 ss.

Confutatio. Profecto talis separatio prorsus rejicienda est. a) Etenim « debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae (societates) constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt* [1]. Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur [2] » — et dicendum esset Deum tradidisse mundum in perturbationem continuam ac interminabilem, quod maxime repugnat ejus sapientiae et bonitati. b) Nedum Ecclesia inimica sit progressui et felicitati status, e contrario societatem civilem sub omni respectu prosperitatis publicae adjuvare nata est. Ex alia parte, teste historia luctarum de Investituris, Reformationis, Revolutionis Gallicanae, comprobantibus factis hodiernis in Gallia et Lusitania, dissidium inter utramque potestatem maxime nocere tranquillitati publicae et conscientiarum, libertati et activitati Ecclesiae ostenditur [3].

Ecclesia igitur vehementer exoptat pacem et concordiam cum potestate civili, ac ad illam servandam et roborandam « maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest [4]. »

188. — 3° Alii plures, naturalismo vel indifferentismo infecti, in votis habent separationem Status ab Ecclesia quatenus hoc vocabulo significatur illa societatis desordinatio secundum quam *Status,* naturalem suam subordinationem haud agnoscens, *societatem civilem regere praetendit cum absoluta independentia,* nullo habito ad religionem respectu vel saltem nullo facto discrimine veram inter et falsas. « Consequens erit... ut religionem publice profiteatur nullam ; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam caeteris anteponere nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequalitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat [5]. »

Refutatur [6]. a) Ex fuse disputatis de *independentia Ecclesiae et indi-*

---

1. Rom., XIII, 1.
2. C. *Immortale Dei.*
3. Cf. postea n° 190 s. ; *Coll. Brugen., l. c.,* p. 81 ss.; textus Leon. XIII, ap. CERCEAU, *o. c.,* p. 115 ss.
4. C. *Immortale Dei ;* Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832 ; Encycl. *Vehementer nos,* ap. *Coll. Brugen.,* 1906, t. XI, p. 202 ; *Le livre blanc du Saint-Siège, la séparation de l'Église et de l'État en France.* Exposé et documents, Paris, s. d., ubi exponuntur conamina studiaque Leonis XIII et Pii X ad avertendam separationem a Gallia.
5. C. *Immortale Dei ;* cf. CERCEAU, *o. c.,* p. 88.
6. *Coll. Namurcen.,* 1908-1909, t. VIII, p. 140, ss.; *Coll. Brugen.,* 1909, t. XIV, p. 79 ubi paucis evolvitur argumentatio Pii X in Encycl. *Vehementer nos,* desumpta caeterum maxime ex actis praedecessoris sui.

recta Status subordinatione, sufficienter jam eruitur hujus systematis falsitas. b) Praeterea *jus Dei ad cultum socialem denegat* [1]. « *Natura,* ait Leo XIII [2], et ratio, quae iubet vel singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli ; neque minorem quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit : eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat : omninoque debent eum in colendo morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle »..... c) *Contraria est juribus civium.* « Id, prosequitur S. Pontifex, *et civibus* debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferet. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt[3] ». d) Haec separatio *funestis concertationibus* viam aperit, estque Ecclesiae et societati civili maxime *nociva* [4].

Conclusio. « Vetat igitur iustitia, vetat ratio *atheam* esse, vel quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo

---

1. Encycl. *Jam dudum* Pii X damnans separationem in Lusitania consummatam, ap. *AAS.*, 1911, t. III, p. 218.
2. C. *Immortale Dei.*
3. *Immortale Dei ;* cf. Encycl. *Sapientiae christianae.*
4. Encycl. *Vehementer nos* ap. *Coll. Brugen.*, 1906, t. XI, p. 203 s.; *Coll. Brugen.*, t. XIV, p. 81 ss.; Encycl. *Jamdudum, l. c.*, p. 218 s. de malis quam Ecclesiae attulit separatio in Lusitania.

affectam civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri [1], » et merito tum Pius IX in *Syllabo* damnavit prop. LV : *Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia sejungendus est ;* tum Pius X [2] rejecit assertum Modernistarum : « Sicut ratione objecti fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus ; sic Status et Ecclesia alter ab altera extranei sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualem... *Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive.* ».

189. — Consectaria. Quibus rite perpensis, colligimus :

1° Asserendum non esse utramque potestatem, licet essentialiter distinctam, nunquam uni eidemque personae competere posse [3].

2° Admitti non posse potestatem sacram a civili, et civilem a sacra esse alienam aut inimicam.

3° In nulla hypothesi posse Statum negare Ecclesiae officium suum negativum, violando jura societatis ecclesiasticae, praescribendo quae Dei aut Ecclesiae lege proscripta sunt, proscribendo quae lege Dei aut Ecclesiae praescripta sunt.

4° Regimen [4] societatis civilis nunquam seu in nulla hypothesi posse esse *atheum,* vel *pure naturalisticum,* quod *passive,* ut aiunt, se habet ad Deum ejusque legem, Religionem et probitatem, ita ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad Religionem respectu, ac si ea non existeret ; nec moveri *indifferentismo,* nullo habitu discrimine inter veram et falsam religionem, eadem jura singulis religionibus agnoscendo.

5° Separationem non esse imprudenter postulandam, nec violenter adducendam, etiamsi in specialibus quibusdam circumstantiis potestas civilis detrimentum quoddam Ecclesiae inferat. De cujus separationis relativae et politicae legitimitate judicium est penes auctoritatem ecclesiasticam.

6° Tamquam typum perfectionis, seu optimam conditionem guberniorum non esse proclamandam illam, in qua non habetur Religio catholica tamquam unica Religio Status, ut aiunt. Hoc expresse damnatur a Pio IX in cit. Encycl. *Quanta cura,* tamquam SS. Litterarum, Ecclesiae, Sanctorumque Patrum doctrinae contrarium : et in *Syllabo,* prop. LXXVII : *AEtate hac nostra non amplius expedit, Religionem catholicam haberi tamquam unicam Status Religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis.*

---

1. C. *Libertas.*
2. Encycl. *Pascendi,* ap. *Coll. Brugen.,* 1907, t. XII, p. 615 s. Cf. *Coll. Namurcen., l. c.,* p. 140 ss.
3. Cf. CAVAGNIS, *o. c.,* p. 382.
4. Quidquid sit de modo sentiendi eorum qui potestatem detinent.

§ 2. CONCORDIA INTER UTRAMQUE SOCIETATEM.

190. I. **Connexio et status quaestionis.** Non modo civitatis Ecclesiaeque rationes dissociandae non sunt, sed inter utramque potestatem, juxta Dei ordinationem, concors ratio in rebus agendis atque per amicam officiorum vicissitudinem existat oportet.

Tantum enim abest ut Ecclesia et societas civilis sint invicem inimicae vel alienae, ut potius, si concorditer incedant, sibi mutuo sint adjutorio et emolumento, juxta illud S. Ivonis Carnutensis [1] : « Novit Paternitas vestra, quia cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia ; cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur. »

Huc accedit civilem potestatem multiplici ex capite teneri ut obtinendo fini Ecclesiae « non modo nihil importet unquam incommodi, sed *omnes quascumque possit, opportunitates afferat* [2] ». *Hanc enim positivam protectionem Status, in quantum per circumstantias licet, praebere debet Ecclesiae vi officiorum suorum tum erga Deum, tum erga Ecclesiam, tum erga cives* [3].

191. — II. **Probatur.** *a) Ex officio erga Deum.* « Etenim dubitari non potest quin sit Dei voluntate inter homines coniuncta societas, sive partes, sive forma eius spectetur quae est auctoritas, sive caussa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit et in coetu sui similium collocavit, ut quod natura eius desiderat, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat... Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, *conservent,* hanc *tueantur,* si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere [4]. »

b) Ex officio erga Ecclesiam. Probavimus enim potestatem civilem, ex naturali subordinatione Status respectu Ecclesiae, teneri ad finem

---

1. Epist. CCXXXVIII ad Paschalem II, Papam.
2. C. *Immortale Dei.*
3. Cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 68 ss.; MOULART, *o. c.*, p. 279 ; BILLOT, *o. c.*, p. 89 ss. Textus ex Actis Leonis XIII ap. CERCEAU, *o. c.*, p. 105 ss.
4. Encycl. *Libertas.* Cf. C. *Immortale Dei.*

Ecclesiae, data necessitate, promovendum ; praeterea, princeps, si christianus sit, haud secus ac ipsius subditi, non potest esse indifferens ad bonum societatis cujus est membrum ; sed pro posse suo tenetur hoc bonum promovere, Ecclesiae positive inservire, eamque adversus hostes tueri ac protegere.

c) Ex officio erga cives. « Publica enim potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est : et quamquam hoc proxime spectat, deducere cives ad huius quae in terris degitur, vitae prosperitatem, tamen non minuere, sed *augere* homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonorum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit : quo perveniri non potest religione neglecta [1]. »

d) Ex officio erga societatem civilem, cum optima institutio societatis non multum proderit, nisi adsint religio et illae virtutes quae ex religione nascuntur, justitia, obedientia, caritas, etc [2].

Hujus concordiae excellentiam variosque fructus praeclare proponit Leo XIII in cit. Const. *Immortale Dei, §. Talis autem conformatio reipublicae.*

« Sanctum igitur oportet, apud principes esse Dei nomen, ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium [3]. »

192. — III. **Mutua protectio societatis sacrae et civilis** potissimum in sequentibus consistit :

1° *Ecclesia* juvat Statum, *a)* preces fundendo pro Status pace et prosperitate ; *b)* « eas doctrinas et praecepta tradendo, quibus societatis incolumitati et quieti apprime prospicitur et nefasta socialismi propago radicitus evellitur [4] », docendo ab una parte imperium gerendum esse ad utilitatem civium, rectoresque populorum potestate sibi concessa uti debere in aedificationem et non in destructionem ; et ab altera parte docendo subditos subjectionem potestatibus saecularibus, damnando errores et profligando vitia quae fundamenta societatis evertunt et ingentia mala gignunt, infligendo demum rebellibus poenas spirituales [5] ; *c)* subveniendo publicis necessitatibus subsidiis etiam

1. Encycl. *Libertas.* Cf. C. *Immortale Dei.*

2. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 276 ss.; HAMMERSTEIN, *o. c.*, p. 105 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 80 ; *Coll. Brugen.*, 1909, t. XIV, p. 83 s.; GAUDEAU, *o. c.*, p. 52 ss., 66 ss., 100 ss. etc. Textus Leonis XIII ap. CERCEAU, *o. c.*, p. 90 ss., 140 ss., etc.

3. C. *Immortale Dei.* Confirmatur haec argumentatio traditione. Cf. MOULART, *o. c.*, p. 285 ; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 306 ss.

4. C. Leonis XIII, *Quod apostolici.*

5. Textus Leonis XIII ap. CERCEAU, *o. c.*, p. 110 ; Litt. Bened. XV ad Epōs Lusitaniae de suadenda subjectione et obedientia potestati constitutae, 18 dec. 1919, *AAS.*, 1920, t. XII, p. 32 s. Cf. MOULART, *o. c.*, p. 290 s.

pecuniariis ; et suis institutis charitatis et instructionis bonum publicum promovendo [1].

2° *Status* Ecclesiam juvat *negative* et *positive : a)* negative, nihil praescribendo vel prohibendo quod repugnat aut legibus aut juribus Ecclesiae. *b) Positive,* concedendo Ecclesiae tuitionem legalem omni societati legitimae debitam ; quinimo providendo Ecclesiae ut societati perfectae et necessariae, ejusque cultus, ministrorum, propagationis necessitatibus ; leges suas conformando legibus Ecclesiae, et earum executioni in ordine externo invigilando ; repellendo hostium Ecclesiae conatus, eique praebendo auxilium adversum haeresim, schisma et apostasiam [2].

Officium *negativum* Status est absolutum. Est enim obligatio non faciendi quae imponitur ipso jure divino, cujus transgressio esset intrinsece mala. Protectionis autem *positivae* exercitium pendet, *a) ab objecto* circa quod versatur, cum multae sunt obligationes religiosae exigentes dispositiones internas, quae nullam sanctionem *directam* aut coactionem ex parte Status patiuntur [3] ; *b) a necessitate* aut *utilitate* hujus interventus. Tenetur Status adjuvare Ecclesiam vel quando urget periculum pro Ecclesia aut fidelibus, vel quando protectio ab Ecclesia exigitur ; *c) ab adjunctis,* sc. suspenditur haec obligatio, quando adimpletio ejus ratione adjunctorum, opinionum esset impossibilis, nimis ardua, nociva Ecclesiae vel Statui [4].

3° Haec vero mutua protectio, mutuumque auxilium *nullam dant auctoritatem* potestati protegenti in eam, cui auxilium fertur, nullam jurisdictionem in res illas, circa quas protectio versatur. Potestas protegens officium seu ministerium exercet ; illud autem in jus mutare non potest ; tuitionis officium in potestate altera defendenda, non in ea regenda, versatur ; quod praesertim valet de Statu, cum subordinatus sit Ecclesiae [5].

193. — 4° Quod probe notandum est : *a)* adversus eos qui potestatem civilem facile excusantes, injuste queruntur de usurpationibus potestatis sacrae, et Ecclesiae vitio vertunt, quod magistratui civili saepe est exprobrandum ; siquidem antiquissima experientia ab ipsa S. Ambrosii aetate perspectum sit, *cupidiores esse Imperatores sacerdotio quam Sacerdotes imperio* [6].

---

1. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 342 ss.; MOULART, *o. c.*, p. 282 s.; BILLOT, *o. c.*, p. 96 ss.
2. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 303 ss., 336 ss.; MOULART, *o. c.*, p. 279 s. Cf. can. 2198.
3. V. gr. obligatio orandi, confitendi.
4. MOULART, *o. c.*, p. 292 ss.
5. Cf. CAVAGNIS, *o. et l. c.;* MOULART, *o. c.*, p. 291.
6. Epist. ad Sor. Cf. Syllabi prop. XXIII ; textus Leonis XIII ap. CERCEAU, *o. c.*, p. 113 ss.

b) Adversus alios nonnullos Regalistas, qui officium tuitionis ss. canonum et protectionis fidei ac Ecclesiae, quod juxta Trid. [1] a Deo Principes habent, ita dilatant ut, ex tutoribus legislatores faciant. Tota enim vis et potestas tuitionis in eo est, ut Principes procurent observationem legum, quas Ecclesia et potestates spirituales condiderunt, et defendant promoveantque executionem quoad ea, quae in istis legibus ad ordinem exteriorem spectant. Ergo nequit Status disponere de negotiis Ecclesiae ; ipsius tantum est dirigere media legalia, ordini suo respondentia, ad tuitionem auctoritatis protectae [2].

194. Scholion. *De tolerantia falsorum cultuum* [3].

Quae diximus de concordia utriusque societatis movent quaestionem tolerantiae Status et Ecclesiae erga sectas dissidentes, tum infidelium tum christianorum.

195. — I. **Praenotiones.** Triplex datur tolerantia : *a) tolerantia religiosa* vel *dogmatica* seu *indifferentismus religiosus,* quae docet omnes religiones esse aequaliter veras seu aequaliter falsas, ideoque integrum cuique esse aut quam libuerit aut omnino nullam profiteri religionem. Quae tolerantia maxime impia est, absurda et damnata ab Ecclesia [4] ; *b) tolerantia privata* seu *christiana,* quae in eo consistit, ut unumquemque, quocum agendum nobis sit, nostrum proximum aestimantes, licet alienum a nostra religione, non solum toleremus sed in familiari etiam vitae consuetudine omnia officia ad legem christianae pietatis pertinentia ei exhibeamus [5]. Quae tolerantia, vitato periculo perversionis et iis improbatis quae illicitam saperent communicationem in sacris, virtus est humilitatis, justitiae et caritatis et imponitur ab Ecclesia ; *c) tolerantia civilis* seu *politica* auditur de ea dispositione potestatis civilis et ecclesiasticae, quae sectas erroneas habentes, earum tamen professionem et exercitium non prohibent aut reprimunt, sed intra justos limites tolerant aut permittunt [6]. De hac tolerantia, tum ex parte Ecclesiae, tum ex parte Status considerata hic agitur.

1: Sess. XXV, c. 20.

2. CAVAGNIS, *o. et l. c.*; MOULART, *o. c.*, p. 294 s.

3. Cf. A. VERMEERSCH, *La tolérance,* Louvain, 1912 ; BILLOT, *o. c.*, p. 101 ss.; PAQUET, *o. c.*, p. 268 ss.; 291 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 87 ss.; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 354 ss.; MOULART, *o. c.*, p. 295 ss.; *Collat. Brugen.*, 1909, t. XIV, p. 209 ss. ; AICHNER, *o. c.*, p. 155 ss.; HERGENROETHER-HOLLWECK, *o. c.*, p. 114 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 67 ss.; REINHOLD, *Religioese Intoleranz und buergerliche Toleranz,* in *Theol. prakt. Quartalschrift,* 1913, t. LXVI, p. 727 ss.; NOGUER, *La doctrina politico-social de San Agustin, especialmente sobre el castigo de los herejos,* in *Rázon y Fe,* 1913, t. XXXV, p. 349 ss.

4. Cf. BILLOT, *o. c.*, p. 101 ss.; Greg. XVI Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832 ; Pii IX Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864 ; *Syllabus,* n° XV-XVIII ; Leonis XIII C. *Immortale Dei.*

5. AICHNER, *o. c.*, p. 156 ; VERMEERSCH, *o. c.*, p. 3 ; p. 11 ss.

6. Cf. *Collat. Gandaven.*, 1920, t. VII, p. 98 ss. Illa tolerantia varios admittit

196. — II. A. **Ex parte Ecclesiae.** 1° *Relate ad infideles eorumque cultus professionem et exercitium.*

Principium est : Infideles *directe* non subduntur jurisdictioni Ecclesiae ; tenentur tamen non impedire missionem Ecclesiae. Inde :

a) Ecclesiae jus et officium est a qualibet civili potestate independens, Evangelium praedicandi infidelibus (can. 1322, § 2), et ideo, sive propria potestate sive ope brachii saecularis, ea reprimendi conamina, quibus in hac sua divina missione impediretur [1].

b) Propter defectum potestatis, naturamque actus fidei nequit cogere Ecclesia infideles ad amplectendam religionem catholicam (can. 1351) [2]. Imo, ne juribus parentum vim inferat, prohibet administrare baptismum, infanti usum rationis non adepto, sine consensu unius saltem ex parentibus infidelibus aut tutoribus, nisi in casu periculi mortis aut expositionis pueri (can. 750, 751) [3].

c) Ipsa nequit prohibere professionem et exercitium cultus infidelium, dummodo tamen illae doctrinae praxesque non offendant jus naturale, principia moralitatis et fundamenta societatis christianae. Imo legibus suis, infidelium, maxime judaeorum personas et bona decursu temporum protexit, reprimendo tantummodo eorum injustas aggressiones [4].

---

gradus, praesertim si usus jurium politicorum in statu independens a confessione religiosa civium reddatur, alicujus boni obtinendi, aut majoris mali vitandi causa. De hac tolerantia sermo fiet, infra art. 2. Cf. AICHNER, *o. c.*, p. 165 s.

1. In hoc habetur fundamentum *Protectoratus Missionum,* quem committit Ecclesia potestati civili. Cf. *Le livre blanc du St-Siège,* p. 69-74 ; Litt. Em. Card. Gasparri, 26 jun. 1917, ap. *Rev. du clergé fr.,* 1917, t. XCIII, p. 80 ss.; S. C. de Prop. Fide et S. C. pro Ecclesia Orientali, 15 nov. 1918, ap. *AAS.,* 1918, t. X, p. 508 ; *Le protectorat catholique de la France en Orient et en Extrême-Orient.* Étude historico-juridique par un prélat Romain, Paris, s. d.; *the Catholic Encyclopedia,* t. XII, v° *Protectorate of Missions ;* DE LA JONKAIRE, *Le rôle de la justice française vis-à-vis de la justice religieuse en Tunisie,* Rouen, 1913 ; LE FUR, *Le protectorat de la France sur les catholiques d'Orient et la reprise de nos relations avec le St-Siège,* Paris, 1914 ; GHALEB, *Le protectorat religieux de la France en Orient,* Lyon, 1919 ; LAMPERTICO [2], *Il protettorato in Oriente,* Torino, 1913 ; MERRY DEL VAL, *Verhältnis zwisschen Staat und Mission in den spanischen Kolonien, im 19 u. 20 Jahrh.,* in *Koloniale Rundschau,* 1913, p. 330 ss. Cf. *Collat. Brugen., l. c.,* p. 211 nota (1) ; PAQUET, *o. c.,* p. 278.

2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Summa novi juris can.,* p. 72, Mechliniae, 1918. Haec est praxis et doctrina constans Ecclesiae. Cf. MOULART, *o. c.,* p. 297 ss.; S. THOMAM, 2-2, qu. 10, a. 8.

3. PAQUET, *o. c.,* p. 280 ss. ; *Coll. Brugen.,* 1921, t. XXI, p. 289 ss. Puer, hac lege non obstante, baptizatus, jam subditur jurisdictioni Ecclesiae. Celeber est casus Mortara. Cf. PAQUET, *o. c.,* p. 149 ss.; *Diction. apolog. de la foi catholique,* v° *Mortara.*

4. Cf. de modo agendi Ecclesiae erga Judaeos PAQUET, *o. c.,* p. 282 ss.; PHILLIPS, *Kirchenrecht,* t. II, p. 410 ; SAEGMUBLLER, p. 67, bibliographia ; DEPLOIGE, *Saint Thomas et la question juive* (Coll. *Science et Religion*), 2 vol. Paris.

d) Dubitari nequit quin Ecclesia contra aggressores infideles bona sua sive temporalia sive spiritualia defendere possit [1].

197. 2° *Relate ad haereticos* [2].

Regula generali Ecclesia jus et officium habet animadvertendi poenis temporalibus et spiritualibus, in haereticos, ut in subditos criminosos et rebelles. Hic notandum non agi de haeresi *materiali*, ejus qui absque contumacia sentit alia ratione quam sentit Ecclesia ; sed de haeresi *formali et externa*, ejus qui in pertinacia erroris versatur, sciens se verae Christi Ecclesiae adversari et qui facto aut verbo errorem contra fidem profitetur [3]. Hae poenae justissime inferuntur, cum haeresis sit *delictum laesae majestatis divinae, rebellio in Ecclesiam, periculum pro fide christianorum, crimen sociale.* Unitatem societatis christianae, tempore medii aevi mirabiliter constitutam et praeprimis in unam fidei professionem fundatam, dilaniare minatur [4]. Haec coercitio eo severior sit oportet, quo, attentis adjunctis, major necessitas apparet defendendae societatis. Nec objici potest error *involuntarius* haeretici in conscientia insontis ; cum merito in foro externo praesumatur culpabilitas in casu haereseos *cum pertinacia conjunctae* et *externe manifestatae ;* et cum error ille criminosus a reo reformari possit et debeat, adjuvante etiam ad hoc sanctione poenali. Quodsi in casu extraordinario puniretur haereticus in facie Ecclesiae culpabilis at in foro interno innoxius, hoc legitimaretur propter bonum publicum praevalens bono privato [5].

198. — B. **Ex parte Status catholici.** 1° *Relate ad infideles eorumque cultus professionem et exercitium* [6].

a) Officium est Status adjuvare apostolatum catholicum, removendo obstacula, protegendo qui velint converti et missionariis media materialia suppeditando.

b) Status nequit cogere infideles ad amplectendam fidem catholicam. Attamen ad adjuvandam propagationem Evangelii, et stabiliendam unitatem nationis per unitatem fidei, posset juxta sententiam probabiliorem cogere subditos infideles ad recipiendos et audiendos missionarios, imo *mediis indirectis* uti, ut dissidentes convertantur.

c) Princeps catholicus nequit has prohibere doctrinas et coeremonias

---

1. BIEDERLACK, *o. c.*, p. 91 s.
2. Haec valent etiam de schismaticis qui ab una Ecclesia se separant et plerumque in haeresim labuntur.
3. Cf. SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. V, p. 85 s.
4. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 94 ss.; PAQUET, *o. c.*, p. 295 ss.
5. Cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 111 ss.; ubi invenies solutionem aliarum difficultatum. V. etiam MOULART, 318 ss.; PAQUET, *o. c.*, p. 298 ss.; BILLOT, *o. c.*, p. 110 s.
6. *Collat. Brugen., l. c.*, p. 210.

infidelium, quae etsi opponantur dogmatibus et legibus religionis catholicae, tamen non laedunt jus naturale religiosum, morale et sociale.

d) Tenetur regula generali proscribere et punire errores et praxes contrarias juri naturae. Quodsi, boni majoris obtinendi aut mali pejoris vitandi causa, quaedam exceptiones tolerantur, hae nunquam extendi possunt ad manifestationem et propagationem illorum errorum, ad perpetrationem illorum delictorum, quibus fundamenta societatis ruunt.

199. — 2° *Relate ad haereticos.*

Attentis principiis, Princeps catholicus debet praestare auxilium Ecclesiae ad coercendos haereticos, tum impediendo ortum et propagationem haereticae pravitatis, tum positiva poena in haereticos animadvertendo. Valent ad legitimandum brachii saecularis interventum rationes supra allatae ; valet ratio servandae societatis civilis, cui primum et maxime necessarium bonum est conjunctio animorum in unitate fidei ; valet ratio coercendi tyrannidem iniquasque oppressiones furentium haereticorum ; valet ratio conversionis ipsorum reorum, *cum saepe quaerunt homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium* [1]. Haec coactio non intendit violentia propagare religionem aut vi infringere conscientiam, sed tueri societatem religiosam et civilem [2], et veram conversionem cordis coadjuvare [3].

Quoad applicationem hujus doctrinae, attendantur normae sequentes [4].

a) Remaneant principes tutores auxiliatoresque Ecclesiae ; nec ipsius judicia praeveniant in materia fidei aut morum.

b) Invehatur tantummodo in actus externos rebellionis pertinacis.

c) Natura et gravitas poenarum accommodentur moribus publicis, adjunctis temporis et loci, praesertim necessitati tuitionis socialis.

d) Utatur severitate in haeresim nascentem, tolerantia in sectas constitutas.

e) In quibusdam adjunctis, juxta dicta, haeresis tolerari potest [5].

200. — **Nota.** Juxta exposita judicandum est de repressione *haereticae pravitatis* ab Statu et Ecclesia et de *Inquisitione* [6].

---

1. Conc. Lateran. III, can. 27.
2. Unde desumitur, attentis adjunctis, ratio severitatis coercitionis.
3. BILLOT, *o. c.*, p. 121 s.
4. MOULART, *o. c.*, p. 314 ss.
5. Quoad totam illam quaestionem legatur BILLOT, *o. c.*, p. 101-127 ; VERMEERSCH, *o. c.*, p. 34 ss., 274 ss., 291 ss.; PAQUET, *o. c.*, p. 291 ss.
6. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 201 ss.; VERMEERSCH, *o. c.*, p. 122 ss., p. 412 reperietur bibliographia (V. *Collat. Brugen.*, 1912, t. XVII, p. 482) ; LANDRIEUX, *L'Inquisition*, Paris, 1911 ; LEGRAND, *L'Inquisition.* (Coll. *Science et Foi*, n° 24), Bruxelles, 1911 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 72 ss.; *Rapport du Sémin. hist. de Louvain*, 1904-1905, *Annuaire*, 1906, p. 453 ss., 493 s.; 1910-1911, *Ann.*, 1912, p. 401

§ 3. CONFLICTUS INTER UTRAMQUE SOCIETATEM.

201. — Ut concordia regnet inter Ecclesiam et Societatem civilem, tria sunt servanda : ut nempe *a)* utraque libere valeat jura sua et officia exercere ; *b)* in suo ordine seu intra limites suae potestatis actiones suas contineat ; et *c)* alterius jura revereatur. Si unum alterumve pessumdetur, conflictus oriatur necesse est, qui juxta tradita [1], solvendus erit applicando regulas sequentes :

1° Inquirendum an causa conflictus sit ecclesiastica, civilis vel mixta ; quo facto, res committenda est potestati cui competit vel ex toto, vel ex parte. De quo statim.

2° Si ea ratione conflictus solvi nequeat, iniri potest concordatum, seu amicalis compositio.

3° Quod si et huic medio via praecludatur et summo jure agendum sit, jus decidendi ad Ecclesiam spectat. Ecclesia enim et dignitate et potestate superior est societate civili, quae ei indirecte est subordinata : ea sola res suas cognoscere valet ; et praeterea quod Ecclesiae prodest, Statui nocere nequit [2].

§ 4. DE PRAECIPUIS ERRORIBUS MODERNIS CIRCA RELATIONES STATUS ET ECCLESIAE.

A. DE LIBERALISMO.

Fontes. Praeter fontes qui citantur in textu, cf. Epistola pastoralis Episcopatus Equatoris, 15 Jul. 1885, ap. DOM SARDA, *Le libéralisme est un péché*, Paris, 1910 ; Instructio S. S^is^ circa liberalismi doctrinas, directa ad Archiepiscopum Bogotensem in Columbia cum Instructione pro clero Columbiano, 6 Ap. 1900, ap. *Analecta Ecclesiastica*, 1906, p. 32 ss.; Alloc. consist. Pii X, 27 maii 1914, *AAS.*, 1914, t. VI, p. 260.

Auctores. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 119 ; BOUQUILLON, *Theol. mor. fundam.*[3], n° 246, p. 483 ; MOULART, *o. c.*, p. 118 ; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 326 ; PAQUET, *o. c.*, p. 224 ; BILLOT, *o. c.*, p. 19 ss.; L. VEUILLOT, *L'illusion libérale*, Paris, 1866 ; LABIS, *Le libéralisme, la franc-*

---

ss.; *Collat. Namurcen.*, 1911-1912, t. XI, p. 146 ss., 284 ss.; 1912-1913, t. XII, p. 30 ss.; *Allgemeine Dekrete der Roemischen Inquisition aus dem Jahren 1555-1597*, ed. L. v. PASTOR, in *Historisches Jahrbuch*, 1912, t. XXXIII, p. 479 ss.; GARZEND, *L'inquisition et l'hérésie. Distinction de l'hérésie théologique et de l'hérésie inquisitoriale*, Paris, 1913 ; MOELLER, *Les bûchers et les auto-da-fe de l'inquisition depuis le moyen âge*, in *Rev. d'hist. ecclés.*, 1913, t. XIV, p. 720 ss.; 1914, t. XV, p. 50 ss.; KOEHLER, *Die Ketzerpolitik der Deutschen Kaiser und Koeninge in den Jahren 1152-1254*, Bonn, 1913 ; MARX, *L'Inquisition en Dauphiné* (Biblioth. de l'École des Hautes Études), Paris, 1914 ; *Diction. de théol. cath.*, v° *hérétique* ; TUBERVILLE, *Mediaeval Heresy and the Inquisition*, London, 1921.

1. Supra, n. 137.
2. Supra, n° 155.

maçonnerie et l'Église catholique, Bruxelles, 1869 ; DECHAMPS, *Le libéralisme* (1877), Malines ; ejusd. auct., *Les catholiques-libéraux* (1877), Malines ; *Revue catholique*, 1877, t. XVIII, nouv. sér., p. 627 ss., 540 ss.; *Het liberalismus*, Brugge, 1876 ; L. BIROT, *La crise du libéralisme*, in *la Revue du Clergé français*, 1903, t. XXXIV, p. 561-583 ; t. XXXV, p. 25-38 ; VAN HUGENPOTH TOT AERDT, *Het liberalisme (Futura uitgaven)*, Leiden, 1905 ; PESCH-AALBERSE, *Liberalisme, Socialisme en Katholieke Staats- en maatschappijleer*, Deel I, Boek I, *(Futura uitgaven)*, Leiden, 1908 ; NEUNDOERFER, *Die ältere Deutsche Liberalismus und die Forderung der Trennung von Staat und Kirche*, in *Arch. für kath. Kirchenr.*, 1909, t. LXXXIX, p. 270 ss., 393 ss.; HEDDE, *Le libéralisme, étude logique et philosophique d'un concept*, in *Rev. thomiste*, 1911, t. XIX, p. 50 ss., 185 ss.; CAULY, *Libéralisme et modernisme*, Paris, 1911 ; R. URIBE URIBE, *De cómo el liberalismo politico colombiano no es pecado*, Bogota, 1912 ; LACOINTA [2], *Libéralisme et tolérance*, Toulouse, 1918; DOM BESSE, *l'Église et les libertés*, Paris, 1913 ; AVENTINO, *La doctrine de Léon XIII contre le libéralisme et la démocratie*, Paris, 1914; NEYRON, *Le gouvernement de l'Église*, Paris, 1919 ; *Staatlexikon* [2] v° *Liberalismus ;* VAN HOVE, *Le libéralisme et la liberté d'enseignement* (Extr. de la *Trib. Apologétique*, juin, 1913), Bruxelles, 1913. Cf. Auctores liberales (1) inter quos E. FAGUET, *Le libéralisme*, Paris, s. d.; WILMOTTE, *La Belgique morale et politique*, Bruxelles, 1905 ; VAUTHIER, *Le libéralisme contemporain*, in *Revue de l'Université de Bruxelles*, 1907-1908, t. XIII, p. 537 ss.

202. — **Connexio.** Doctrinae in praecedentibus traditae de natura Ecclesiae, de Status erga Ecclesiam subordinatione deque necessaria utriusque potestatis colligatione, maxime repugnat error ille modernus cujus fautores se, ducto a libertate nomine, *Liberales* appellari volunt. Principia et argumenta superius proposita sufficiunt quidem ad errorem hunc convincendum penitusque evertendum ; verum, quoniam perniciosa *Liberalismi* doctrina atque recentiora illa effrenatae libertatis placita non modo plurimorum hominum mentes, sed civilem etiam societatem latissime pervaserint, haud inutile duximus *Liberalismi* principia intimius investigare eorumque falsitatem directe demonstrare. Quod perficere conabimur praelucente uberrima disciplina a Leone XIII, in suis litteris Encyclicis, populo christiano tradita, ut magis appareat quam longe a veritate simul et ab Ecclesiae sensu *Liberalismus* distet.

203. — I. **Exponitur Liberalismi doctrina.** A) **Caput doctrinae.** *Liberales* qui dicuntur, ii sunt qui « posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitae deducunt : revera quo spectant in philosophia *Naturalistae*, seu *Rationalistae*, eodem in re morali ac civili

1. Liberalismus doctrinalis evanuit saltem quod attinet ad doctrinam politico-religiosam ; mutatus est in anticlericalismum vergentem ad socialismum. Cf. Pro Belgio : DU BUS DE WARNAFFE, *L'évolution du parti libéral*, in *Revue générale*, 1906, t. LXXXIII, p. 771-786 ; V. BRIFAUT, *L'action de la franc-maçonnerie sur l'évolution du parti libéral en Belgique*, ibid., 1907, t. LXXXV, p. 107 ss. ; WOESTE, *L'évolution du parti libéral vers le socialisme, ibid.*, 1912, t. XCVIII, p. 5 ss.; DE CERF, *La question religieuse dans la politique belge contemporaine*, in *La Revue apolégétique*, t. XII, 1910, p. 255 ss., 391 ss., 487 ss., 489 ss.

spectant *Liberalismi* fautores », et ideo *Liberalismus* merito *Naturalismus politicus* vocatur. « Jamvero totius *Rationalismi* humanae principatus rationis caput est : quae obedientiam divinae aeternaeque rationi debitam recusans, suique iuris esse decernens, ipsa sola efficitur summum principium et fons et iudex veritatis. Ita... *Liberalismi* sectatores in actione vitae, nullam contendunt esse, cui parendum est, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem : unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae sub specie libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dari [1]. » Quamvis non omnes *Liberalismi* fautores hanc omnimodam rationis et voluntatis humanae independentiam propugnent, neque omnes eodem modo atque eodem gradu ex obtemperatione discedant, quae vel Deo, vel iis qui potestatem divinam participant, debetur ; omnes tamen conveniunt in asserendo *quod regimen politicum ordinandum sit absque ullo respectu ad ordinem supernaturalem,* adeo ut omnes plus minus destruere studeant illam colligationem quae Dei voluntate intercedit inter utrumque ordinem, tum qui in natura, tum qui supra naturam est. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, *civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere.*

204. — B. **Variae species.** *Liberalismi* distinguitur forma multiplex : 1° *Liberalismus completus* seu *absolutus,* qui consistit in negatione *omnis legis divinae,* tum *supernaturalis,* tum *etiam naturalis,* in *publicis,* vel etiam in *privatis* domesticisque rebus.

Hujus impii systematis a) *principium est* « omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares : unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritate obnoxius : cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse ; imperandi aliis jus esse in nemine [2]. » b) *Consequentiae.* α) quoad *societatem civilem.* « Quae omnia in hominum praesertim *societate* quo tandem evadant, facile est pervidere. Hoc enim fixo et persuaso, homini antistare neminem, consequitur caussam efficientem conciliationis civilis et societatis non in aliquo extra aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quaerendam : potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam, praetereaque, sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi privatim est singulis, ita universorum esse oportere universis in rerum genere

1. Encycl. *Libertas,* 28 jun. 1888. Ita fere Inst. cit. S. Sedis ad Archiepisc. Bogotensem in Columbia. Cf. BILLOT, *o. c.,* 19 ss.

2. C. *Immortale Dei,* Cf. *La déclaration des droits de l'homme,* ap. FAGUET, *o. c.,* p. v. Cfr. DELPLACE, *La Réforme et la liberté de l'Église,* Louvain ; VAN HUGENPOTH TOT AERDT, *o. c.,* p. 5 ss.

publicarum. Hinc plurimum posse plurimos : partem populi maiorem universi iuris esse officiique effectricem [1] » ; β) quoad *religionem* tum *privati hominis,* tum *societatis.* « In silentio iacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent;.. cumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipso continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet ; ut *religionem* publice profiteatur nullam ; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam caeteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequalitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem ; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur : exlex uniuscuiusque conscientiae iudicium ; liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae ; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia [2] ». Inde sequitur Statum atheum vel indifferentem absolute separandum esse a religione et Ecclesia, ita ut omnis ordo socialis et politicus, instituta omnia, scholae et hospitia debeant regi posthabita Ecclesia ; γ) quoad *Ecclesiam,* cui denegatur genus societatis perfectae imo quae hostiliter impugnatur. « His autem positis..., facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur *Ecclesia.* Nam ubi cum eiusmodi doctrinis ratio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur... Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus detractis, plane similem habeant caeterarum communitatum, quas respublica continet : ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis [3]. » — Quin imo, quum juxta illos delirantes, « Christi fides humanae refragatur rationi divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni [4], supernaturalibus fidei veritatibus, tamquam rationi inimicis, impugnatis et reiectis, ipse humani generis Auctor ac Redemptor ab omni publica humanae vitae consuetudine sensim et paulatim exulare cogitur [5]. » Verbo, « ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur,

1. Encycl. *Libertas.* « His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas... ; est republica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo ». C. *Immortale Dei ;* cf. Inst. cit. ad Arch. Bogotensem.
2. Const. *Immortale Dei.*
3. Const. *Immortale Dei.*
4. Syll. prop. VI.
5. Encycl. *Quod apostolici.*

mos et voluntas est, *aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere* [1]. »

205. — 2° *Liberalismus minus completus, vel mitigatus,* qui consistit in negatione *legis divinae supernaturalis,* admissa naturali. Hujus Liberalismi duplex est species : *a)* una consistit in repudiatione christianae legis, tum pro *civitate,* tum etiam pro *individuis.* Non est cur ille liberalismus distinguatur a priori, cum rempublicam vult ab Ecclesia sejunctam, et penitus et totam [2] ; *b)* altera consistit in repudiatione legis christianae pro *civitate,* admissa subjectione individuorum. Ille liberalismus differt a praecedenti eo quod agnoscat revelationem, institutionem divinam Ecclesiae, distinctionem inter ordinem naturalem et supernaturalem. In eo autem errat quod separationem radicalem utriusque ordinis et utriusque societatis tenet. *Status* est in ordine naturali, *Ecclesia* in ordine supernaturali ; utraque potestas suprema et independens. Res *spirituales et privatae* spectant ad ordinem supernaturalem et Ecclesiam, res *temporales et publicae* ad ordinem naturalem et ad Statum. Inde sequitur Statum nullo modo subordinari Ecclesiae ; Statum et Ecclesiam non esse ad invicem inimicos sed extraneos ; Ecclesiam esse liberam in Statu libero. Sed tamen ut liberalismus hanc libertatem Ecclesiae agnoscere valeat, restringit competentiam ecclesiasticam ad *solum forum internum.* In *foro externo* ea tantum jura Ecclesiae agnoscuntur quae competunt cuique civi, adeo ut libertas cultus idem sonet ac libertas conscientiae. *Consequitur :* α) Status separandus est ab Ecclesia. Cum nitatur totus quantus in jure naturae, abstrahere debet ab omni religione revelata et constituere ordinem socialem, educationem, instituta omnia juxta principia neutralitatis aut principia communia omnibus confessionibus ; β) Officium est Status elargiendi omnibus largissimam libertatem individualem, quoad omnes opiniones actionesque vitae intra limites tranquillitatis et prosperitatis publicae [3].

206. — 3° Accedit *Liberalismus* qui non inepte *catholicus* [4] *appellatur.*

---

1. Const. *Immortale Dei.* Cf. VERMEERSCH, *o. c.,* p. 243 ss. 250 ss.; ROTHENBUECHER, *o. c.,* p. 98 ss., 105 ss. Inter asseclas hujus separationis absolutae et infensae in Ecclesiam merito apud nos citatur F. LAURENT, *L'Église et l'État* [2], Paris, 1866.

2. Cf. Encycl. *Libertas ;* Instruct. cit. ad Archiep. Bogoten Cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 123.

3. Cf. ROTHENBUECHER, *o. c.,* p. 98 ss., sub respectu historico. V. PAQUET, *o. c.,* p. 250.

4. Cf. CAVAGNIS. *o. c.,* p. 330 ; PAQUET, *o. c.,* p. 251 ss. Cf. ROTHENBUECHER, *o. c.,* p. 88 ss.; BOUTARD, *Lamennais,* 3 vol. T. II. *Le catholicisme libéral,* 1828-1834, Paris, 1908 ; WEILL, *Histoire du catholicisme libéral en France,* 1828-1908, Paris, 1908 ; GAFFRE, *Le divorce entre l'Église et la République,* p. 249 ss., Paris, 1906, ubi quaedam minus recta habentur in dijudicanda hac opinione, uti in LECANUET, *L'Église de France sous la 3e République,* 2 vol., Paris, 1907-1910. Cf.

Nexum aliquem, saltem practicum, is habet cum *Liberalismo* mitigato. Hujus disciplinae fautores *principia* quidem *Liberalismi* ut *veritates doctrinales* opinione repudiant, sed re eadem, *in actione vitae et publico regimine*, probare videntur [1]. Hanc enim constituendae temperandaeque civitatis rationem, quae a *Liberalismi* doctrina sponte efflorescit, ut praestantiorem, magis aevo nostro congruentem, imo et ipsi Ecclesiae utiliorem, extollere haud verentur ; atque ideo contendunt « Romanum Pontificem posse ac debere cum progressu, cum *Liberalismo* et cum recenti civitate sese reconciliare et componere [2]. » « Rei sacrae a re civili distractionem non probant ; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desideret [3]. »

207. — II. **Confutatur Liberalismi Doctrina.** A. Absurde dicitur cum *Liberalismo radicali « nullam esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem »*, tum in *publicis*, tum *in privatis* rebus.

1° *Hoc naturae repugnat.* « Nullam siquidem velle homini aut societati civili cum Deo creatore ac proinde supremo omnium legislatore intercedere vinclum, *omnino naturae repugnat*, nec naturae hominis tantum, sed rerum omnium procreatarum : quia res omnes effectas cum caussa, a qua effectae sunt, aliquo aptas nexu necesse est ; omnibusque naturis hoc convenit, hoc ad perfectionem singularum pertinet, eo se continere loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei quod superius est, id quod est inferius subiiciatur et pareat »... Igitur necessitate fit, « ut totus homo in verissima perpetuaque potestate Dei sit ; proinde libertas hominis, nisi obnoxia Deo eiusque voluntati subiecta, intelligi minime potest. Quem quidem in Deo principatum aut esse negare, aut ferre nolle, non liberi hominis est, sed abutentis ad perduellionem libertate [4]. »

2° « Sed praeterea est huiusmodi doctrina *tum privatis hominibus tunc civitatibus maxime perniciosa* [5]. Ex hac nascuntur :

a) Morum corruptela. « Sane reiecto ad humanam rationem et solam et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen ;

---

etiam E. VEUILLOT, *Louis Veuillot*, 3 vol., Paris, 1901-1904 (*Rev. d'hist. ecclésias.*, 1902, t. III, p. 421-424 ; 1905, t. VI, p. 161-165) ; MOURRET, *Le mouvement catholique en France depuis 1830 à 1850*, Paris, 1920.

1. Inst. Cit. ad Arch. Bogoten.
2. Syllab. prop. 80 ; *Rev. du clergé français*, 1913, t. LXXIV, p. 160 ss.
3. Encycl. *Libertas*.
4. *Ibid.*
5. Cf. BILLOT, *o. c.*, p. 30 s. Cf. CH. MAURRAS, *La politique religieuse*, Paris, 1912, in quo inter alia non probanda, invenitur refutatio liberalismi, p. 106 ss., 405 ss.

turpia ab honestis non re, sed opinione iudicioque singulorum differunt : quod libeat, idem licebit ; constitutaque morum disciplina, cuius ad coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitae corruptelam aditus. »

b) Tyrannica dominatio. « In rebus autem publicis, potestas imperandi separatur a vero naturalique principio, unde omnem haurit virtutem efficientem boni communis : lex de iis quae facienda fugiendave sunt statuens, maioris multitudinis permittitur arbitrio, quod quidem est iter ad tyrannicam dominationem proclive. »

c) Religionis incuria. « Imperio Dei in hominem hominumque societatem repudiato, consentaneum est nullam esse publice religionem, rerumque omnium quae ad religionem referantur, incuria maxima consequetur [1]. »

d) Populares seditiones. « Similiter opinione principatus armata, facile ad seditionem turbasque labitur multitudo, frenisque officii et conscientiae sublatis, nihil praeter vim relinquitur ; quae tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit. Quod satis testatur dimicatio propemodum quotidiana contra *socialistas,* aliosque seditiosorum greges, qui funditus permovere civitates diu moliuntur. »

Conclusio. « Statuant igitur ac definiant rerum aequi moderatores, tales doctrinae proficiantne ad veram dignamque hominis libertatem, an potius ipsam pervertant totamque corrumpant.

« Profecto imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut, maxima libertatis perversitas, ita pessimum *liberalismi* est genus [2]. »

208. — B. Pariter in errore versantur et sibimetipsis minime cohaerent *Liberales minus absoluti infensioris gradus,* « qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cuius ex numine tota est apta natura ; sed... *leges fidei et morum quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant.* »

1° « *Sibi contradicit qui Deo auctori naturae obedientiam praestat hancque denegat Deo auctori revelationis.* « Etenim si est, quod ipsi consentiunt nec dissentire potest iure quisquam, si est Dei legislatoris obediendum voluntati, quia totus homo in potestate est Dei et ad Deum tendit, consequitur posse neminem auctoritati eius legiferae fines modumve praescribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam.

« Immo vero si tantum sibi mens arrogarit humana, ut, quae et quanta

1. V. BILLOT, *o. c.*, p. 38 ss.
2. Encycl. *Libertas.*

sint tum Deo iura, tum sibi officia, velit ipsa discernere, verecundiam legum divinarum plus retinebit specie quam re, et arbitrium eius valebit prae auctoritate ac providentia Dei.

« Necesse est igitur, vivendi normam constanter religioseque, ut a lege aeterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas infinite sapiens, infinite potens Deus, qua sibi ratione visum est, tradidit, quasque nosse tuto possumus perspicuis nec ullo modo addubitandis notis. »

2° *Leges revelatae perficiunt jus naturae.* « Eo vel magis quod istius generis leges, quoniam idem habent, quod lex aeterna, principium, eumdemque auctorem, omnino et cum ratione concordant et perfectionem adiungunt ad naturale ius : eaedemque magisterium Dei ipsius complectuntur, qui scilicet, nostra ne mens neu voluntas in errorem labatur, nutu ductuque suo utramque benigne regit. »

Conclusio. « Sit igitur sancte inviolateque coniunctum, quod nec disiungi potest nec debet, omnibusque in rebus, quod ipsa naturalis ratio praecipit, obnoxie Deo obedienterque serviatur [1]. »

209. — C. *Liberalismi moderati sectatores* « nihilo sibi magis constant *qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis.* » Quod probatur :

1° *Ex consideratione finis civium.* « Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis iustitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. »

2° *Ex consideratione finis completi societatis.* « Deinde qui populo praesunt, hoc omnino reipublicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientia, consulant. Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis legibus aptius, quae Deum habent auctorem : ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto suo et a praescriptione naturae politicam potestatem [2]. »

3° *Absurda est distinctio inter vitam privatam et publicam.* Praeterea perabsurdum est contendere quod liceat aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Dei auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. « Hoc enim esset honesta et turpia coniungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi

1. Encycl. *Libertas.*
2. Encycl. *Libertas.*

semper constare, neque ulla in re ullóve in genere vitae a virtute christiana deficere [1] » : « totus enim homo in verissima perpetuaque potestate Dei est [2]. »

4° *Falsum est Ecclesiae competentiam exclusive esse fori interni, Status vero fori externi.* Ecclesia enim judicat socialiter quoque et exterius hominum actiones. Praeterea forum externum non est independens a foro interno sed per se loquendo eidem conformari debet. Homo enim non duplicem habet judicandi normam, unam pro foro interno, alteram pro externo, sed unicam ; quamvis non semper in foro externo constet id quod in foro interno, sed hoc est *per accidens*. E contrario haec discrepantia utriusque judicii esset *per se* in systemate Liberalismi [3].

5° *Liberalismus mitigatus recedit in Ecclesiae oppressionem.* Cum Status condat leges suas abstrahendo ab Ecclesia, fit ut in pluribus ei contradicat sive ex defectu hominum, sive ex natura rei mixtae. Insuper Ecclesia debet apparere Statui ut societas hostilis et subversiva, cum a suis exigat transgressionem legum civilium, quoties eae suis legibus opponuntur. Inde violentiae et persecutio [4].

210. — D. Consequitur falsam esse sententiam illorum omnium qui *rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam, sive penitus et totam, sive ita saltem ut ei naturam societatis perfectae eripiant eamque sub imperium reipublicae subjungant.*

Contra quos plane vis argumentorum valet, quibus efficitur, divinitus esse constitutum, ut omnia in Ecclesia insint, quae ad naturam ac jura pertineant legitimae, summae et omnibus partibus perfectae societatis, et quibus ipsam de distrahendis Ecclesiae reique civilis rationibus sententiam convincimus [5].

211. — E. Ex dictis etiam liquet quid *de libertate,* uti loquuntur, *cultus,* censendum sit [6].

---

1. Const. *Immortale Dei.* Cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 126 ss., in quo p. 133 refutantur errores E. OLLIVIER, in suo opere : *L'Église et l'État au concile du Vatican,* 2. vol. Paris, s. d.
2. Encycl. *Libertas.*
3. V. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 328.
4. *Ibid.*, p. 329.
5. Cf. supra n° 150 et 185.
6. Cf. supra n° 195 ss. V. Inst. cit. ad Archiepisc. Bogotensem. Cf. PAQUET, *o. c.*, p. 314 ss., praesertim p. 326 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 153 ss.; VERMEERSCH, *o. c.*, p. 213 ss.; DELPLACE, *La Réforme et la liberté de l'Église,* Louvain ; MORLAIS, *La liberté de conscience,* in *Rev. du clergé fr.*, 1905, t. XLIII, p. 561-589 (ubi non omnia recta sunt) ; E. BOUGRINE, *Le libre examen favorise-t-il les libertés publiques et le progrès social ? ibid.*, 1912, t. LXX, p. 194 ss., 559 ss.; DEDIEU, *Apologistes laïques de l'intolérance religieuse,* in *Rev. prat. d'apologét.*, 1910, t. IX, p. 881-897 ; DOM BESSE, *L'Église et les libertés,* Paris, 1913 ; NEYRON, *L'Église et le gouvernement de la pensée,* in *Études,* 1913, t. CXXXVII, p. 305 ss.,

1° Quae si primo *in singulis personis* videatur, « hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem.

a) « Contra vero *ex omnibus hominum officiis* illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines jubemur. α) Idque necessario ex eo consequitur, quod *in Dei potestate perpetuo sumus,* Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad eum reverti debemus; β) Huc accedit, *virtutem* veri nominis *nullam* esse *sine religione* posse : virtus enim moralis est, cujus officia versantur in iis quae ducunt ad Deum, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum ; ideoque religio quae *operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum* [1], cunctarum princeps est moderatrixque virtutum.

b) « Ac si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent *quam Deus jusserit,* quam ipsam facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere, quibus eam distinxisse divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summae errorem ruinae essent consecuturae [2]. »

c) « De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab *atheismo,* si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse [3]. »

2° « Eadem libertas si consideretur *in civitatibus,* hoc sane vult, nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit :

---

477 ss.; *Allocutio* Pii X, 3 aprilis 1913, apud *AAS.,* 1913, t. V, p. 147-151. Cf. etiam : * LUZATTI, *Freiheit des Gewissens und Wissens,* Leipzig, 1911 ; * PERGAMENI, *La tolérance et l'intolérance religieuses dans leurs rapports avec les facteurs psychologique et politique,* in *Rev. de l'Université de Bruxelles,* 1911-1912, t. XVII, p. 409 ss.; LACOINTA [2], *Libéralisme et tolérance,* Toulouse, 1918 ; YVES DE LA BRIÈRE, *Les luttes présentes de l'Église,* 2e sér., p. 171 ss. Sub respectu historico N. PAULUS, *Protestantism u. Toleranz im 16 Jahrh.,* Freib.-Br., 1911 ; BONET-MAURY, *La liberté de conscience en France depuis l'édit de Nantes jusqu'à la séparation* (1598-1905), 2e éd., Paris, 1909 ; DE SCHREVEL, *Notes et documents pour servir à la biographie de Remi Drieux,* in *Annales de l'Émulation de Bruges,* 1901, t. LI, p. 145 ss.; ejusd. auctor., *Remi Drieux, évêque de Bruges et les troubles des Pays,* in *Rev. d'hist. ecclés.,* 1902, t. III, p. 349 ss. etc.

1. S. THOM., 2-2, q. LXXXI, a. 6.
2. Encycl. *Libertas.*
3. Constit. *Immortale Dei.*

nullum anteferri alteri sed aequo iure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen.

a) « Quae ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis *officia adversus Deum* aut nulla esse, aut impune solvi posse : Quod utrumque aperte falsum [1]. »

b) Qui rempublicam gerunt, tenentur veram religionem conservare ac tueri « si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, *civium communitati* consulere [2]. »

Conclusio. Ex dictis igitur liquet 1° « officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus [3]. »

2° « Nihilominus materno iudicio Ecclesia aestimat grave pondus infirmitatis humanae : et qualis hic sit, quo nostra vehitur aetas, animorum rerumque cursus, non ignorat. His de caussis, nihil quidem impertiens iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sint, *non recusat quominus quidpiam a veritate iustitiaque alienum ferat tamen publica potestas,* scilicet maius aliquod vel vitandi caussa malum, vel adipiscendi aut conservandi bonum [4]. » « Revera si divini cultus varia genera, eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum [5]. »

212. — F. Vehementer igitur errant, et sibi minime constant *liberales catholici,* qui rei sacrae a re civili distractionem haud probantes, *id tamen genus reipublicae recens, in quo agere cum libertate concessum sit, tamquam praestantius vel nostro saltem aevo universim magis congruum atque Ecclesiae magis proficuum extollunt* [6]. Probatur :

1° *Ex praestantia ordinis christiani.* Equidem, « quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam nunquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evan-

---

1. Encycl. *Libertas ;* cf. n° 191 sub a).

2. V. Encycl. *Libertas ;* Epist. Leon. XIII ad Imperatorem Brasiliae, de libertate cultuum, 19 jul. 1889. Cf. ea quae diximus supra de officio Status colendi veram religionem propter bonum civium et bonum ipsius societatis, n° 191. Quoad damna quae pariuntur societati a libertatibus modernis, cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 159 ss.; MOULART, *o. c.,* p. 352 ; PAQUET, *o. c.,* p. 327 ; VERMEERSCH, *o. c.,* p. 265 ss.; R. P. AT. *Le vrai et le faux en matière d'autorité et de liberté,* 3e éd., 2 vol., Paris, 1874, t. II, p. 103 ss. Cf. etiam alloc. cit. Pii X, 3 apr. 1913.

3. Const. *Immortale Dei.*

4. Encycl. *Libertas ;* Inst. cit. ad Archiepis. Bogotens. 6 apr. 1900.

5. C. *Immortale Dei.* Cf. postea art. 2.

6. AT. *o. c.,* t. II, p. 169 ; L. VEUILLOT, *L'illusion libérale ;* VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 140 ss.; MOULART, *o. c.,* p. 129 ss.; PAQUET, *o. c.,* p. 249 ss.; BILLOT, *o. c.,* p. 55 ; opera cit. Card. DESCHAMPS.

gelica doctrina sponte efflorescit [1]. » Propterea, « vehementer quidem vellet Ecclesia, in omnes reipublicae ordines..., christiana documenta re usuque penetrarent. In iis enim summa efficacitas inest ad sananda horum temporum mala, non sane pauca nec levia, eaque magnam partem iis ipsis nata libertatibus, quae tanta praedicatione efferuntur et in quibus salutis gloriaeque inclusa semina videbantur [2]. »

Caeterum, « si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas, quae christianum nomen insectetur proterve et tyrannice, cum eaque conferatur id genus reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus innititur, sunt profecto eiusmodi, ut per ipsa probari nemini debeant [3] » ; et « confitendum est, si vere iudicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse sit, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo [4]. »

2° *Ex incohaerentia systematis.*

Ille liberalismus, optime dicit Em^s^ P. Billot [5], « unam solam distinctivam atque characteristicam notam habet, quae est nota perfectae et absolutae *incohaerentiae* ». Incohaerentia est cum distinguunt inter principia abstracta et eorum applicationem, admittentes in ordine speculativo vera esse quae diximus de unione et subordinatione potestatum ; sed applicationem hujus veritatis practicae rejicientes in ordine concreto, quia multa sunt a conditionibus theoriae penitus discordantia. Incohaerentia est in distinctione quam faciunt inter id quod *de jure* conveniens aut debitum esset, et id quod *de facto Ecclesiae* utile est ; dicentes de jure conveniens et bonum esse regimen unionis, perniciosum de facto semper fuisse Ecclesiae, et unicum remanere salutis remedium, libertatem in fruitione juris communis.

3° *Obj.* Quod autem faciendum censeant, ut Ecclesia *obsequatur tempori* atque accommodet se ad ea,quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desideret, « est honesta sententia, si de quadam intelligatur aequa ratione, quae consistere cum veritate iustitiaque possit : nimirum ut, explorata spe magni alicuius boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest. — Verum secus est de rebus ac doctrinis, quas demutatio morum ac fallax iudicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, iustitia potest : quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse iusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa quod

1. Const. *Immortale Dei.*
2. Encycl. *Libertas ;* Alloc. cit. Pii X, 3 apr. 1913.
3. C. *Immortale Dei.*
4. Encycl. *Libertas.*
5. *O. c.,* p. 55 ss.

vel falsum est vel iniustum dissimulanter ferat, aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat [1]. »

213. — Conclusio igitur practica sit :

1° « Nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, velut *iura* totidem, quae homini *natura* dederit. »

2° « Ista genera libertatis posse quidem, *si iustae caussae sint,* tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent... itemque tolerantiam..., cum pertineat ad politicae praecepta prudentiae, omnino circumscribi iis finibus oportere, quos caussa, id est salus publica postulat [2]. »

B. DE SOCIALISMO.

Auctores. VAN OVERBERGH, *Le matérialisme de Karl Marx,* in *Annales de Sociologie,* 1900-1901, t. I, p. 61-180 ; ejusd. auct., *Le socialisme scientifique d'après le Manifeste communiste,* in *Rev. néo-scolastique,* 1896, t. IX, p. 272 ss., 398 ss.; DEFOURNY, *L'attitude du socialisme belge à l'égard de la religion,* in *Rev. sociale catholique,* 1905-1906, t. X, p. 176 ss.; ROTHENBUECHER, *o. c.,* p. 109 ss.; KISELSTEIN, *Les dons et legs,* Louvain, 1912, p. 44 ; L. BARDE, *Le socialisme allemand et la question religieuse,* in *Études,* 1912, t. CXXXII, p. 478 ss.; DESTRÉE-VAN DER VELDE, *Le socialisme en Belgique* [2], Paris, 1903 ; VAN DER VELDE, *Essais socialistes,* Paris, 1906 ; KAUTSKY, *Die Sozialdemokratie und die katholische Kirche,* Berlin, 1906 ; BROUWERS, *Religion et socialisme* (Librairie de l'*Action cathol.*), Bruxelles, 1914; KATHREIN, *Der Sozialismus,* 11 Aufl. Freiburg-Br., 1919 ; JANSSENS-VAN WINCKEL, *Socialisme en Godsdienst (Geloofsonderricht,* Brugge), Brugge, 1920.

214. I. *Socialismus scientificus* seu *Marxismus* nititur materialismo historico, juxta quem historia nititur statui oeconomico, evolutionismo subjecto. Omnes institutiones politicae, familiares et sociales ; ideae philosophicae et religiosae non sunt nisi superstructura virium productionis, cum quibus, tum in ortu, tum in evolutione, tum in casu necessario connectuntur. Catholicismus gignitur a regimine capitalistico unde lucta classium emanat. Dogmata non sunt veri conceptus ingenii humani aut veritates revelatae ; sed illusiones imaginationis a divitibus ex egoismo admissae et inter pauperes sparsae ne hi attente considerent statum suae

---

1. Encycl. *Libertas.*

2. *Ibid.,* De hujus tolerantiae liceitate et limitibus cf. supra n° 194 ss. et infra Art. 2. — Quid respondendum sit assertioni quam liberales catholicis imputant : « Quand nous sommes les plus faibles nous vous demandons la liberté au nom de vos principes, quand nous sommes les plus forts nous vous la refusons au nom des nôtres » habetur ap. *Collat. Brugen.,* 1909, t. XIV, p. 479 ss.; BILLOT, *o. c.,* p. 110. Quoad originem hujus formulae V. « *le Petit Temps* » d. 28 feb. 1911 ; quem articulum reassumpsit diarium *le XX*e *siècle,* d. 5 martii 1911. Cf. MONTALEMBERT, *Discours et polémiques,* t. V, p. 552, Paris, 1860.

miseriae et strenue allaborent meliorandae suae conditioni terrestri. Regimine capitalistico destructo, finietur lucta classium, et catholicismus, sicut militarismus et *bureaucratie,* dejecto fundamento, ruet. Ergo a socialistis allaborandum est, praesertim ope scholarum, suppressioni religionis et triumpho rationis in phantasiam, ut removeatur obstaculum felicitati reali populi. Ex quo systemate sequitur non tantum praedominantia Status in Ecclesiam, sed destructio Ecclesiae et religionis a societate inducenda [1].

II. *Socialismus politicus* has tenet normas : religio est res libera et privata, pertinens ad uniuscujusque conscientiam, quin hac in re ullo modo, sive favendo sive nocendo, intervenire possit potestas publica. Inde consequitur separandum esse Statum ab ecclesiis, quae eisdem fruentur juribus ac quaevis aliae societates privatae [2]. De hujus tolerantiae relativae sinceritate merito ambigitur, cum nonnisi opportunismo politico excogitata videatur.

ART. II. — De separatione politica Ecclesiae et Status.

Fontes. Encycl. *Libertas,* 20 jun. 1888 ; Const. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885 ; Instr. S. S. ad Archiep. Bogoten., 6 apr. 1900. Ad rem faciunt etiam controversiae inter integristas et conservatores-liberales in Hispania, circa quas prodierunt varia acta Romana : Litterae apostolicae *Inter catholicos,* 20 fev. 1906 ap. *Anal. Ecclesiast.* 1906, t. XIV, p. 98, datae occasione articulorum qui prodierunt in *Razón y Fé,* 1905 oct., decemb. (3) ; Epist. Secretarii Status, 20 apr. 1911 ad Archiepisc. Toletanum ; Declaratio S. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, 29 nov. 1912, ap. *AAS.,* 1912, t. IV, p. 707 s.; Encyclica Benedicti XV *Ad beatissimi,* 1 nov. 1914, §. *Principio* ap. *AAS.,* 1914, t. VI, p. 565. Cf. Y. DE LA BRIÈRE, *o. c.,* 3e sér., p. 100 ss.

Auctores. MOULART, *o. c.,* 354 ss.; HAMMERSTEIN, *o. c.,* p. 203 ss.; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 355 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 140 s., 168 ss.; PAQUET, *o. c.,* p. 329 ss.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 677 ss.; HEINER, *o. c.,* p. 409 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 72 ss.; DECHAMPS [3], *Du serment de fidélité à plusieurs constitutions modernes,* Paris-Malines, s. d.; *Collat. Brugen.,* 1909, t. XIV, p. 359 ss.

215. — I. Praenotanda.

Hucusque consideravimus unionem et separationem Ecclesiae et Status, respectu habito ad doctrinam, attentis principiis revelationis et juris divini, considerato statu normali societatis civilis catholicae. Jam

1. Cf. DEFOURNY, *o. c.,* p. 178 s.; ROTHENBUECHER, *o. c.,* p. 110 s.; VAN DER VELDE, *Essais socialistes,* p. 125 ss.

2. Cf. DESTRÉE-VAN DER VELDE, *o. c.,* p. 416 ; p. 424, *programme du parti ouvrier belge ;* ROTHENBUECHER, *o. c.,* p. 109 s., *programme d'Erfurt ;* DEFOURNY, p. 176 ; KISELSTEIN, *o. c.,* p. 44, nota (2).

3. Cf. *Rev. théol. franç.,* 1906, t. XI, p. 202 ss. Cf. ANDRADE Y URIBE, *La Iglesia y la Politica* (católicos y liberales), Burgos, 1911.

videndum [1] de applicatione possibili hujus thesis horumque principiorum adjunctis historicis in quibus plerumque versatur hodierno tempore utraque societas. Fluxit tempus quo Ecclesiae catholicae veritas et auctoritas ab omnibus subditis et principibus Europae occidentalis agnoscebatur. Ex influxu reformationis et indifferentismi religiosi grassantur in pluribus nationibus sectae haereticae organice constitutae, numero, ope et protectione potestatis civilis Caholicismo validiores, ad minus sibi vindicantes libertatem cultus, et asseclis suis libertatem conscientiae et aequalia jura civilia et politica ; ubique admixtim cum catholicis vivunt indifferentes et athei numerosi, expostulantes nomine libertatum modernarum, in omnibus legibus fundamentalibus adscriptarum, largissimam opinionum tolerantiam et strictam aequalitatem omnium civium in facie societatis et coram legibus. Jam vero ad haec facta, leges, et necessitates attendendum est in applicandis principiis et normis quae utriusque potestatis ecclesiasticae et civilis jura et officia reciproca determinant. His in adjunctis, nostris temporibus inducta est fere ubique locorum separatio Status et Ecclesiae. Praevaluerunt autem duo regimina politico-religiosa, *regimen paritatis et regimen libertatis cultuum,* de quorum natura et legitimitate jam breviter agendum est.

216. — II. **Regimen paritatis.**

1° Hoc regimen separationis in hoc consistit quod Status duas vel plures religiones, v. g. catholicam, lutheranam, calvinianam, pari modo tractet et pari modo positive foveat, quarum membra caeteroquin iisdem juribus civilibus et politicis fruuntur. Vi hujus systematis, Status non est atheus nec indifferens ad varios cultus, sed protectorem sese exhibet omnium religionum constitutionalium, eis v. gr. aequali modo subsidia pro sustentatione ministrorum, ecclesiarum et scholarum impertiendo, et injurias in eas allatas puniendo ; conatur etiam imbuere omnes institutiones publicas et communes veritatibus communibus omnibus confessionibus religiosis.

2° Hoc regimen rejiciendum esset, si inde falsa religio *formaliter* foveretur et approbaretur, ita ut e modo agendi approbatio quaedam erroris eluceret. Sed quando haec paritas eatenus tantum progreditur ut aequali modo tractet et promoveat sectas et religionem veram cujus jura salva sint, utque dissidentibus assecuret libertatem conscientiae et

---

1. Haec distinctio in materia tolerantiae traditionalis est in Ecclesia ; nullo modo ex opportunismo a catholicis fuit inventa. Cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 104 s.; MOULART, *o. c.*, p. 308 s., 370 ss.; DARIS, *L'Église et l'État,* ch. XXV, Liége, 1876 ; SORTAIS, *La crise du libéralisme et la liberté d'enseignement,* p. 170, 212, Paris, 1904 ; DE SCHREVEL, *La Pacification de Gand,* in *Rev. d'hist. ecclésiastique,* 1902, t. III, p. 349 ss.

aequalitatem jurium, legitime et opportune constitui potest, si graves sat rationes prudentiae politicae hanc tolerantiam et materialem cooperationem exigant [1].

3° Attamen dicendum est Ecclesiam huic regimini nunquam favisse, praesertim si a principe acatholico moderandum sit [2]. Qua protector cultuum a constitutione agnitorum, Status sibi vindicat jura, quibus continuo in periculum adducuntur libertas religionis et auctoritas hierarchiae. Inde : ordinationes praeter modum, quibus jus ecclesiasticum vulneratur et obstacula libero religionis exercitio moventur ; studium gubernii in unum alterumve cultum ; contentiones inter varios cultus protectioni obnoxios ; aggressiones factionum politicarum, quae omnia saepissime redundant in oppressionem religionis et conscientiarum. Ita in Germania, ubi relationes politico-religiosae hoc systemate ante bellum 1914-1918 regebantur, multum aberat ut catholicismi conditio legalis optimo loco esset constituta [3]. Ita in Belgio, sub dominatione hollandica, lex fundamentalis a. 1814 origo fuit multarum vexationum in religionem catholicam [4].

217. — III. **Regimen libertatis cultuum.**

1° Auditur hoc nomine regimen separationis relativae, quo Status, nullo modo innixus principiis liberalismi aut indifferentismi, sed propter adjuncta specialia ad majus bonum habendum aut gravius malum vitandum, non *exclusive* adjuvat religionem veram, sed, salvis imo quantum fieri possit promotis juribus Ecclesiae, cultos alios tolerat tuendo libertatem, concedendo civibus omnibus cujusvis confessionis aut opinionis eadem jura politica et civilia, circumscribendo tamen libertatem cultuum et conscientiarum limitibus ordinis socialis et moralitatis publicae.

---

1. Cf. quae postea dicentur de legitimitate regiminis libertatis cultuum.

2. Originem ducit vitiatam, nimirum ab absolutismo systematis territorialis.

3. Ideo ibi proposuerat *Centrum* novam legem tolerantiae, qua regimen libertatis cultus instauraretur. Cf. *Der sog. Toleranzantrag oder Gesetzentwurf über die Freiheit der Religionsübung im Deutschen Reiche enthaltend die betr. Reichstag- u. Kommissionsverhandlungen nebst einer Zusammenstellung der bestehenden Reichs-, Bundes- und Landesgesetzgebungen über die Religionsübung in Deutschland,* herausgegeben von Dr Heiner, in *Arch. für kath. Kirchenrecht,* 1902, t. LXXXII, Heft 2, 515 u.; 1904, t. LXXXIV, p. 517-849. Cf. *ibid.* 1908, t. LXXXVIII, p. 379 ss.; 1911, t. XCIV, p. 745 ss.; * Foerster, *Entwurf eines Gesetzes betr. die Religionsfreiheit im Preuss. Staate,* Tubingen, 1911. Cf. quoad regimen instauratum constitutione 11 aug. 1919, *Rev. du Cl. fr.,* 1920, t. CIII, p. 81 ss.; Zoephel, *Die Verfassung des deutschen Reiches von 11 Aug. 1919,* Berlin, 1920.

4. Terlinden, *Guillaume Ier et l'Église catholique,* 2 vol., Bruxelles, 1906. — Hoc regimen viget etiam in quibusdam provinciis Helvetiae. Cf. Seeholzer, *Staat u. roemisch. kathol. Kirche in den paritätischen Kantonen der Schweiz,* Zürich, 1912 ; *Arch. für kath. Kirchenr.* 1912, t. XCII, p. 225 ss.; pro Austria cf. Loesche *, *Von Toleranz zur Parität in Oesterreich,* 1787-1861, Leipzig, 1912.

218. — 2° Jam vero hoc regimen honeste instaurari potest et instauratum legitime defendi, in quantum id exigant necessitates sociales Status aut Ecclesiae. Quod probatur :

a) *Ex ratione theologica.* Id quod essentiale est huic regimini est, ex una parte non praebere Ecclesiae auxilium positivum quod ei debetur et ex altera parte eam falsis religionibus in agendo non praeferre, concedendo civibus et cultibus omnibus eamdem libertatem, eadem jura, imo eamdem tuitionem. Jam vero obligationes huc spectantes, nempe haeresis oppugnatio et brachii saecularis praestatio sunt *obligationes positivae faciendi*, ideoque non debent adimpleri, si ex impletione graviora damna sequerentur aut majora bona impedirentur. Praeterea tuitio materialis quam Status falso cultui tribueret, merito habetur tantum ut cooperatio *materialis*, quae propter gravissimam rationem cohonestari potest. Ita judicandum esset, si, attenta in unoquoque casu conditione sociali, hoc regimen libertatis cultuum esset medium vitandi persecutionem in Ecclesiam, eique assecurandi libertatem aut independentiam ; si necessarium esset ut Status finem suum assequi posset aut ad vitandas turbas in societate divisa cultu et opinionibus. His in adjunctis haberi merito posset haec separatio politica ut *bonum relativum*, quae etiam promissione aut lege firmari potest [1]. Notandum tamen est quod praestatio libertatis dissidentibus non ulterius sit concedenda quam rationes uniuscujusque casus requirunt, et quod praevalere debeat hac in re judicium Sanctae Sedis, cui supremum de licito et illicito magisterium commissum est [2].

b) *Ex actis et declarationibus Sanctae Sedis.*

α) Etenim « ubi dominatus premat aut impendeat eiusmodi, qui oppressam iniusta vi teneat civitatem, vel carere Ecclesiam cogat libertate debita, fas est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit : tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussa, quaeritur, et hoc unice agitur ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honesti faciendi ne impediatur [3]. » « Revera si divini cultus varia genera, eodem *iure* esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali,

---

1. Cf. quoad hanc probationem MOULART, *o. c.*, p. 370-379.
2. Epist. Pii X ad episcopos Boliviae, 24 nov. 1906 qua improbatur hac in regione inducta libertas cultuum. Cf. *Actes de S. S. Pie X*, t. III, p. 23 ss., Paris.
3. Encycl. *Libertas*.

moribus atque usu ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum [1]. » Ideo « ubi vero harum libertatum viget consuetudo, eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant. Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, praeterea nunquam [2]. » « Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi caussam esse iustam catholicis : non enim adeunt, neque adire debent ob eam caussam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum ; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere [3]. » β) Hoc habetur praeterea ex eo quod Sedes Apostolica saepius judicavit licere catholicis juramentum fidelitatis praestare legi fundamentali quae libertatem conscientiae et cultuum adscriptas habebat [4]. Conditiones liceitatis juramenti, a S. Sede semper appositae, hae sunt : ut qui pollicentur religiosas omnes regni communiones, id est universos et singulos quibus illae constant, protecturos, mens eorum sit *in ordine tantum civili* protectionem hanc ipsis praestare, nullo modo intendentes, vel indirecte approbare *principia quae* ipsae profitentur, quaeque religio catholica proscribit [5].

Quare fideles sedulo sunt edocendi : « Ubi id postulent religionis rationes nec ulla iusta ac peculiaris caussa impediat, par esse ut ad rem publicam capessendam accedant, ut eorum industria et auctoritate institutiones ac leges ad iustitiae normam exigantur, ac religionis spiritus et benefica vis in universam reipublicae compaginem influat [6], » ut quondam favente Numine restituatur in mundo ordo christianus in foecunda unione utriusque societatis.

---

1. Constit. *Immortale Dei ;* cf. Encycl. *Libertas* et Instr. Cit. ad Archiep. Bogoten.
2. Encycl. *Libertas.*
3. Constit. *Immortale Dei.* Cf. MOULART, o. c., p. 404 ss. de modo agendi et sentiendi catholicorum relate ad institutiones politicas modernas ; DELPLACE, *o. c.,* p. 256 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 177.
4. Cf. MOULART, *o. c.,* p. 373, 381 ss.; E. LAMY, *La politique du dernier Pontificat,* in *le Correspondant,* 1903, t. CCXII, p. 797 ss.; DECHAMPS, *Du serment de fidélité à plus. constitutions récentes ;* LENOIR, *Les rapports de l'Église et de l'État,* p. 28 ss., Tournai, 1886. Hoc specialius verificatur pro Belgio.
5. Breve *Antequam tuas litteras,* 3 dec. 1817 ad archiep. Mechlinien., ap. DECHAMPS, *o. c.,* p. 6.
6. Epistola *Redditae mihi,* ad Episc. S. Florii, 16 nov. 1890 ap. Instr. cit. ad Archiepis. Bogoten., 6 apr. 1900, in *Anal. Eccl.,* 1906, t. XIV, p. 33.

ART. III. — Regimen politico-religiosum in Belgio [1].

Auctores. Bibliographia ap. CAGLIANI, *Droit ecclés. civ. belge*, T. I. *État et Églises*, p. 3 ss., Brux. 1903; CLAESSENS, *L'alliance de l'Égl. et de l'Ét. sous l'ancienne Belgique*, in *Revue catholique*, 1876, nouv. sér., t. XVI, p. 209 ss., 335 ss.; J. MALOU, in *Rev. Générale*, 1870, t. VI, vol. I, p. 466 ss.; *Revue du clergé français*, 1903, t. XXXVI, p. 449 ss.; *Collat. Brugen.*, 1904, t. IX, p. 385 ss.; WOESTE, *Les rapports de l'Église et de l'État en Belgique*, in *Rev. Générale*, 1908, t. II, p. 5 ss.; ROTHENBUECHER, *o. c.*, p. 398 ss.; *Le régime des cultes en France et à l'étranger (Rec. des trav. publ. par la Soc. de législation comparée)*. T. I, *Le régime des cultes en Belg.*, par DUPRIEZ, p. 161 ss., Paris, 1910; ORBAN, *Le droit constitutionnel de la Belg.*, t. III, p. 587 ss., Liége, 1911; KISELSTEIN, *o. c.*, p. 46 ss.; * BARA, *Essai sur les rapports des Églises et de l'État, au point de vue constitutionnel*, Tournai, 1859; * LAURENT, *L'Église et l'État en Belg.*, Brux., 1866; * ALLARD, *L'Égl. et l'Ét. en Belg.*, Brux., 1872; * ERRERA, *Traité de dr. publ. belge*, p. 79 ss., Paris, 1909.

219. — Le système qui a prévalu au sein du Congrès national pour régler les rapports de l'Église et de l'État, ne fut point le système de la subordination de l'Église à l'État soutenu par les libéraux non-unionistes, ni le système de la séparation absolue des deux pouvoirs soutenu depuis 1859 par l'école libérale ; mais celui d'une séparation limitée, établie comme régime politique. « Nous aboutissons donc à cette conclusion, dit M. Dupriez [2], que le système constitutionnel des cultes en Belgique est un système d'indépendance entre les cultes et l'État, mais que l'État doit aux cultes moraux plus que la liberté, une certaine protection », en raison du bien social qu'ils procurent [3]. Nos constituants en décrétant à l'art. 14 de la Constitution, la liberté des cultes n'ont pas eu en vue d'en faire le corollaire de la liberté individuelle de professer un culte ou de n'en point professer ; mais ils ont entendu garantir la liberté et l'indépendance de la société religieuse, son droit de vivre et de s'organiser suivant ses croyances, ses usages et ses lois. Cela résulte du texte, des discussions et de l'histoire de la constitution de 1830 [4].

1. Pro regimine vigente in aliis regionibus, v. bibliographiam ap. FRIEDBERG, *o. c.*, p. 7 ss. Cf. WERNZ, *o. c.*, t. I, p. 42 ss.; opus saepe cit. ROTHENBUECHER, I Hauptteil : *Darstellung der Rechtsordnung der einzeln Länder*, p. 113 ss.; *Le régime des cultes en France et à l'étranger*. t. I, Paris, 1910 ; *Enquête sur la situation de l'Église dans les divers pays du monde*, in *Rev. cath. des institutions et du droit*, 1907, t. XXXVIII et XXXIX.

2. *O. c.*, p. 184 ; conclusions admises par P. ERRERA, *o. c.*, p. 84. Cf. ROTHENBUECHER, *o. et l. c.* ; CAGLIANI, *o. c.*, p. 160, cet auteur, libéral avancé, a été amené par l'évidence des textes à soutenir la même thèse.

3. Les traitements ecclésiastiques sont perçus par les ministres du culte catholique et à titre des services qu'ils rendent au pays et à titre d'indemnité en raison de la nationalisation des biens ecclésiastiques.

4. Cf. *Collat. Brugen.*, 1904, t. IX, p. 384-390.

CAPUT VI.

DE LIMITIBUS UTRIUSQUE POTESTATIS.

Auctores. PHILLIPS, *Kirchenr.*, t. II, p. 531 ; FEYE, *Tract. autogr. de Ecclesia*, p. 130 ss.; MOULART, *o. c.*, p. 412 ss.; AICHNER, *o. c.*, p. 96 ss.; CAVAGNIS, *o. c.*, t. I, p. 262 ss.

220. — Status quaestionis. 1° Difficillima haec controversia de rebus circa quas versatur unaquaeque potestas ecclesiastica aut civilis, dirimi consuevit non solum *ex jure divino* seu ex utriusque potestatis natura ; sed insuper *ex jure communi*, seu ex juribus, quae labentibus saeculis rite Ecclesia acquisivit ; prae oculis tamen habendo plura ex iis potestati civili esse relicta, consensu, ratihabitione vel tolerantia Ecclesiae.

Hisce intenti, variis relictis dubiis, ea, quae circa hanc quaestionem nobis certiora videntur, proponere, et praecipuos errores excludere conabimur.

2° Ad determinandos limites utriusque potestatis, seu ad decidendum quaenam res a potestate sacra, quaenam vero a potestate civili debeant pertractari, auctores sat communiter docent videndum esse ad cujusnam potestatis *finem* [1] vel *exclusive*, vel *potius*, vel *aeque* res, de qua agitur, debeat referri, ut hoc investigato, alterutri vel utrique potestati subjiciatur. « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale sit ex natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae : caetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum IESUS CHRISTUS iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo [2]. »

Verum hujus generalis criterii applicatio nonnunquam valde difficilis est. Idcirco ad particularia quaedam descendere necessarium duximus.

221. — Quoad praesentem quaestionem, res universim distinguuntur in triplicem speciem : nempe in *civiles*, *ecclesiasticas* et *mixtas*.

Ecclesiasticas dicimus potius quam *spirituales*, quia non idem est rem esse spiritualem ac ecclesiasticam ; res enim temporales etiam possunt esse ecclesiasticae, quando nempe ad finem Ecclesiae referuntur. *Civiles* potius quam *temporales* scribimus, quia non omnis res temporalis est res civilis ; Ecclesia enim etiam utitur temporalibus.

---

1. Non praevalet consideratio naturae intrinsecae et abstractae rei de qua agitur ; sed potius considerandus est concrete ordo quem res dicit ad finem societatis, servata subordinatione finium.

2. Const. *Immortale Dei*.

ART. I. — Res et causae civiles.

222. — *Res et causas civiles* hic vocamus illas, quae regimini potestatis saecularis subjiciuntur.

Aliae sunt civiles natura sua *et* destinatione qua directe referuntur ad prosperitatem temporalem publicam, sunt nempe mere temporales, ut cultura agrorum, commercium, administratio politiae, tribunalium civilium et exercituum ; aliae tales hodie habentur ex privilegio aut concessione Ecclesiae, v. g. in aliquibus regionibus regia nominatio Episcoporum ; aliae ex diuturna consuetudine aut praescriptione, v. g. contractus laicorum juramento firmati.

Ex rebus indicatis quaedam soli foro civili subduntur, quaedam vero mixti fori sunt ; ut eruetur ex §§ sequentibus.

ART. II. — Res et causae ecclesiasticae.

223. *Ecclesiasticae* hic dicuntur illae res et causae, quae ex sui natura *aut* propter finem spiritualem ad quem referentur potestati sacrae subjiciuntur.

Dici potest quod aliae tales sint *ratione sui,* aliae *ratione finis,* aliae *ratione personarum.*

§ 1. Res et causae ratione sui ecclesiasticae.

Huc pertinent res et causae *mere spirituales,* vel *spiritualibus annexae.*

224. — 1° a) Inter *mere spirituales* recensentur omnes causae, quae ex natura sua directe conducunt ad finem supernaturalem. Versantur *α)* circa fidem et doctrinam fidei et morum ; *β)* circa sacramenta, sacramentalia, ritus sacros, vota, juramenta, dies festos, preces sacras, indulgentias, censuras et sacram disciplinam universim societatis christianae.

Has in solo foro ecclesiastico esse pertractandas, nullus catholicus ambigit ; potestas quippe illas cognoscendi pendet a jure clavium, quod solis sacerdotibus est a Christo concreditum.

Quapropter ad Ecclesiam independenter spectat praedicatio fidei [1], verae doctrinae morumque custodia, et consequenter religiosa institutio ubicumque tradatur, sive in scholis inferioribus, sive in collegiis et licaeis, sive in seminariis et universitatibus ; inspectio et invigilantia in scholis quibuscumque, ne quid in quavis disciplina tradenda irrepat quod catholicae religioni morumve honestati repugnet [2] ; librorum approbatio

1. Cf. can. 1322, § 2.
2. Cf. can. 1372 ss. Cf. infra lib. III, tit. XXI.

et prohibitio ; delectus magistrorum et promotio ad gradus academicos in sacris disciplinis ; sacramentorum dispensatio, et circa illa judicia et decisiones ; ordinationes divini cultus ; causae et praescriptiones precum publicarum, etc. ; institutio sacrorum ministrorum ; leges omnes disciplinares ad informationem morum et hierarchiae observantiam. Civili autem potestati nullum jus competit aliquid illorum examini, judicio, placitove suo subjiciendi [1].

b) *Errores*. Hinc patet quam merito proscriptae fuerint in *Syllabo :*
Propositiones XLIV et LI [2].

Prop. XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Prop. XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Prop. XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in doctrina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Prop. XLVI. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Prop. XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis et politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

225. — 2° Praeter mere spirituales, ecclesiasticis annumerandae sunt *res et causae, quae habent temporale spirituali mixtum* [3]. Materialiter et intrinsece consideratae secundum objectum sunt temporales ; sed quia spiritualibus annexae, in concreto et formali suo conceptu spirituales dicendae sunt. Tales sunt v. g. causae circa beneficia ecclesiastica, jus patronatus [4], redditus ecclesiasticos (decimas, jus funeris et sepulturae.)

Dum autem has causas Ecclesiae foro auctores subdunt, alii dicunt, rem temporalem induere naturam rei spiritualis per ipsam suam spirituali annexionem ; alio vero statuunt, rem subjacere potestati, quae eam

1. Cf. AICHNER, *o. c.*, p. 99 ss.
2. Citatae supra n° 156.
3. Cf. infra *de Simonia*. Vide can. 726, 727, 1553.
4. Cf. FEYE, *o. c.*, p. 147 s.; CAVAGNIS, *o. et l. c.*, p. 272 ss.

instituit et leges tulit quibus administretur : ab Ecclesia autem instituta fuisse beneficia, etc. ; alii tandem aiunt, cognitionem causae ad eum spectare, cujus jurisdictioni res, de qua agitur, subjacet : judicem autem laicum jurisdictionis spiritualis esse incapacem [1]. Caeteroquin quaedam ex illis rebus considerari valent ut res *natura* temporales sed *fine* spirituales [2].

§ 2. Res et causae ratione finis ecclesiasticae.

226. — Res ecclesiae temporales [3], causasque, quae circa ipsas versantur, Ecclesiae exclusive esse vindicandas, manifestum erit ex eo quod Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum jus habeant libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos (can. 1495, § 1) ; quod infra probabitur, lib. III, parte sexta.

§ 3. Causae ratione personarum ecclesiasticae.

227. — Causae temporales clericorum, sive civiles, sive criminales ad forum ecclesiasticum spectant vi *immunitatis,* ut vocant, *personalis,* seu *privilegii fori.* Clerici, qua cives, debent legibus civilibus obtemperare, quae non repugnant sacris canonibus et officio clericali ; at si deliquerint contra eas, debent in foro ecclesiastico convenire, et non a laico, sed a superiore ecclesiastico judicari et puniri (can. 120 ; coll. can. 1553, § 1, 3°.)

Non vacat hic examinare quaestionem, *quo jure,* divinone an humano, clerici in causis mere temporalibus exempti sint a jurisdictione saeculari; sufficiat notasse hac exemptione certo clericos potitos, ubi primum Ecclesia, sedatis persecutionum procellis, christianos Principes nacta est, hancque in sequentibus saeculis et Romanos Pontifices et Principes summa inter se consensione clericis confirmasse [4].

ART. III. — Res et causae mixtae vel mixti fori, sive per se, sive ex jure communi.

Circa res mixtas potissimum versatur praesens de limitibus controversia ; oportet ergo ut bene determinemus quaenam eo nomine veniant.

---

1. Cf. Feye, *o. c.*, p. 146 s.
2. Cf. *Causa Paderbornen.* S. C. Conc., 11 dec. 1920, *AAS.*, t. XIII, p. 262 ss.
3. V. etiam quae supra diximus de potestate Ecclesiae *indirecte,* ratione finis spiritualis, attigendi res temporales.
4. Cf. Feye, *o. c.*, p. 149 ss.; Benedictus XIV, *de Synod.*, l. IX, c. 9, n. 8 ; infra, n° 358 ss.

228. — I. **Notio.** *a)* Sunt qui res *mixtas* vocant eas quae, licet per se nonnisi unam spectant potestatem, in praxi tamen, ut cum plena efficacia ordinentur, alterius potestatis auxilium requirunt, aut quae pertinent ad Ecclesiae et Reipublicae tranquillitatem, v. g. haeresis, seditio ; vel qui eas *mixtas* dicunt, quae duplicem finem habent, et ad utriusque ordinem pertinent, v. g. matrimonium.

b) Alii censent *mixtas* vocandas esse res illas temporales, quae cum spiritualibus connectuntur. Nos autem illas inter res ecclesiasticas recensuimus.

c) Alii tenent res *mixtas* esse, quae vel privilegio, vel expressa tacitave alterius potestatis concessione, vel diuturna consuetudine, utrique potestati communes evaserunt, ita ut alterutri liceat priori loco negotium occupare [1].

229. — Ut autem rerum mixtarum tradatur notio, quae praesenti quaestioni conveniat, componenda videtur prima opinio cum tertia ; et dicendum, res *mixtas* illas esse, quae neque ad ecclesiasticas, neque ad civiles absolute possunt referri ; sed tales *quae constituunt tertiam speciem post ecclesiasticas et civiles et de quibus consequenter utraque potestas aut omnino, aut pro parte disponere potest.* Haec autem earum indoles cognoscitur vel *ex ipsarum natura,* vel ex *diuturno usu, historia et praxi* utriusque potestatis [2].

230. II. **Species.** Hoc posito, dicimus : 1° a) Sunt aliquae res et causae, quae *per se* mixtae sunt, seu quae directe referuntur ad utriusque societatis finem, et diverso sub respectu partim ad unam, partim ad alteram spectant potestatem ; pro his regula est, *utramque curare quod suum est* [3]. Talis est adolescentium instructio et institutio generatim spectata ; talis etiam est res matrimonialis, in qua ad solam Ecclesiam spectant causae, quae versantur circa matrimonii valorem, vim sponsalium, jus instituendi divortii quoad thorum et cohabitationem ; ad potestatem vero civilem, solae causae quae connexionem quidem habent cum matrimonio sed res mere politicas et temporales directe et immediate respiciunt, uti sunt lites, quae frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, haereditaria successione, alimentis et similibus [4].

b) Qua in re notentur propositiones sequentes in *Syllabo* damnatae :

Prop. LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Prop. LXVII. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et

1. FEYE, *o. c.*, p. 138 ss. Cf. PHILLIPS, *o. c.*, p. 540 ss.
2. FEYE, *o. c.*, p. 141. Cf. WERNZ, *o. c.*, t. I, p. 228.
3. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 267.
4. PHILLIPS, *o. c.*, p. 542 ; BENED. XIV, *o. et l. c.*, n° 4.

in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Prop. LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Prop. LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit ; non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Prop. LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

231. — 2° Eae quoque, latiori sensu, vocantur *res mixtae,* quae *per se* uni tantum potestati ex jure proprio et nativo subsunt, sed *a)* ob difficultatem suam exigunt cooperationem alterius potestatis, v. g. haeresis ; vel *b)* per *concessionem* sive delegationem unius potestatis in alteram sunt aliquo modo translatae, v. g. si civitas Episcopo concederet magistratum civilem, aut vicissim si Romanus Pontifex principi civili indulgeret facultatem nominandi Episcopos ; *c)* generatim res, in quibus civilis gubernii et Ecclesiae *utilitas* intervenit, vel in quibus ordinandis facilius inter utramque potestatem dissidia oriuntur, v. g. erectio paroeciarum et dioecesum, immunitas ecclesiastica [1].

3° Plures causae sunt, in quibus *ex jure communi* ecclesiastico et civili, tum Ecclesia, tum civilis potestas *aeque* competentes sunt, quaeque dicuntur *mixti fori* (can. 1553, § 2) : *a)* Ita delictum quod laedit utriusque societatis legem, ab utraque potestate puniri potest (can. 2198), v. gr., delicta publica cum scandalo plebis christianae, ut homicidium ; delicta contra bonos mores [2] ; *b)* delictum quod unice laedit legem societatis civilis, jure proprio, punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione peccati (can. 2198) [3]. Igitur, indirecte ratione peccati, Ecclesia judicat et de controversia temporali, quae est materia et causa peccandi, v. gr. ecclesiasticum judicem adire possunt viduae, pupilli caeteraeque miserabiles personae quando negligens fuit judex laicus in reddenda justitia, vel si fuerint violenter oppressae et rebus suis exspoliatae ; sic causae reales seu contractus laicorum, quorum obligatio ob adjectum juramentum specialem induit ad religionem relationem, ad forum Ecclesiae deferri possunt. De valore quidem juramenti judicare soli Ecclesiae proprium est ; sed insuper de inobservantia talis obligationis contractualis Ecclesia potest judicare propter juramentum [4] ;

1. WERNZ, *o. c.*, t. I, n. 169, p. 227 s.
2. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, t. III, p. 253 s.
3. Cf. C. 13, X, II, 1 ; CAVAGNIS, *l. c.*, p. 254 ss.; FEYE, *o. c.*, p. 156 ss.; SOLE, *o. c.*, n. 44.
4. Cf. c. 3, in VI, II, 2.

c) ob continentiam seu connexionem causarum ; ita causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si incidenter et accessorie agantur, etiam possunt a judice ecclesiastico propria potestate cognosci et definiri (can. 1961) [1] ; ita etiam si clericus et laicus conveniendi sint in eadem causa ut rei [2] ; *d)* fieri etiam potest ut quae propter connexionem cum re spirituali soli foro ecclesiastico sunt addicta, ex Ecclesiae concessione, Ecclesiae et potestati civili communia evadant, ut olim jus patronatus in judicio possessorio [3]. Jam vero in causis mixti fori, ob concordiam utriusque legislationis canonicae et civilis, juxta canonem 1553, § 2, locus est praeventioni ; et proinde ille judex causam definit qui eam praeoccupavit ; et alter tunc judex abstinet. Jubet caeteroquin Ecclesia ut in delictis mixti fori Ordinarii regulariter non procedant cum reus laicus est et civilis magistratus in reum animadvertens, publico bono satis consuluit (can. 1933). Notandum praeterea quod actor qui causas mixti fori ad judicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare judicandas refert, congruis poenis puniri possit, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat, et privatur jure contra eamdem personam de eadem re et connexis causam agendi in foro ecclesiastico (can. 1554) [4].

232. — Quae itaque in rebus mixtis vel mixti fori vere per se spiritualia sunt, ea soli Ecclesiae propria manere debent. Ideo quoad materias mixtas ordinis supernaturalis vel supernaturalizatas, circa substantiam rei nihil valet potestas civilis [5]. Quoad reliqua vero serventur regulae sequentes : a) aut tota res non est communis utrique potestati, et tunc utraque curat quod suum est [6] ; b) aut est tota utrique communis, et tunc locus est praeventioni ; adeo ut ea potestas, quae rem praeoccupavit, totum negotium exclusa alia tractet. c) Si vero res habeat partem, quam Ecclesia civili potestati non potest committere, et partem, quae civili potestati et Ecclesiae communis est, tunc quidem quoad hanc partem praeventioni locus esse potest ; sed Ecclesia sola curabit eam, quae ipsi per se propria est [7].

---

1. Cf. Resp. Com. Pontif. ad interpr. Cod. jur. can., 2-3 jun. 1918, IV ad 2, ap. *AAS.*, 1918, t. X, p. 345.
2. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 258 ss.
3. Cf. FEYE, *o. c.*, p. 147 ; CAVAGNIS, *o. c.*, t. I, p. 273 ss.; SOLE, *o. c.*, p. 25, n° 45 ss.
4. Cf. *Causa cit. Paderbornen.*, 11 dec. 1920.
5. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, t. I, p. 268 ss. Haec momentosas recipiunt applicationes in re matrimoniali. Cf. DE SMET, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 3, n° 409 ss., Brugis, 1920.
6. Non potest Status leges ferre praescindendo a lege Ecclesiae, nec contradicendo, nec superaddendo.
7. FEYE, *o. c.*, p. 160 s.

233. — IV. **Praxis hodierna** [1]. Lapsu temporum multa ex iis, quae de jure communi ad forum ecclesiasticum aut unice aut simul pertinebant, civilis potestas primum in aliquibus regionibus, deinde vero fere ubique, tamquam sua coepit tractare, atque ita limites fori ecclesiastici multum contraxit.

Protestata est Ecclesia adversus illas usurpationes, praesertim dum agebatur de rebus, quae ipsi exclusive propriae sunt, et ab ea cedi non possunt, vel quae intime sunt connexae cum rebus spiritualibus. Attamen nonnulla ex his usurpavit potestas civilis ; et quoad alia, quae propter circumstantias Ecclesia potestati civili cedere potuisset, debitum modum non servavit. Noluit concordem cum Ecclesia compositionem inire nec quidem eam audire [2]. Ecclesia tamen semper se praebuit paratissimam, ut liquet e concordatis, ad satisfaciendum principum exigentiis, in iis etiam juribus, quae non nisi ob gravissimas rationes cedere potest. Praeterea in multis usa est tolerantia Ecclesia suamque legislationem attemperavit hodiernis adjunctis, quod attinet, v. gr., ad privilegium fori.

Cum autem desperandum sit, ut potestas saecularis intra constitutos sibi ab antiquo limites se contineri patiatur rem impossibilem nullus imprudenter aggrediatur. In iis itaque quae hodie passim obtinent, si privilegium, vel amica compositio intervenit, omnia adamussim serventur ; quoad reliqua vero teneantur monita quae sapientissime Ben. XIV [3] conscripsit ad praecavendas invasiones jurisdictionis ecclesiasticae.

---

1. FEYE, *o. c.*, p. 161 ss.; CAVAGNIS, *o. c.*, t. III, p. 261 ; Encyclica Leonis XIII *Immortale Dei.*

2. Exemplo sint quae nuper in Gallia a. 1905 et in Lusitania, a. 1911, evenerunt, ubi spreta auctoritate S. Sedis separatio inter Statum et Ecclesiam inducta est, cum injuria in hierarchiam et dilapidatione bonorum ecclesiasticorum. Strenuus modus agendi Pii X et unanimis consensus cleri effecerunt ut in Gallia successivae leges separationis omni caruerint effectu quoad bonorum ecclesiasticorum administrationem, despectumque hierarchiae. Cf. inter multa opera quae a. 1905 et ss. prodierunt circa separationem in Gallia : *Le livre blanc du St-Siège,* Paris, s. d. [1906] ; GUIRAUD, *La séparation et les élections,* Paris, 1906 ; CLARAZ, *La séparation de l'Église et de l'État d'après l'encyclique « Vehementer nos »,* Paris, 1907; SAEGMUELLER, *Die Trennung von Kirche u. Staat,* Mainz, 1907 ; GIOBBO, *La denunzia del Concordato et la separazione della Chiesa dallo Stato in Francia,* Roma, 1907 ; GEIGEL, *Die Trennung von St. u. Kirche in Frankreich,* München, 1909 ; BUREAU, *Étude sociale documentaire,* in *La Science sociale,* 1912, fasc. 89 et 90, 152 p. (de effectibus legis separationis ; v. *Rev. prat. d'apologét.,* 1912-1913, t. XV, p. 693 ss.); DE LA BRIÈRE, *Les luttes présentes de l'Église,* t. II, p. 3 ss., Paris, 1916. — Quoad Lusitaniam : *Documents sur la séparation portugaise,* in *Les Questions ecclésiastiques,* 1911, t. IV, p. 249 ss.; TORREND, *La crise religieuse en Portugal,* in *les Études,* 1914, t. CXXXVIII, p. 75 ss. — Cf. etiam quoad *Culturkampf* in Germania : GOYAU, *Bismarck et l'Église. Le Kulturkampf (1870-1887),* 4 vol., Paris, 1911-1913.

3. Cf. BENED. XIV, *o. et l. c.*, n° 12-13.

ART. IV. — Praecipui in hac materia errores.

234. — Qui rite perpenderit ea, quae praecedentibus art. dicta sunt, non impinget in periculosissimos errores [1] :

1° Illorum, qui determinant respectivas utriusque potestatis attributiones secundum *utilitatem,* quae in re aliqua alterutri potestati potest obvenire. Etenim, praeterquam quod hocce modo nulla habeatur solutio, Ecclesia subjicitur Statui civili, et Status civilis vice sua Ecclesiae, quum fere omnia utrique utilia sint vel esse possint.

2° Illorum, qui asserunt *interna* ad ecclesiam, *externa* ad Statum civilem pertinere; vel, Ecclesiam animis, Statum civilem corporibus praeesse et imperare. Quippe Ecclesia non puros spiritus regit, sed homines corpore et spiritu concretos atque societas externa est et independens. Hunc errorem, qui praecipue urgebatur a Marsilio Patavino, Ant. de Dominis et aliis Regalistis, damnavit, post alios Pontifices, Benedictus XIV, const. *Ad assiduas,* 4 Martii 1755 [2], et Pius VI in bulla *Auctorem fidei,* contra Synodum Pistoriensem.

3° Illorum, qui referunt *privata* ad Ecclesiam, *publica* vero ad Statum civilem. Ecclesia enim non est collegium, non est corporatio quaedam tendens ad finem specialem, subordinatum fini universali Status civilis ; sed est societas publica, perfecta et independens.

4° Illorum, qui dicunt *mere spiritualia* [3] ad Ecclesiam, reliqua ad Statum civilem spectare. Huic errori posterioribus saeculis maxime occasionem dedit primus articulus *Declarationis,* immerito dictae *Cleri Gallicani* an. 1682. Celebris haec Declaratio, seu Libertates Gallicanae, ad sequentes *quinque,* seu potius *quatuor* propositiones (nam quinta ad evulgationem priorum pertinet) veluti ad totidem germina, unde practica consectariorum seges plurima exoriatur, revocantur : 1ª *RR. Pontificibus nulla est in Reges, atque in civilia negotia, ne indirecta quidem, potestas ;* 2ª *Concilii generalis auctoritas R. Pontificis auctoritate est superior ;* 3ª *Potestas Sedis Ap. coarctatur a/ per canones jam conditos, totiusque mundi reverentia consecratos ; b/ per consuetudines atque instituta a regno et ab ecclesia gallicana recepta ;* 4ª *R. Pontificis judicium infallibile censendum non est, nisi Ecclesiae consensus accedat.*

Doctrinae articulis illis contentae praecipue favebant Parliamenta et ita fundamentum jecerunt Articulorum, quos Concordato an. 1801 furtive addidit gubernium Gallicanum, sub hac rubrica : *Articles organiques* (18 germinal, an X) [4].

---

1. FEYE, *o. c.*, p. 130 s.
2. *Bull. Bened. XIV,* ed. Mechl. t. XI, p. 86.
3. Cf. supra n. 149, bibliographiam quoad Gallicanismum.
4. Cf. Textum in *Appendice* voluminis : *La Sépulture et les Fabriques d'églises ;* PORTALIS, *Exposition des maximes et des règles consacrées par les art. organ.* ap. DE CHAMPEAUX, *Rec. général du droit civ. ecclés. français,* t. II, p. 184, Paris ; SIBOUR, *Institutions diocésaines,* t. I, p. 328 ss. Paris, 1845. Alia documenta ap. DE CHAMPEAUX, *o. et l. c.;* et in *Rev. d'hist. diplomatique,* Paris, 1907, t. XXI, p. 268 ss.

CAPUT VII.

DE CONCORDATIS.

Fontes. NUSSI, *Conventiones de reb. eccles.* Romae, 1869 ; in breviorem formam redactum opus a BRUECK sub eodem titulo, Mainz, 1870 ; DE LUIZE, *De jure publico seu diplomatico Eccl. cathol.*, Neapoli, 1877 ; *Conventiones initae sub pontificatu... Leon. XIII*, Romae, 1893 ; *Raccolta di concordati su materie ecclesiastiche tra la Santa Sede e le autoritá civili* (1098-1914), Roma, Tipographia poliglotta Vaticana, 1919. Conventio inter S. S. et Statum independentem Congi, 26 maii 1906, *Collat. Brugen.*, 1909, t. XIV, p. 103 ; Conventio inter S. S. et Russiam, 22 jul. 1907, ap. *Arch. für kath. Kirchenr.*, 1908, t. LXXXVIII, p. 150 ; Conventio inter S. S. et Hispaniam, 13 jul. 1908, ap. *Anal. Eccles.*, 1908, p. 446 s.; *Le concordat serbe de 1914*, in *L'Ami du clergé*, 1920, p. 641 ss.

Auctores. Bibliographia ap. WERNZ, *o. c.*, t. I, p. 213 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 105 ; FEYE, *o. c.*, p. 193 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 187 *ss.;* MOULART, *o. c.*, p. 617 ss.; CAVAGNIS, *o. c.*, t. I, p. 385 ss.; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 681 ss.; BIEDERLACK, *o. c.*, p. 94 ss.; BACHOFEN, *o. c.*, p. 138 ss.; HEINER, *o. c.*, p. 49 ss.; STRAUB, *o. c.*, t. II, p. 523 ss.; BILLOT, *o. c.*, p. 126 ; FINK, *De Concordatis* (Diss. Lovanien.), Lovanii, 1879 ; THERY, *Des Concordats,* in *Rev. cath. des institutions et du droit,* 1904, t. XXXII, p. 480 ss.; SCHNEIDER, *Die rechtliche Natur der Vereinbarungen zwisschen Staat u. Kirche,* Münster, 1908 ; DUFFO, *Les Concordats en droit international,* Toulouse, 1910 ; *Diction. de théol. cath.; Dict. apolog. de la Foi cath.,* v° *Concordat ;* GIOBBO, *I concordati, Roma,* 1900 ; PRUEMMER, *o. c.*, p. 26 ss.

235. — Connexio et Partitio. 1° Tota praecedentium capitum tractatio probat necessitatem concordiae inter utramque potestatem. Ut autem ea servari valeat necesse quandoque est[1] ut S. Sedes cum civilibus guberniis de securitate et libertate Ecclesiae, de jurisdictione et disciplina, de privilegiis et immunitatibus amice tractet.

« Incidunt autem quandoque tempora cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest[2]. » Inde *Concordata.*

Ineuntur ut plurimum cum societate civili catholica, licet nihil impediat quominus ineantur etiam cum societate civili sive haereticorum, sive infidelium.

2° Agimus hic praesertim de concordatis inter Ecclesiam et societatem civilem catholicam ; prius tradimus notiones generales ; dein de concordato anni 1801 specialiter inquirimus.

3° Merito hic in mentem revocatur Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones nullatenus abrogare aut iis aliquid obrogare, contrariis hujus Codicis praescriptis minime obstantibus (can. 3).

---

1. De necessitate hypothetica et relativa Concordatorum agit WERNZ, *o. c.*, t. I, p. 229 s.
2. Const. *Immortale Dei.*

ART. I. — Natura concordatorum.

Canonistae [1] in controversiam vocant, utrum concordata habeant rationem *privilegii* vel *pacti*.

236. — I. **Theoria privilegiorum,** a Tarquini [2] praesertim propugnata, definit concordatum « lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno Summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam principis ejus loci, speciali ejusdem principis obligatione confirmata, se eam perpetuo servaturum. » Lege sua particulari concedit S. Pontifex speciales favores spirituales : lege sua speciali sese obligat princeps in remunerationem ad temporalia quaedam praestanda [3]. Ratio palmaris est, quia R. Pontifex nequit alienare quidquam suae jurisdictionis vel supponi se velle committere simoniam [4].

237. — II. **Theoria pacti.** Nobis autem illa praeplacet opinio, qua dicuntur vere *pacta*, scilicet *solemnes sponsiones et conventiones inter R. Pontificem, tamquam Ecclesiae caput, et supremum aliquem principem civilem*, ad ordinandas relationes inter Statum et Ecclesiam, in particulari republica, circa materiam aliqua ratione utramque potestatem concernentem.

238. — A. **Explicatur.** Dicitur 1° *sponsiones, conventiones ;* harum enim naturam et effectus habent. *a/* Sunt *pacta bilateralia* quae contrahentes ex stricta justitia servare tenentur. In his ratio obligationis unius partis est obligatio alterius partis. Inito concordato, Ecclesia, ex titulo suae promissionis acceptatae a Statu repromittente, ad servandas concessiones tenetur, et vicissim mutuo titulo obligatur Status erga Ecclesiam.

Non tamen absolute et indistinctim aequiparanda sunt aliis synallagmaticis seu *bilateralibus pactis ;* haec enim, quae *strictissimo* sensu ita vocantur, ineuntur inter privatos, jure pares, sibi mutuo aliquid de rebus suis, quod citra pactum non debetur et quod ex utraque parte ut aequi-

---

1. Regalistae calculum adjecerunt *theoriae legali* fundatae in suprematia Status in Ecclesiam ; juxta quam opinionem verum pactum bilaterale inter societatem superiorem et alteram sibi subordinatam iniri nequit. Quare concordatis *tantum* eatenus vim juridicam tribuunt, quatenus illa sunt *leges ab ipsa potestate civili latae,* quacum Ecclesia concordatum iniit. Cf. HINSCHIUS, *Staat u. Kirche* (Aus MARQUARDSEN'S *Handbuch des oeffentlichen Rechts,* p. 274 ss. Freib.-Br., 1883). V. hujus theoriae refutationem ap. WERNZ, *o. c.,* p. 236 ss.; v. SCHERER, *o. c.,* t. I, p. 155 ; FEYE, *o. c.,* p. 197.

2. *Jur. eccles. publ. institutiones,* p. 73, Romae, 1882. Cf. infra de *privilegiis,* n. 304 ; ubi privilegium dicitur *lex specialis favorabilis.* Induunt profecto concordata in quibusdam articulis naturam privilegii. V. WERNZ, *o. c.,* p. 247 s.

3. WERNZ, *o. c.,* p. 243 ss.

4. BACHOFEN, *o. c.,* p. 142.

valens habetur, cedentes ; in concordatis autem, partes non tam stricte de suo cedere dici possunt ; altum dumtaxat dominium in res illas habent, et ideo nequeunt eas proprie alienare, sed tantum juxta necessitatem aut utilitatem Ecclesiae vel Status de iis disponere ; nec habetur aequivalentia inter id quod datur et id quod accipitur ; nec regulariter princeps nihil dat non debitum Ecclesiae antecedenter. Quod si *minus stricte,* sed vere tamen, voces adhibeantur, profecto *jurium aequalitas* et *reciproca justitiae obligatio,* pactis bilateralibus propriae inveniuntur etiam in concordatis, plenius tamen in una specie quam in alia. Nam Romanus Pontifex et Princeps, qua paciscentes, sunt jure pares et intendunt mutuam suscipere obligationem titulo justitiae ad utriusque societatis, cujus personam gerunt, utilitatem.

b/ Si autem quaeratur cuinam ex diversis contractuum speciebus concordata sint adnumeranda, respondemus ea esse *contractus promissionis utrinque factae et acceptatae de aliqua re licita et possibili praestanda* [1].

Ideo concordata semper implicitam censentur continere istam clausulam derogatoriam : *nisi vergere incipiant in evidens detrimentum Ecclesiae et dispendium animarum.* « Nam... pro impossibili in utroque jure habetur, quidquid honestati opponitur, et legi naturali vel divinae. Et talis impossibilitas juris aequiparatur impossibilitati facti, de qua valent axiomata : ad impossibile nemo tenetur ; et iterum : impossibilium nulla obligatio. Quod quidem multo adhuc magis verificatur in Pontifice Romano, utpote qui primus est tutor et vindex juris divini, et in vi sui primatus, de jure potest supra jus dispensare, ut dicitur in decretalibus, Cap. *Proposuit,* 4, *De Concess. Praeb* [2]. »

Potestas autem Romani Pontificis per haec pacta *non minuitur.* Ex variis enim mediis ad finem Ecclesiae idoneis Pontifex aptiora eligit. Si igitur in casu particulari, attenta etiam hominum malitia, usus quorumdam mediorum aut jurium, quae rigorose Ecclesiae non sunt necessaria, non videtur opportunus, data proportionata causa utilitatis aut necessitatis socialis, ab his adhibendis abstinere potest. Quod autem licite fit, id et declarari potest et sub pacti obligatione faciendum licite suscipitur. Item Pontifex, Statui aliquam partem in re ecclesiastica et spirituali concedens, ei privilegium concedit. Sicut autem tale privilegium dare potest ob Ecclesiae utilitatem, ita ad servandum Statui privilegium pacto se potest obligare, ac talem obligationem justitiae Pontifex subit pro se suisque successoribus, nisi vergere incipiat in detrimentum

1. FINK, o. c., p. 182 ; WAFFELAERT, *De justitia,* t. I, p. 238 ss., 370 ss.
2. BILLOT, *o. c.,* p. 143 ; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 398, 406.

animarum et dispendium salutis aeternae. Romanus Pontifex ergo non sese per concordatum exspoliat potestate sua sed assumit tantum obligationem circa licitum potestatis usum. Si extra necessitatem contra concordatum ageret, *injuriam* committeret sed *valide* ageret, quia potestas ei jure divino tradita non est ablata [1].

Dicitur 2° *inter R. Pontificem, tamquam Ecclesiae caput et supremum aliquem principem civilem.* Concordatum non *in omnibus* potest aequiparari *conventionibus internationalibus,* cum illae ineantur inter nationes particulares, de re temporali [2] ; sed tamen attendendo ad requisita *contractus* ex parte *subjecti* paciscentis, dicendum videtur concordatum in genere esse pactorum internationalium. Contrahentes enim qua tales sunt *jure pares.* Utique Pontifex *materialiter* non est par sed supremus judex moralitatis et juris naturalis, et in hac qualitate qua potitur ex voluntate divina etiam judicat summo jure de obligationibus concordatariis ; sed, qua contrahens, Pontifex voluntate sua non operatur ut superior, sed ut par qui legitime init pactum [3].

Ex parte potestatis saecularis illa potestas ad concordatum ineundum habilis est quae juxta jus cujusque nationis conventiones publicas et internationales paciscitur. Si per concordatum legem in civitate condi aut mutari necesse est, interventus comitiorum legiferorum pariter requiritur.

In concordatis ut plurimum agitur de applicatione aut modificatione juris communis ac de causis majoribus ; propterea concordata inter Romanum Pontificem et potestatem civilem inita plerumque significantur.

Si tamen vox *concordatum* late sumatur, eo nomine etiam venit conventio vel Praelatum inter et gubernium, vel inter personas sacras, circa jura sua aut res ecclesiasticas.

239. — B. **Probatur.** 1° *ex asseveratione Romanorum Pontificum* [4].

---

1. CAVAGNIS, *o. c.,* p. 410 s.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 685 ; BIEDERLACK, *o. c.,* p. 98 ss.; BILLOT, *o. c.,* p. 140 ss.; STRAUB, *o. c.,* p. 530 ss.

2. Non autem quia Ecclesia nequeat armis ad pacta servanda Statum adigere, uti vult V. SCHERER, *o. c.,* t. I, p. 154, nota (10) ; cf. SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 107.

3. Cf. CAVAGNIS, *o. c.,* p. 408 ; BACHOFEN, *o. c.,* p. 143 ; BILLOT, *o. c.,* p. 132 ss. Falso fulciretur haec paritas contrahentium theoria perfectae coordinationis utriusque societatis, uti asserere videtur SAEGMUELLER, *o. et l. c.* Ex alia parte immerito rejicitur haec aequalitas subjectorum, eo quod R. Pontifex sit superior, et princeps civilis, subditus. « Esset impossibilis mutua haec justitiae obligatio, si obligatio ipsa veniret ab ordinatione superioris cum quo subditus paciscitur, siquidem sua propria lege superior utique ligari non posset. Nunc autem in pactis obligatio venit a sola lege naturali, cui aequaliter subjecti sunt, tam superior quam inferior, tam princeps quam subditus... » BILLOT, *o. c.,* p. 139 s.; BACHOFEN, *o. c.,* p. 143. Cf. tamen VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 189 ss.

4. Cf. postea art. II, testimonia plurium Pontificum.

Sufficiat afferre verba Pii X, in Encyclica *Vehementer,* 11 feb. 1906 [1] : « Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio ejusmodi intercesserat, cujus ultro et citro constaret obligatio; *cujusmodi eae plane sunt, quae inter civitates* legitime contrahi consueverunt... ; consequebatur igitur, ut ista pactio eodem jure ac *caeterae quae inter civitates fiunt,* regeretur, hoc est, jure gentium : ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. »

2° *Ex nominibus et forma concordatorum.* Vocantur pactum, conventio, contractus et iis formis solemnibus ineuntur quae in solis pactis internationalibus adhiberi solent [2].

ART. II. — Vitia et vis obligatoria concordatorum.

240. — 1° **Vitia.** Quemadmodum privatorum, ita et societatum pacta invalida esse consentiunt omnes, sive desit materia licita, sive desit liber consensus. Idcirco concessiones, quas ab Apostolica Sede terror atque arma extorserunt, firma esse non possunt. Huc pertinent (praeter alias non paucas, praesertim saeculo XVIII labente initas) concessiones a Paschali II, a. 1111, Henrico V factae, quae proinde in Synodo Lateranensi II merito revocatae sunt [3].

241. — 2° **Vis obligatoria.** Sed concordata rite inita vim habent *verae conventionis et pacti.* Effectus igitur immediatus est obligatio contrahentium ; et cum contrahentes non agant personas privatas, sed publicas, concordata ligant subditos [4] et successores paciscentium, nisi aliter fuerit statutum. Hinc ab iis resilire eisque derogare neutra pars potest, invita altera ; alterutra vero fidem frangente, altera potest vel resilire, vel executionem urgere [5].

Id saepius affirmarunt ipsi RR. Pontifices ; sic Julius III, bulla *Decet Romanum,* 14 Septemb. 1557, verba faciens de concordatis Germaniae, ait : « Nos attendentes concordata praedicta *vim pacti inter partes* habere, et quae ex pacto constant, *absque partium consensu* abrogari non consuevisse, neque debere... statuimus et ordinamus... ». Leo X, in concordato cum Francisco I, 13 Maii 1517, tit. XVII, dixit : « Illam (conventionem) vero *contractus et obligationis* inter Nos et Sedem Ap. ex una : et praefa-

1. Cf. *Collat. Brugen.*, 1906, t. XI, p. 204 ; versio gallica officialis ap. OLLIVIER, *o. c.*, t. II, p. 133. Cf. BILLOT, *o. c.*, p. 132 ss., ubi alii textus adducuntur ; ita ap. STRAUB, *o. et l. c.*, p. 524 ss.

2. Cf. art. 2 et 3 ; textum Concordati a. 1801, n. 250.

3. HERGENROETHER-KIRSCH, *Handbuch der allgem. Kirchengesch.*, t. II, p. 384 ss.

4. Subditi obligantur quando articuli de quibus inter utramque potestatem convenit tum ut lex ecclesiastica per constitutionem pontificiam, tum ut lex civilis, debite promulgantur.

5. Cf. infra, n° 245.

tum Regem et Regnum suum ex altera partibus legitime initi vim et robur obtinere... necnon irritum et inane quidquid super his... a quoquam, quavis auctoritate, etiam per nos et successores nostros, scienter aut ignoranter contigerit attentari, decernimus.» In concordato inter Pium IX et Josephum Imperatorem Austriacum, 18 Aug. 1855, art. 33 legitur : « Utraque contrahentium pars spondet, se successoresque suos, omnia et singula de quibus conventum est, sancte servaturos. Si quae vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Majestas Caesarea invicem conferent ad rem amice componendam. » Leo XIII, in const. *Immortale Dei,* dicit Ecclesiam omnino postulare « ut obligata sibi *fides* integre religioseque solvatur » ; et in encycl. *Nobilissima Gallorum gens,* 8 Febr. 1884, postquam utilitatem concordatorum ostendit, haec habet : « Cum igitur *pactis* conventis inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod *iustitiae* interest, interest idem rei publicae, concordiam manere integram [1]. »

Nota. Cum tamen concordata in quibusdam saltem articulis *naturam privilegii* induere possunt et de facto induunt, juxta sanam interpretationis regulam videndum est quid in singulis concordatorum partibus actum sit [2].

ART. III. — Materia et forma concordatorum.

Theoretice loquendo iniri possunt concordata, vel quia de aliqua re mixta componenda agitur, de qua utraque potestas proprio jure aliquid statuere potest, et tunc utriusque partes accurate determinantur ; vel quia de aliqua re mixti juris dubitatur ad quamnam pertineat potestatem, et tunc utraque potestas, ad tollendam dubitationem et concordiam servandam, de suo aliquid concedit et in idem placitum consentit [3] ; vel quia restaurandae sunt res Ecclesiae, post damna a potestate civili ipsis illata, et tunc, ad majora mala vitanda, gubernio civili R. Pontifex quaedam indulget, ea lege, ut ab ulterioribus in Ecclesiam conatibus abstineat, et in aliis negotiis salva relinquat Ecclesiae jura. De facto, multa concordata hujus generis sunt.

242. — I. Ad **materiam** concordatorum quod spectat, duplicem practice solent habere partem *a/* prima continet officia, quae principibus, etiam absque concordato, ex rerum natura incumbunt, ea sc. quae spectant ad liberum Religionis exercitium, libertatem fidelium communicandi cum Sede Apost., libertatem jurisdictionis Episcoporum, et alia hujusmodi. Quae officia Status *novo titulo* justitiae ex promissione

1. Cf. ejusd. pontificis encycl. ad episcopos et fideles Galliae, 16 feb. 1892 ; Pii X encyclica cit. *Vehementer.*
2. WERNZ, *o. c.,* p. 147 ss.; HAMMERSTEIN, *o. c.,* p. 214 s.
3. Cf. supra, n° 228 ss.

solemni corroborantur [1] ; *b/* Altera pars respicere solet concessiones a R. Pontifice factas, v. g. nominationem Episcoporum, speciali privilegio concessam principibus vel capitulis ; praesentationem personarum idonearum ad alias quoque dignitates et officia ; renunciationem exemptioni reali aut personali ecclesiasticae [2].

243. — II. **Forma** concordatorum pariter duplex est : *a/* vel publicantur in forma conventionis, cui subscribunt Pontifex et princeps civilis, aut eorum delegati, quorum dein subscriptio rata habetur a delegantibus, legitima promulgatione secuta ; vel *b/* conventione facta, R. Pontifex in speciali bulla promulgat ea quae vi suae potestatis, sed juxta praecedens pactum, de rebus ecclesiasticis in peculiari aliquo regno statuit ; princeps vero civilis per peculiare documentum populo suo nuntiat ea quae Pontifex promulgavit, eaque ut leges Status servari jubet. Forma prior solet adhiberi in concordatis cum catholicis ; posterior vero in concordatis cum haereticis vel infidelibus [3]. Concordata recentioris temporis induunt formam *conventionum internationalium*. Utraque potestas per plenipotentiarios de articulis statuendis convenit ; atque conventio in formis consuetis pactorum internationalium mutua fide ratificatur et dein debito modo ab utraque parte suis subditis promulgatur [4].

ART. IV. — Interpretatio, mutatio et rescissio concordatorum.

244. — I. **Interpretatio.** *Authentica interpretatio* facienda est communi actu paciscentium. Nam unde jus ortum est, inde etiam accipit interpretationem [5]. Jam vero conventio inter Ecclesiam et Statum a solo contrahentium consensu ac naturali et divina lege dependet. « Qua de causa communi consensione solvantur oportet dubia, quae forsan oriantur de quaestione facti, an lex quae a potestate legifera Summi Pontificis prodiit, an quae favore gubernii de exercitio jurium suorum S. Sedes remisit, an quas gubernium in negotiis ecclesiasticis moderandis

---

1. Cf. Concordatum a. 1801, art. 1, 12, 14, 15. Concordatum initum inter S. Sedem et statum Congi, 26 maii 1906 (*Collat. Brugen.*, 1909, t. XIV, p. 103 ; *Moniteur*, 1908, p. 5868) concedit Missionibus catholicis terras ea conditione ut Missiones scholas instituant et ministerium sacerdotale assumant, soluta praeterea a Gubernio annua pensione si stabile alicubi ministerium exerceatur.

2. Concordatum a. 1801, art. 1-10, 13, 16 ; conventione cum Hispania, 13 jul. 1906, indulget, art. 3, Ecclesia ut bona ecclesiastica ordinum religiosorum legitimis legibus tributariis subjiciantur. Cf. *An. Eccl.*, 1908, t. XVI, p. 446 s.

3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 168.

4. BACHOFEN, *o. c.*, p. 140 ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 682.

5. V. n° 238 s. Quod principium interpretationis frequenter in ipso concordato apponi solet. Cf. FINK, *o. c.*, p. 227.

peragit partes et Ecclesiae praestat opes et subsidia, ea sint, de quibus fuit conventum, vel an aliter fuerit compositio facta [1].

« Procul vero abest, 1° ut *ipsam legem a Summo Pontifice*, juxta conventa latam et per Bullas subsequentes promulgatam, alius authentice possit interpretari ac Romanus Pontifex. Enimvero legis cujuscumque interpretationem authenticam dari non posse nisi a legislatore, apud omnes est in confesso. Atqui leges et agendi normae qualescumque per Bullas prolatae a sola auctoritate pontificia procedunt. Ergo...

« 2° *Privilegiorum* per concordatum gubernio indultorum, interpretatio authentica dari non potest nisi a Romano Pontifice. Cum enim quodlibet privilegium perpetuum sit « *privata lex aliquid speciale concedens* [2] », et in omnibus servet proportionem ad legem, et quamdiu durat, per modum legis observari debeat [3], sequitur interpretationem esse vindicandam concedenti, utpote legis conditori [4]. »

Interpretatio *judicialis* et *doctrinalis* sequitur regulas propositas infra n° 269 ss [5].

Perperam autem a nonnullis affirmatur, interpretationem semper fieri debere in favorem potestatis civilis, quia, ut aiunt, concessiones fiunt in favorem ejus ; nunquam vero in favorem Sedis Apostolicae. Perperam, inquam : quia concessiones factae non sunt merae liberalitates, mera privilegia ; sunt sacrificia, concessiones onerosae, propter malitiam temporum factae, quae certe non ferunt interpretationem denuo onerosam.

245. — II. **Mutatio** vel **rescissio** concordatorum fieri debet vel mutuo consensu, vel iisdem rationibus quibus receditur a contractibus [6]. Legitimae mutationis vel rescissionis, praeter violationem foederis ab altera parte contrahente commissam, titulum indubium praebet evidens necessitas. Haec autem bene debet intelligi, et reducitur ad casum, quo nequeat absque boni publici Ecclesiae vel Status detrimento, concordatum servari. Ideo fas est recedere a concordato.

246. — A. *Ex parte Ecclesiae*. Si ob mutatas quascumque circumstantias id quod Ecclesia in conventione pro futuro tempore spopondit, in detrimentum vergit animarum, in evidens et grave disciplinae ecclesiasticae discrimen, ratio sufficiens imo necessaria pro Ecclesia habetur

1. Quodsi frustra tentata compositione, controversia non cesset, ultimum judicium spectat ad Ecclesiam, utpote quae sit *judex supremus moralitatis*, cui subduntur etiam obligationes Status ex concordato ortae. Cf. aliter WERNZ, *o. c.*, p. 251.
2. SUAREZ, *de Legib.*, lib. 8, c. 1, n° 3.
3. FINK, *o. c.*, p. 228 ss.
4. SUAREZ, *o. et l. c.*, n° 2.
5. Cf. MOULART, *o. c.*, p. 639.
6. Non idem dicendum si ageretur de illis articulis quae forsan in concordato induunt naturam non pacti sed privilegii.

conventionem, quoad hunc articulum, rescindendi. Ita a concordato *potest* recedere si altera pars non staret pactis aut promissis, de quo facto ipsi competit potestas judicandi [1].

Caeterum nullum est hucusque exemplum concordati a Sede Apostolica violati, cum multum cavet Ecclesia ne occasionem subministret calumniandi et contra se hostiliter agendi. Itaque habemus hanc miram rem : Status, quibus generatim resilire a concordatis non licet, fere ubique terrarum fidem suam interpositam fregerunt ; Ecclesia contra, quae saepissime gravissimas habet causas juste et licite resiliendi, nihilominus firmiter in fide data perseverat [2].

247. — B. *Ex parte Status.* Ad quaestionem num princeps civilis possit, propter necessitatem boni publici, a concordato recedere respondendum est distinguendo inter varias praestationes et sponsiones quas Status cum Ecclesia in pactum deduxit.

1° Si agitur de *bonis temporalibus* [3] quorum dominium *plenum* et *absolutum* respublica in Ecclesiam transtulit, illa bona nullatenus a Statu repeti possunt. Quae assertio multo magis tenenda est si illae largitiones non sint nisi partiales *restitutiones,* aut partialis *compensatio* pro condonatione injuste ereptae proprietatis ecclesiasticae.

2° Si Status novo titulo justitiae sese obligaverit ad implendum *officium suum negativum* non violandi jura Ecclesiae, haec sponsio nullatenus frangi potest.

3° Quodsi vero agatur de *officio suo positivo* tutelam Ecclesiae praestandi, aut de concessionibus liberis in materia civili societati religiosae promissis, asserendum videtur cum multis auctoribus [4] civitatem a susceptis obligationibus ex jure divino et naturali *non semper* urgentibus, *interdum* licite recedere, quando sc. ea incidant tempora et adjuncta, quibus materia de qua conventum est, sine maximo discrimine rerum publicarum non amplius a Statu Ecclesiae concedi possit. Tunc ipsa Ecclesia tali revocationi consensum nequit denegare. At utrum revera eae circumstantiae adsint, non fingendum sed *probandum* est et judicio Ecclesiae *confirmandum,* cum ipsius sit videre num spirituale temporali praevalere debeat, necne. Imo nisi urgeat necessitas, tenetur Status exponere gravamina Ecclesiae ante concordati rescissionem.

---

1. WERNZ, *o. c.*, p. 252 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 208.
2. HAMMERSTEIN, *o. c.*, p. 218. Cf. *Le Livre blanc du St-Siège,* passim ; Encyclica cit. Pii X *Vehementer.*
3. WERNZ, *o. c.*, p. 254. Cf. infra de concordato napoleonico.
4. WERNZ, *o. c.*, p. 255, ubi LUGO, TANNER et TARQUINI citantur ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 683 s.; BIEDERLACK, *o. c.*, p. 102 ; HEINER, p. 50 ; BACHOFEN, *o. c.*, p. 146 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 109, etc. Cf. tamen CAVAGNIS, *o. c.*, p. 426 ; MOULART, *o. c.*, p. 641 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 210 s.

248. — De historia et statutis singulorum concordatorum agere non vacat. Quare consulendi sunt auctores, qui ex professo quaestiones istas peculiares explicarunt [1].

De solo Concordato an. 1801 speciali art. tractamus.

ART. V. — Concordatum anni 1801.

Fontes. *Documents sur les négociations du Concordat de 1801,* ed. BOULAY DE LA MEURTHE, 6 vol., Paris, 1891-1905.

Auctores. RINIERI, *La diplomazia pontificia nel secolo XIX. Il concordato tra Pio VII e il Primo Console,* 2 vol. Roma, 1902 ; trad. fanç. par VERDIER, Paris, 1903 ; MATHIEU, *Le Concordat de 1801. Ses origines, son histoire,* Paris, 1903 ; CAVAGNIS, *De concordato napoleonico pro Gallia. De articulis organicis.,* Romae, 1905 ; KOENIG, *Pius VII, die Säkularization u. das Reichskonkordat,* Innsbruck, 1909 ; BOULAY DE LA MEURTHE, *Histoire de la négociation du Concordat de 1801,* Tours, 1920. Ulteriorem bibliographiam ap. VAN HOVE, *o. c.,* p. 100 s.; *Coll. Brugen.,* 1904, t. IX, p. 176, 258 ; BAUDRILLART, *o. c.,* p. 361 ss.

249. — **Historia et Textus.** Buonaparte, primus Gallorum Consul, plurimorum religioni catholicae fideliter inhaerentium desiderium cognoscens, ratusque sibi admodum profuturum ad capessendum, quod ambiebat, summum imperium, si R. Pontificem sibi conciliaret, jam in campo de Marengo (18 Junii 1800) manifestaverat consilium tractandi cum Pontifice, de instaurando Religionis catholicae in Gallia exercitio. Quod cum Pio VII pro parte nuntiatum esset, Pontifex quantumcumque metueret, ne homo ambitiosus, qui in AEgypto Mahometis praeconem egerat, suis potius quam Religionis commodis studeret ; perpendens tamen, hanc viam forsan a divina Providentia assumptam, ad restituendum in Gallia divini cultus exercitium, J. Spina, archiepiscopum Corinthi, cum Caselli, quondam generali Servitarum ministro, Parisios ablegavit. Qui cum mense Octobri 1800 Parisios advenissent, cum gubernio de conditionibus pacisci coeperunt ; sed irriti fuerunt eorum conatus, donec superveniens, 20 Junii 1801, Cardinalis Consalvi, die 15 Julii concordatum signavit, conditionibus quidem durissimis, sed quae necessariae viae erant ad redimendum tot inter commotiones liberum Religionis exercitium. Celeberrimi illius concordati est textus [2].

CONVENTIO INTER S. PONTIFICEM PIUM VII ET GUBERNIUM GALLICANUM.

250. — *Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius VII, atque Primus Consul Gallicae reipublicae, in suos respective Plenipotentiarios nominarunt :*

---

1. WERNZ, *o. c.,* p. 256 nota (189) ; FEYE, *o. c.,* p. 207 ss.; A. BAUDRILLART, *Quatre cents ans de Concordat,* Paris, 1905. Cf. bibliographiam supra datam.

2. Cf. *Archiv für kath. Kirchenr.,* 1905, t. LXXXV, p. 102 ss.; RINIERI-VERDIER, *o. c.,* p. 328 ss.

Sanctitas Sua, Emum Dominum Herculem Consalvi, S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Agathae ad Suburram, suum a Secretis Status; Josephum Spina, Archiepiscopum Corinthi, S. S. praelatum domesticum, ac Pontificio Solio assistentem; et Patrem Caselli theologum consultorem S. S., pariter munitos facultatibus, in bona et debita forma;

Primus Consul: Cives Josephum Bonaparte, consiliarium Status, Cretet, consiliarium pariter Status, ac Bernierum, Doctorem in S. Theologia, Parochum S. Laudi Andegavensis, plenis facultatibus munitos. Qui, post sibi mutuo tradita respectivae Plenipotentiae instrumenta, de iis quae sequuntur convenerunt:

Gubernium Reipublicae recognoscit Religionem catholicam, apostolicam et romanam, eam esse Religionem, quam longe maxima pars civium Gallicanae Reipublicae profitetur.

Summus Pontifex pari modo recognoscit eamdem Religionem, maximam utilitatem maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore praestolari ex catholico cultu in Gallia constituto, necnon ex peculiari ejus professione, quam faciunt Reipublicae Consules.

Haec cum ita sint atque utrinque recognita, ad Religionis bonum internaeque tranquillitatis conservationem, ea quae sequuntur inter ipsos conventa sunt:

Art. I. *Religio catholica, apostolica et romana, libere in Gallia exercebitur. Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.*

II. *Ab Apostolica Sede, collatis cum Gallico gubernio consiliis, novis finibus Galliarum dioeceses circumscribentur.*

III. *Summus Pontifex titularibus Gallicarum ecclesiarum Episcopis significabit se ab iis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firma fiducia exspectare, eo non excepto, quo ipsas suas episcopales sedes resignent.*

Hac hortatione praemissa, si huic sacrificio, quod Ecclesiae bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id autem posse Summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicarum ecclesiarum novae circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

IV. *Consul primus Gallicanae Reipublicae, intra tres menses qui promulgationem constitutionis apostolicae consequentur Archiepiscopos et Episcopos novae circumscriptionis dioecesibus praeficiendos nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas, relate ad Gallias, ante regiminis commutationem statutas.*

V. *Item Consul primus ad episcopales sedes, quae in posterum vaca-*

verint, novos Antistites nominabit, iisque, ut in articulo praecedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

VI. *Episcopi, antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo Consule, juramentum fidelitatis emittent, quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum :*

« *Ego juro et promitto, ad sancta Dei Evangelia, obedientiam et fide-*
« *litatem gubernio per Constitutionem Gallicanae Reipublicae statuto.*
« *Item, promitto me nullam communicationem habiturum, nulli consilio*
« *interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque extra*
« *conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat ; et si, tam in dioe-*
« *cesi mea quam alibi, noverim aliquid in Status damnum tractari,*
« *gubernio manifestabo.* »

VII. *Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram auctoritatibus civilibus a Gallicano gubernio designatis.*

VIII. *Post divina officia in omnibus catholicis Galliae templis sic orabitur :*

Domine, salvam fac Rempublicam :

Domine, salvos fac Consules.

IX. *Episcopi, in sua quisque dioecesi, novas parochias circumscribent ; quae circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.*

X. *Iidem Episcopi ad parochias nominabunt ; nec personas seligent, nisi gubernio acceptas.*

XI. *Poterunt iidem Episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium in sua quisque dioecesi, sine dotationis obligatione ex parte gubernii.*

XII. *Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia quae non alienata sunt, cultui necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.*

XIII. *Sanctitas Sua, pro pacis bono felicique Religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiae alienata acquisiverint, molestiam ullam habituros, neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis ; ac consequenter proprietas eorundem bonorum, redditus et jura iis inhaerentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.*

XIV. *Gubernium Gallicanae Reipublicae in se recipiet, tum Episcoporum, tum parochorum, quorum dioceses atque parochias nova circumscriptio complectitur, sustentationem quae cujusque statum deceat.*

XV. *Idem gubernium curabit ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.*

XVI. *Sanctitas Sua recognoscit, in primo Consule Gallicanae Reipu-*

blicae, eadem jura ac privilegia, quibus apud sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

XVII. *Utrinque conventum est, quod, in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi Consulis catholicam Religionem non profiteretur, super juribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, necnon super nominatione ad archiepiscopatus et episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fiet.*

Ratificationum mutua traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

Datum Parisiis, die 15 mensis Julii 1801.

Hercules, Cardinalis CONSALVI. (L. S.) *Jos.* BONAPARTE (L. S.)
Jos. archiep. Corinthi. (L. S.) CRETET (L. S.)
F. Carolus CASELLI. (L. S.) BERNIER (L. S.)

Pius VII hanc conventionem ratam habuit 15 Augusti ejusdem anni, per bullam *Ecclesia* CHRISTI[1]. Quum autem plures Episcopi sedes suas resignare renuerint (art. 3 concordati), R. Pontifex, die 29 Novembris, Cardinalium consilio audito, alteram dedit bullam *Qui* CHRISTI *Domini vices,* qua ecclesias Galliarum antiquas omnes suppressit et 60 novas erexit ; ac simul per Breve eodem die datum, Cardinali Caprara, legato *a latere* cum amplissima facultate, commisit totam rerum ordinandarum executionem. Cardinalis autem Caprara, decreto 9 Aprilis 1802, publicavit bullam *Ecclesia* CHRISTI, et alio decreto ejusdem diei, publicavit bulla *Qui* CHRISTI *Domini* vices, et mandatum Pontificis executioni mandavit.

Cum autem per Concordatum anni 1801, bullas confirmatorias, decretaque ad illud spectantia, ecclesiarum nostrarum disciplina in multis fuerit immutata, operae pretium est illi paulisper inhaerere, et examinare quomodo jus commune restaurarit vel ab eo recesserit, quaeque tulerit statuta transitoria[2].

§ 1. JURIS COMMUNIS APPLICATIO.

251. — I. *Priscus Gallicarum ecclesiarum status penitus extinctus est.* Hujus propositionis veritas ex ipsis Concordati art. 2 et 3, et praesertim

---

1. Haec acta reperiuntur ap. DE CHAMPEAUX, *Recueil général de droit civil ecclésiastique français,* 2e éd., t. II. Paris, vel in OLLIVIER, *Nouveau manuel de droit ecclésiastique français,* t. I. Paris, 1886.

2. Recessit a Concordato, invito imo non praemonito Romano Pontifice, Respublica Gallica lege separationis 9 dec. 1905 ; contra quam protestatus est Pius X, encyclica *Vehementer,* 11 febr. 1906. Cf. *Le livre blanc du Saint-Siège ;* OLLIVIER, *o. c.,* t. II. Cf. supra n. 233, nota 5; A. BOUDINHON, *Les conséquences de la séparation pour le droit canonique en France,* in *le Canoniste contemporain,* 1907, t. XXX, p. 129 ss., 209 ss., 353 ss.

Lex fundamentalis belgica non abrogavit concordatum, nisi in iis articulis qui libertati et independentiae cultus contrarii sunt. Cf. KISELSTEIN, *o. c.,* p. 67, 92 ; ORBAN, *Le droit constitutionnel de la Belgique,* t. II, p. 619 s., Liége, 1911 ; in sensu contrario ERRERA, *Traité de droit public belge,* p. 510, Bruxelles, 1909.

ex bulla *Qui* CHRISTI *Domini vices* [1], manifeste eruitur. Prorsus fuerunt per suppressionem deleta omnia jura, privilegia, praerogativae cujuscumque generis, quae ecclesiis metropolitanis et cathedralibus, earumque capitulis antea competebant.

Cum vero in cit. bulla non occurrat vox *consuetudines,* dicendum est quod deletae sint omnes consuetudines particulares quae pertinebant ad priscum ecclesiarum gallicarum statum prorsus extinctum ; non vero illae quae, populi moribus constantes, cum novo statu, nova ecclesiarum institutione componi poterant [2].

252. — II. *Novus Gallicarum ecclesiarum status juri communi subjectus fuit a R. Pontifice.* — Per bullam *Qui* CHRISTI *Domini vices,* destructo toto antiquo statu episcopatuum, capitulorum et parochiarum, fuit alius novus status substitutus omnino a priori, formaliter saltem, diversus ; et ab hoc tempore ecclesiae Galliarum *jure communi,* salvis Concordati derogationibus, necessario sunt regendae. Haec nostra conclusio per partes probatur.

1° *De Religione ejusque cultu generatim.* Articulo primo concordati duo stabiliuntur : *a/* Religio *catholica* (non vero nationalis ac Status), *apostolica et romana* (cujus R. Pontifex est caput supremum), *libere* (sine obstaculis [3] contra ejus leges ac jurisdictionem) in Gallia exercebitur, *b/* Cultus *publicus* erit tam extra quam intra ecclesias, et subjicietur publicitas illa ordinationibus politiae ; sed tantum in eo quod pro tranquillitate publica necessarium existimatur [4].

2° *De Archiepiscopis et Episcopis,* lege art. 2, 3, 4, 5 et 17 concordati; et nota : *a/* ex bulla *Ecclesia* CHRISTI constare novam dioecesium circumscriptionem a gubernio postulatam fuisse ; *b/* nonnullis Episcopis sedes resignare nolentibus, Pium VII omnes tunc in territorio Reipublicae Gallicae existentes dioeceses suppressisse novasque erexisse. Quoad Belgium, suppressis metropolitana ecclesia Mechliniensi, ejusque tunc suffraganeis ecclesiis cathedralibus Argentinensi, Leodiensi, Iprensi, Gandavensi, Antverpiensi, Ruremundensi et Brugensi, erecta fuit ecclesia metropolitana Mechliniensis, una cum ei subjectis novis cathedralibus Tornacensi, Gandavensi, Namurcensi, Leodiensi, Aquisgranensi, Trevirensi, Moguntina ; *c/*jurisdictionis Archiepiscoporum et Episcoporum extensionem et regulas ex ecclesiarum titulis quaerendas esse ; in quibus videre est eam exerceri debere ad normam juris communis.

---

1. Cit. Bulla, § 6.
2. Cf. quoad hanc quaestionem DE BRABANDERE-VAN COILLIE, ed. 6, p. 88 s.; BAUDUIN, *De consuetudine,* p. 207 ss.; *Nouv. rev. théolog.,* 1886, t. XVIII, p. 638.
3. Uti sunt placetum regium aut appellatio ab abusu.
4. Cf. Arrêt de la cour de cassation du 27 nov. 1834.

3° *De parochis et parochiis.* Vide concordati art. 9 et 10. In bulla *Ecclesia* CHRISTI legitur : « Jus nominandi parochos ad Episcopos pertinebit, qui tamen personas non seligent, nisi iis dotibus instructas, *quas Ecclesiae canones requirunt.* » Ad removenda omnia novae circumscriptionis parochiarum obstacula, Legatus Caprara, in decreta executionis, § 25, omnes parochias in unaquaque dioecesi declarat perpetuo suppressas.

4° *De capitulis.* Vide concordati art. 11. Cardinalis Caprara, eodem decreto, § 21, Antistitibus primo futuris facultatem concedit ut capitulum « erigere ipsi possint, juxta formam a sacris canonibus Conciliisque praescriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam. »

5° *De seminariis.* Vide rursus concordati art. 11. In citato decreto legimus, § 28 : « Seminarium quoque... quibus poterunt modis ac temporalibus adjumentis, ad sacrorum canonum et Conciliorum sanctiones, Archiepiscopi et Episcopi curent instituendum. »

§ 2. JURI COMMUNI DEROGATIONES.

253. — Art. 2 limitatur jus S. Pontificis erigendi et circumscribendi novas dioeceses ; exerceri enim debet *collatis cum Gallico gubernio consiliis.*

Art. 4 et 5 nominatio Archiepiscoporum et Episcoporum spectat ad gubernii ducem, quae tamen subordinatur canonicae institutioni a Pontifice dandae [1].

Art. 6 et 7 auctoritati civili praestandum est juramentum ab Archiepiscopis et Episcopis, atque ecclesiasticis secundi ordinis.

Art. 9 limitatur jurisdictio Episcoporum in erigendis novis parochiis ; effectus civilis enim novae circumscriptionis subjicitur gubernii consensui.

Art. 10 Episcoporum jus paroecias conferendi subjicitur gubernii acceptationi [2].

Art. 13 alienata Ecclesiae bona condonantur possessoribus.

At etiam art. 14 et 15 statuitur, providendum esse decenti sustentationi ministrorum cultus catholici [3], et liberum esse ecclesiis consulere novis fundationibus.

---

1. Haec dispositio abrogata est lege fundamentali nostra. Cf. circa quaestionem de locutione *Nobis nominavit,* CAVAGNIS, *o. c.,* p. 13 ss.; *Le livre blanc du St-Siège,* p. 38 ss.
2. Art. 6, 7, 10 abrogati sunt apud nos.
3. Cf. *Collat. Brugen.,* 1904, t. IX, p. 176 ss., 258 ss.

§ 3. Statuta transitoria

254. — Hoc nomine vocamus illas juri generali derogationes, quae in favorem primo institutorum Episcoporum post Concordatum anni 1801 sunt factae, et quae nullum jus, nequidem particulare, constituere possunt. Has postulabat celerrima et urgens dioecesium et paroeciarum restitutio. Eruuntur autem ex bulla *Qui* Christi *Domini vices,* et ejusdem bullae executoriali decreto Cardinalis Caprara. Sequentes sunt praecipuae [1] :

Episcoporum canonica institutio per Legatum, eorumdemque consecratio per ipsum, aut ab eo delegatum Episcopum, assistentibus duobus simplicibus presbyteris, defectu Episcoporum.

Capitulorum erectio ac constitutio per primo institutos Episcopos.

Iisdem Episcopis jus concedendi capitularia insignia et indumenta choralia.

Solis primo institutis Episcopis, et pro prima vice tantum, jus nominandi dignitates et canonicos.

Iisdem solis jus condendi statuta capitulorum.

Jus primos parochos nominandi ac instituendi absque concursu.

§ 4. Articuli organici [2].

255. — Plenae hujus Concordati executioni magnae difficultates fuerunt oppositae, tum a parte nonnullorum Episcoporum, sedibus suis renuntiare nolentium ; tum a parte gubernii, quod, inscio Pontifice, die 8 Aprilis 1802, una cum concordato edidit *Articulos,* dictos *Articles organiques,* per quos, uti ex textu videre est, multa in conventione statuta evertebantur, et graviter laedebatur Ecclesiae libertas.

Jam vero illi articuli nullam habent vim legis ecclesiasticae, neque per se, neque per consensum R. Pontificis. Non *per se ;* quia non prodierunt ab auctoritate legitima : Ecclesiae namque soli potestas est leges ecclesiasticas ferendi. Non *per consensum R. Pontificis :* tantum enim abest ut Sedes Apostolica assensum iis praebuerit, ut omni data occasione contra eos sit protestata. Sic, *in Alloc. 24 Maii 1802,* Pius VII : « Animadvertendum, ait, una cum praefata conventione nostra, nonnullos alios articulos, ignotos nobis, promulgatos esse, quos, vestigiis praedecessorum nostrorum inhaerentes, haud possumus non expetere, ut opportunas ac necessarias modificationes accipiant. » In bulla *Cum memoranda,*

---

1. Cf. André, *Cours alphabétique de droit canon* [9], v° *Concordat,* Paris, 1894 ; Maupied, *Jur. can. universi compendium,* 2 vol. t. I, c. 17. Paris, 1861.

2. Cf. supra bibliographiam, n. 235, 249 et ap. Kiselstein, *o. c.,* p. 103. V. etiam *Les articles organiques et le Concordat,* in *Rev. du clergé français,* 1904, t. XL, p. 428 ss.; O. Mayer, *Portalis und die organischen Artikel,* Strassburg, 1902. — Textus traditur *ad calcem* voluminis : *La Sépulture et les fabriques d'églises.*

10 Junii 1809 : « His articulis, inquit idem Pontifex, non solum exercitio Religionis in maximis potissimisque rebus adimitur, quae solemniter promissa fuerat, protectio ; verum etiam eorum quibusdam ipsa haud procul impetitur evangelica doctrina. » Nomine Sedis Apostolicae contra eosdem articulos Legatus pontificius, Cardinalis Caprara, reclamationem dedit, 18 Augusti 1803, ad de Talleyrand, rerum externarum administrum. At, non nisi sero, et in aliquot solum articulis, Sedis Apostolicae expostulationibus factum est satis per decretum Imperatoris 28 Februarii 1810. Ferebat quidem art. 3 concordati 11 junii 1817, inter Pium VII et Ludovicum XVIII initi : « Articuli, *organici* nuncupati, qui inscia Sanctitate Sua conditi ac sine ullo ejus assensu, die 8 Aprilis 1802, una cum supradicto concordato diei 15 Julii 1801, promulgati fuerunt, abrogantur in iis quae adversantur doctrinae et legibus Ecclesiae » ; sed hoc concordatum exitum non habuit, nisi quoad erectionem plurium dioecesium, quae facta fuit juxta statuta an. 1822 [1]. Nuperrime Pius X memoravit concordato napoleonico injuste additos fuisse articulos organicos, quos S. Sedes semper reprobavit [2].

Caeterum, quamvis articuli illi nullam habeant vim legis, de facto tamen eorum plures executioni mandavit gubernium [3] ; et Sedes Apostolica, quemadmodum in initio se non omnibus articulis eadem severitate opposuit, aliquorum ex iis applicationi non restitit.

In Belgio nonnulli articuli, v. g. 1, 2, 3, 6, 7, 8, abrogati sunt articulo 16 Constitutionis ; 4[s] vero articulo 19 [4].

EXCURSUS.

DE DIOECESI BRUGENSI EJUSQUE DISCIPLINA.

256. I. Paulus Papa IV, anno 1559, parte territorii a dioecesi Tornacensi avulsa, sedem episcopalem in Brugarum civitate constituit. Eam cum aliis suppressit Pius Papa VII, an. 1801, per bullam *Qui* CHRISTI *Domini vices*, ejusque dioecesis territorium finitimo univit Gandavensi episcopatui. Attamen in Belgarum regno, novo publicarum rerum ordine constabilito, in concordato 18 Junii 1827, inter Leonem XII et Gulielmum I [5], conventum fuit de erigenda dioecesi Brugensi, ac per Ap. litteras *Quod jam diu* praefinita fuit episcopalis ecclesiae Brugensis redintegratio. Ast, mortuo Leone XII, res non fuit executioni mandata, donec Gregorius Papa XVI, per litteras Ap. *Romanae Ecclesiae*, anno 1834, universam Flandriae partem quae Occidentalis appellatur, a dioecesi Gandavensi divisit, atque in civitate Brugensi sedem, cathedram ac dignitatem episcopalem in cathedrali et parochiali ecclesia, sub invocatione SS[mi] Salvatoris et S. Donatiani, Ep. et Conf., denuo erexit.

1. Cf. *Le livre blanc du St-Siège*, p. 25 ; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 37 ss.
2. Allocutio SS. Pii X, die 14 nov. 1904, ap. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 42 ss.
3. Illi articuli qui non opponuntur legibus Ecclesiae et statutis Concordati, sed ad hujus applicationem faciunt, valent sub respectu civili.
4. Cf. etiam Const. art. 14.
5. Cf. TERLINDEN, *Guillaume I et l'Église catholique*, 2 vol., Bruxelles, 1906 ; *Mémorial belge*, 1864, t. VIII, app. col. CLXX ss.

257. II. In dioecesi Brugensi, uti in aliis Belgii dioecesibus, viget jus commune et concordatum an. 1801, salvis mutationibus huic postea allatis praecipue per constitutionem an. 1831 et per bullam erectionis an. 1834 ; de quibus nonnulla ducimus notanda :

1° Perperam aliqui asseruerunt cessasse Concordatum per Constitutionem. Per novam enim Constitutionem mutantur quidem interna regni negotia, non vero conventiones, sive cum aliis regnis, sive cum R. Pontifice initae. Utique potest per illam major libertas Ecclesiae concedi ; at restringi nequit absque R. Pontificis assensu [1].

Majoris libertatis Ecclesiae in Belgio exemplum est Constitutionis articulus 16, quo nominatio et institutio Episcoporum omnino jam libere fit a R. Pontifice, absque Regis interventu : et nominatio necnon institutio aliorum ministrorum ab Episcopo, absque gubernii acceptatione, juxta regulas juris canonici. Eo igitur articulo abrogantur articuli 4-7 et 10 § 2 Concordati.

Exemplum autem illegitimae restrictionis est idem Constitutionis articulus, ubi dicitur : « Le mariage civil devra toujours précéder la bénédiction nuptiale, sauf les exceptions à établir par la loi, s'il y a lieu ». Haec limitatio articuli 1 concordati desumpta est ex Articulis organicis (art. 54).

2° Bullae erectionis expresse statuit sequentia :

a/ De jurisdictione Episcopi. Jurisdictio ejus sive ordinaria, sive delegata in personas et res exerceri debet ad normam juris communis.

b/ *De capitulo* legitur : « instituimus et erigimus capitulum, decem constans stabilibus ac perpetuis canonicalibus praebendis, nimirum tribus dignitatibus, quarum prima *archidiaconatus,* quae post pontificalem erit major... secunda *archipresbyteratus,* ac tertia *cantoratus* nuncupabitur ; necnon septem canonicatibus, comprehensis theologali ac poenitentiaria praebendis, quae, juxta canonicas sanctiones ac praesertim Concilii Tridentini decreta, in capitulis ecclesiarum cathedralium exstare debent. Hujusmodi autem dignitatum non minus quam canonicalium praebendarum futuri ac pro tempore existentes possessores apud eamdem ecclesiam Brugensem, in cathedralem erectam, personaliter residere, ac in ea divina quoque officia caeterasque ecclesiasticas functiones celebrare, horasque canonicas, cum diurnas, tum nocturnas, decantare, recitare et psallere ; Missamque conventualem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare, ac eidem ecclesiae Brugensi in omnibus laudabiliter deservire, illiusque statuta in posterum edenda diligenter observare teneantur.

« Utque cultui divino et decori memoratae ecclesiae Brugensis satius consulatur, eidem ecclesiae ejusque capitulo... inservient sex presbyteri capellani seu mansionarii ac alius presbyter sacrarii custos, nulla tamen facta immutatione circa animarum curam, quae sicut prius ab uno parocho cum tribus vicariis et duobus confessariis exercebitur. Antistiti vero pro tempore Brugensi facultatem tribuimus atque concedimus, canonicos honorarios nominandi et in capitulum adjiciendi, ita tamen, ut titularium canonicorum numerum neutiquam excedant (vi indultorum RR. PP. adauctus fuit numerus canonicorum honorariorum) ; et eisdem quidem ac titulares honoribus, insigniis atque privilegiis utantur et gaudeant ; sed ultimi post canonicos titulares sedeant, ac jure suffragii in capitularibus comitiis omnino careant. Collationem et provisionem, tum dignitatum, tum canonicatuum et mansionariarum,... hac prima vice futuro Episcopo Brugensi concedimus atque elargimur : futuris autem temporibus archidiaconatum... quovismodo et quandocumque vacare contigerit, Nobis et Apostolicae Sedi affectum et reservatum edicimus atque decernimus...reliquas autem dignitates, canonicales praebendas ac mansionarias ab Episcopis pro tempore existentibus, ut in prima eorum provisione, personis idoneis et in sacris ordinibus constitutis, semper et in perpetuum libere conferri, reservationibus et affectionibus cessantibus, statuimus et ordinamus, exceptis tamen canonicalibus theologali ac poenitentiaria praebendis, quas praevio examine et concursu, ad praescriptum Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum, tum hac prima vice, tum perpetuis futuris temporibus, per Episcopum conferri volumus atque mandamus ».

---

1. V. supra n. 250, nota in fine.

c/ De seminario. Erigi debet juxta canonicas sanctiones, cum dotatione a publico aerario pendenda.

d/ De parochis et beneficiis. « Existentes parochias aliasque ecclesias quascumque, monasteria, conventus et omnia, sive saecularia sive quorumvis ordinum regularia, cum cura et sine cura, beneficia ecclesiastica, item utriusque sexus personas et incolas, tam laicos quam clericos, non tamen exemptos cujuscumque gradus, ordinis et conditionis, ordinariae jurisdictioni, regimini ac potestati futuri ac pro tempore existentis Episcopi Brugensis, pariter perpetuo submittimus atque subjicimus [1] ».

Juxta disciplinam, post concordatum anni 1801 in nostris provinciis vigentem, parochi tripliciter distinguuntur : sunt nempe parochi *primae classis,* parochi *secundae classis,* et *succursalistae* qui etiam gaudent omnibus juribus parochialibus ; tantum inter eos discrimen habetur quoad annuam pensionem a Gubernio solutam.

Praeterea exstant *Statuta dioecesana,* et singulo fere anno publicantur *Acta Congregationis prosynodalis* RR. adm. DD. Decanorum dioecesis, in quibus multa statuuntur disciplinae ecclesiasticae capita.

Quod vero spectat ad bona ecclesiarum temporalia, ea reguntur praesertim Decreto 30 Decembris anni 1809, quod Episcopi nostri piae memoriae Ill^s^ Boussen [2], necnon Ill^s^ Malou a parochis, in quantum ab ipsis res pendet, diligenter servari voluerunt [3]. Idem enixe commendavit Ill^s^ D. Faict [4].

---

1. Cf. *Coll. Epistolarum Pastoralium,* t. I, p. 101 ss.
2. *Coll. Epist. pastor.,* t. I, p. 305, art. 10.
3. *Act. Congr. prosyn.,* 6 maii 1854, art. 13, *ibid.,* t. VIII, p. 320.
4. *Act. Congr. prosyn.,* 6 sept. 1870, art. 4 ; 16 jun. 1871, art. 9 ; 28 maii 1884, art. 7, *ibid.,* t. XI, p. 380 ; t. XII, p. 44 ; t. XIV, p. 174. — Cf. *Collat. Brugen.,* 1904, t. IX, p. 391 ss.; KISELSTEIN, *o. c.,* p. 102 ss.

LIBER PRIMUS.

NORMAE GENERALES.

258. — Connexio et divisio materiae. Indicatis fontibus juris canonici in prolegomenis, stabilivimus in libro fundamentali, jure positivo divino praesertim innixi, fundamentum totius juris canonici, existentiam nempe societatis ecclesiasticae, spiritualis, externae, legalis, inaequalis, perfectae et qualibet alia societate superioris, ex qua praeterea deduximus jus sociale Ecclesiae ad extra. Jam nunc disserendum est de legibus ecclesiasticis quibus in specie constitutio, regimen et disciplina Ecclesiae ordinantur. At, ad instar eorum quae in primis distinctionibus Decreti Gratiani et in primis titulis Decretalium aguntur, et juxta ordinem legalem Codicis juris canonici, praeponenda est *theoria generalis* de legibus in Ecclesia constituendis et constitutis, quae quasi perpetuo applicanda venit per singula fere capita tractationis canonicae.

Exordiendum esset proinde a *normis generalibus* quae in libro I Codicis proponuntur et quibus valor, efficacia et duratio juris tum generalis, tum particularis, tum scripti tum non scripti, necnon dispensationum in lege definiuntur, additis etiam regulis quibus tempus supputandum est. Sed cum de his apud nos in tractatu canonico-morali *de legibus* disseritur, quaedam tantummodo hoc loco proponemus, quae ad materiam generatim Institutionum canonicarum proprius accedunt. Caeteroquin pleraeque normae generales decursu operis explicandae et applicandae venient.

TITULUS I

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

Fontes. Can. 8-24.

Auctores. SUAREZ, *De legibus ;* FEYE, Tractatus autographus *de legibus ;* BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis,* ed. 2, 1890, p. 188 ss. (ed. 3, 1903), Brugis ; VAN DEN BERGHE [2], *Tractatus de legibus,* Brugis, 1904 ; WERNZ, *o. c.,* t. I[2], p. 90 ss.; FERRERES, *Instituciones canónicas,* t. I, p. 50 ss., n. 138 ss.; COCCHI, *Commentarium in cod. jur. can.,* lib. I, p. 61 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* n° 26 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 176 ss. ; PACELLI, *La personalità e la territorialità delle leggi specialmente nel diritto canonico,* Roma, 1912 ; BEDEL, *La notion de la loi, chez les théologiens et les canonistes du XIII[e] siècle,* Paris, 1913 ; BRÉAL, *Sur l'origine des mots désignant le droit et la loi en latin,* in *Nouv. revue historique de droit franç. et étranger,* 1883, t. VII, p. 603 ss.; CORRERAS Y ARANO, *Filosofia de la Ley,* Madrid, 1919.

Distributio materiae. Remissis plerisque quaestionibus ad tractatum *fundamentalem de legibus,* pauca tantum proponemus de potestate legifera Ecclesiae, de promulgatione et de interpretatione legum ecclesiasticarum.

CAPUT I.

DE POTESTATE ECCLESIAE LEGIFERA.

259. — I. **Notio et Errores.** 1° Potestas legifera est *jus designandi media ad finem societatis assequendum necessaria, atque membra ejus obligandi ad eadem adhibenda.*

2° Primus Aetius, ait Devoti [1], omnem Ecclesiae jurisdictionem et legislativam potestatem eripere conatus est. Ejus errorem secuti sunt Waldenses, Joan. Hussius, Marsilius Patavinus, Jandunus, Lutherus, Calvinus, Grotius, qui falso putarunt nullam Ecclesiae esse jurisdictionem, sed omnem ejus in dirigendo et suadendo positam esse auctoritatem. » Quibus autem sophismatibus usi sint ad illud probandum, vide apud Suarez [2].

Inter recentiores eamdem potestatem aequivalenter negant qui dicunt eam a principibus temporalibus Ecclesiae collatam fuisse ; vel qui fingunt eam pertinere ad totam fidelium communitatem, a qua illam accipiant necesse est, qui in Ecclesia gubernant [3].

260. — II. **Demonstratio.** Verum, legislativa potestate Ecclesiam esse divinitus instructam, sequitur ex eo quod a CHRISTO fundata sit tamquam societas *externa, inaequalis, perfecta et independens.* Nulla enim hujusmodi societas, inspecta humani intellectus diversitate, voluntatis inconstantia et indomito cupiditatum aestu, potest legislativa potestate carere. Cum vero hae proprietates Ecclesiae sint inditae positiva CHRISTI voluntate, potestatem ipsi competere jure divino merito affirmatur [4].

Ulterior theseos confirmatio habetur ex S. Scriptura ex constanti traditione et perpetua Ecclesiae praxi, necnon ex Conciliorum et RR. Pontificum definitionibus [5]. In can. 196 affirmatur potestatem jurisdictionis — quae includit potestatem legislativam — ex divina institutione esse in Ecclesia.

261. — III. **Corollarium de illegitimitate placeti regis.** Eo quod Christus Dominus Ecclesiae suae dederit potestatem legiferam a potestate civili plane distinctam et independentem, sequitur ad valorem legum ecclesiasticarum non requiri acceptationem principum seu *regium Placet* [6].

---

1. *Institut. can.*, t. II, p. (6) ss.
2. *De Legibus*, t. III, c. 1.
3. Cf. supra, n° 149, 156.
4. BIEDERLACK, *o. c.*, p. 24 s.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 103 s., n. 90 ; BACHOFEN, p. 50 ss.; PAQUET, *o. c.*, p. 134 ss.; STRAUB, *o. c.*, p. 1 ss. Cf. proscriptas a C. *Auctorem Fidei* propositiones 4 et 5 Synodi Pistoriensis ap. DENZINGER-BANNWART, 1367, 1368.
6. Cf. quoad hanc quaestionem placeti regii in multis regionibus usque vigentis habetur bibliographia ap. FRIEDBERG, *o. c.*, p. 271, nota 7 ; SAEGMUELLER, *o. c.*,

1° *Notio.* Gallicani politici et Jansenistae contendunt principibus jus esse leges ecclesiasticas, maxime vero pontificias, et etiam episcopales, quas dicunt *mandata,* publicae utilitatis causa inspiciendi, earumque promulgationem suo beneplacito subjiciendi. Permissio promulgandi quae a principibus datur, *placitum, placetum* seu *placet regium,* litterae *exequatur, pareatis,* sive *patentes* vocari solet [1]. Definiri igitur potest jus placiti regii : « facultas quam auctoritas civilis ut propriam sibi vindicat acta et decreta S. Sedis vel ordinationes alias superioris ecclesiastici, priusquam in regno promulgentur, perlustrandi, eorumque executionem pro arbitrio suo aut permittendi aut prohibendi [2]. » Illud autem jus derivant ex jure *majestatico* inspiciendi et cavendi, ne quid respublica detrimenti capiat, propterea quod, aiunt, fieri posset, ut constitutiones ecclesiasticae aliquid contineant, quod juribus imperii detrahat, aut civili societati noceat.

2° *Notae historicae.* Illud placitum, quod tempore schismatis Occidentis, consentiente Urbano VI, adhibitum fuerat a quibusdam Praelatis, quodque ab his ad principes quoque transierat, ut falsis et falsorum Pontificum bullis non deciperentur populi, exstincto schismate, non evanuit ; sed apud multas nationes a potestate civili retentum est, et gradatim amplificatum [3]. « Primum, nempe, ut ait Oliva [4], ad rescripta gratiae et justitiae privatis data adhiberi placitum coeptum est, postea extensum ad decreta disciplinae, demum ad bullas etiam dogmaticas. » Ad ea omnia extendit placitum regium Stockmans [5], necnon Van Espen, praecipuus placiti propugnator [6], in quo ostendere conatur contra Zypaeum placiti legitimitatem, necessitatem, usum in Belgio jam pridem

---

p. 100, nota 6. — Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 118, nota 60 ; CAVAGNIS, *o. c.,* t. II, p. 130 ss.; BARGILLIAT, *o. c.,* t. I, n. 64 ; A. MUELLER, *De Placito regio* (Diss.), Lovanii, 1877 ; BERNAREGGI, *l' « exsequatur »,* in *La Scuola cattolica,* 1913, ser. v, vol. 1, p. 143 ss., 314 ss., optima dissertatio conscripta occasione denegati « exsequatur » bullis nominationis III^mi Caron ad archiepiscopatum Genuensem ; cf. etiam *Civiltà cattolica,* 1912, vol. IV, p. 641 ss.; 1913, vol. I, p. 447 ss.; 513 ss.; MANGINI, *Il reale « Exsequatur » e « Placet » vigente in Italia,* Genova, 1913 ; FERRERES, *Instituciones canónicas,* t. I, p. 17 ss., n. 53 ss.

1. Circa discrimen inter placetum regium et exsequatur, v. BERNAREGGI, *o. c.,* p. 145.

2. MUELLER, *o. c.,* in fine prooemii.

3. Cf. CAVAGNIS, *o. c.,* p. 133 ss. Historia placeti ap. varias regiones describitur a MUELLER, *o. c.;* GIRON, *Dictionnaire de droit administratif,* v° *Puissance ecclésiastique,* n° 76.

4. *Tractatus de foro Ecclesiae,* P. I, q. XXII, n° 19, Conimbr. 1649 s.

5. *Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem,* in opp. omnia, Bruxellis, s. d. [1698].

6. *De promulgatione legum,* P. II-V in opp. omnia. Contra ipsum scripsit P. GOVAERTS (1644-1726). V. P. GOVAERTS, opuscula adversus Espenii doctrinam de placeto regio, Brugis, 1830. Cf. MUELLER, p. 70 ss.

receptissimum. Huic concordant Febronius, Jo. Nuytz, et alii scriptores, praesertim in Gallia utut et liberales moderni [1].

3° *Confutatio.* Verum lugenda illa potestatis saecularis tyrannis, atque in jura Ecclesiae invasio, est oppugnanda.

Etenim *a) pugnat cum Ecclesiae in suo ordine independentia.* Nam, cum potestate legifera independenti alicujus societatis componi nequit jus Placiti, quod alia societas circa illius exercitium sibi vindicat. Atqui Ecclesia a suo divino fundatore potestate legifera plane independenti instructa est. Ergo [2].

Quod argumentum eo magis valet quod Ecclesia sit societas juridice superior.

b) Opponitur libertati magisterii et ministerii ecclesiastici. Illud gravissimum accedit, quod hujusmodi placito libertas magisterii et regiminis ecclesiastici, divinitus Ecclesiae concrediti, apprime laeditur, ejusque autonomia funditus convellitur atque destruitur.

c) Reprobatus semper fuit ab Ecclesia [3]. Si Ecclesia, ad majora praecavenda mala, illud quandoque sustinet et tolerat [4], nunquam tamen consentit neque approbat. E contrario, saepissime Sedes Ap. protestata est: sic Innocentius VIII anno 1486 contra Joannem II, Regem Lusitaniae ; Urbanus VII, const. *Pastoralis,* anno 1627 ; item Pontificis nomine, Card. Caprara contra Articulos organicos 1 et 3. Illos articulos defendit Portalis, et decreto Napoleonis 28 Februarii 1810 excepta fuerunt a placiti necessitate sola brevia S. Poenitentiariae data pro foro interno.

Ulterius in *Syllabo* varias huc spectantes propositiones damnavit Pius IX. Nimirum :

Prop. XXVIII. *Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.*

Prop. XLI. *Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competit potestas indirecta in sacra ; eidem proinde competit nedum jus quod vocant* exequatur, *sed etiam jus* appellationis, *quam nuncupant* ab abusu.

Prop. XLIX. *Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum R. Pontifice libere ac mutuo communicent* [5].

---

1. Cf. BERNAREGGI *o. c.,* p. 337 ; inter liberales Belgii citetur LAURENT, *Van Espen,* Bruxelles, 1860.

2. MUELLER, *o. c.,* p. 147 s.; SOGLIA, *o. c.,* t. I, p. 60 s.; BERNAREGGI, *o. c.,* p. 332 s.

3. MUELLER, *o. c.,* p. 102 ss.; BERNAREGGI, *o. c.,* p. 333 ss.; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 141 ss.

4. Decret. S. O. 29 nov. 1876, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. IX, p. 264 s.

5. Cf. Conc. Vatic. const. *Pastor aeternus,* cap. 3 ; Const. *Apost. Sedis,* tit. 1, n° 7 et 8 ; Pii IX alloc. 12 martii 1877 ap. *ASS.,* t. X, p. 54 ; cf. *ASS.,* t. XIX, p. 170 ss.

Tandem hunc abusum reprobavit Pius X, C. *Jamdudum*, 24 maii 1911 [1].

Placitum regium ex toto sublatum fuit in Belgio per art. 16 Constitutionis : *L'État n'a le droit d'intervenir ni dans la nomination ni dans l'installation des ministres d'un culte quelconque, ni de défendre à ceux-ci de correspondre avec leurs supérieurs, et de publier leurs actes, sauf en ce dernier cas, la responsabilité ordinaire en matière de presse et de publication.*

CAPUT II.

DE PROMULGATIONE LEGUM.

262. — I. **Necessitas promulgationis.** « Leges instituuntur, cum promulgantur » (can. 8, § 1). Quo principio, ex Gratiano [2] desumpto, affirmatur promulgationem seu *legis publicationem communitati factam auctoritate illius qui curam habeat communitatis* esse ex natura rei et ex institutione Ecclesiae saltem conditionem adeo necessariam ad legem ecclesiasticam condendam ut statutum canonicum quodlibet, etiam irritans, absque promulgatione omni destituatur valore neque ullam obligationem inducat. Non ideo admittendum videtur promulgationem esse *partem constitutivam* legis ecclesiasticae. Etenim promulgatio, cum non *sit* norma actuum pro subditis sed illam tantum *manifestet* est potius extrinsecum necessarium requisitum ad existentiam legis [3].

263. — II. **Modus promulgationis legum ecclesiasticarum.** 1° Olim *leges ab Apostolica Sede latae* publicari et affigi solebant Romae ad valvas Basilicarum Lateranensis, Vaticanae et Liberianae, Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae ; ibidemque aliquo tempore affixae manebant. Nunc autem promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus (can. 9) [4]. Quae forma promulgationis observanda est pro omnibus actis sive RR. Pontificum, sive SS. Congregationum et Officiorum, per modum *legis* exhibitis [5].

---

1. Cf. *AAS.*, 1911, t. III, p. 220.
2. C. 3, D. 4.
3. WERNZ, *o. c.*, p. 116 s., n. 100 ; MAROTO, *o. c.*, n° 188.
4. Cf. Const. Pii X *Promulgandi*, 5 oct. 1908, ap. *Coll. Brugen.*, 1908, t. XIII, p. 605 s.; *AAS.*, 1909, t. I, p.5 ; cf. etiam Monitum S. C. Rit., 28 jan. 1912, ap. *Coll. Brug.*, 1912, t. XVII, p. 217 ; *AAS.*, 1912, t. IV, p. 84. Cf. *De religiosis et missionariis docum. periodica*, t. VI, p. 290 ; *Rev. Augustinienne*, 1909, t. XV, p. 154 ss.
5. De modo subscribendi leges et acta Apostolicae Sedis, cf. Const. *Promulgandi* et monitum cit. S. C. Rit., 28 jan. 1912.

2° Quoad *leges* vero *dioecesanas* modus promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur (can. 335, § 2).

264. — Nota *de vacatione legis* [1]. Juxta can. 9 leges apostolicae vim suam exserunt tantum *expletis tribus mensibus* [2] a die qui *Actorum Apostolicae Sedis* numero appositus est, nisi ex natura rei (uti v. gr. fidei aut morum definitiones) illico ligent, aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta (uti evenit pro praescriptis novi codicis) [3]. Leges vero *episcopales* statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur (can. 335, § 2).

CAPUT III.

DE JURISPRUDENTIA SACRA ET SS. CANONUM INTERPRETATIONE.

ARTICULUS PRIMUS. — De jurisprudentia sacra.

265. — « Cum omnes ferme leges, inquit post Zallwein Card. Soglia [4], sint regulae generales, et impossibile sit legem ferre ita claram, quae nulla egeat interpretatione, aut ita universalem, ut ad omnes casus in sacris occurrentes, quos nullus legislator praevidere potest, applicari et extendi valeat, opus erit quadam prudentia, qua mediante, leges non solum recte intelligantur, sed et ad actiones hominum sapienter explicentur, et ad casus in legibus non expressos justa interpretatione extendantur.

« Haec itaque prudentia explicandi applicandique juris solet *Jurisprudentia* vocari, atque adeo definiri : *Facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi.* Itaque jurisprudentiae ecclesiasticae duae sunt veluti partes, quarum una leges ecclesiasticas scienter interpretatur ; altera easdem leges ad facta sive, ut vulgo aiunt, *ad casus obvenientes applicat.* Prima jurisprudentiae pars, quae in rectam interpretationem legum incumbit, ardua est, multarum rerum peritiam postulat ; altera pars, quae in applicandis legibus versatur, expedita et facilis est, statim ac ex apta legis interpretatione mens legislatoris comperta fuerit. » Hac igitur parte praelectionibus relicta, quaedam hic subjicimus de ss. canonum interpretatione.

ARTICULUS II. — De SS. Canonum interpretatione.

Auctores. WERNZ, *o. c.*, p. 145 ; VAN DEN BERGHE [2], *o. c.*, p. 116 ; MAROTO, *o. c.*, n° 234 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n° 59 ss.

---

1. Cf. WERNZ, *o. et l. c.*, p. 119 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 63 ss.
2. Ista obligationis dilatio in tres menses, ex can. 34, § 3, 2° ita supputanda est, ut leges quae v. gr. fasciculo commentarii officialis 2 novembris continentur ab initio 2 februarii obligent.
3. Quoad leges conciliorum particularium, cf. can. 291, § 1.
4. *O. c.*, p. 10.

266. — I. **Notio.** Interpretatio legis stricto sensu intellecta est sensus dubii et obscuri legis manifestatio [1].

Haec interpretatio distinguitur ab illa quae dicitur *per epikeiam.* Priori, verba legis obscura vel ambigua explanantur : posteriori vero interpretamur voluntatem legislatoris, et est benigna ac rationalis declaratio, qua secundum aequum et bonum statuitur mentem seu voluntatem legislatoris non fuisse aliquem casum *particularem,* ob *particulares* circumstantias, lege comprehendere, tametsi legis verba sint generalia et perspicua. Ex hac definitione liquet, epikeiam non esse interpretationem proprie dictam, cum sit potius aliqua legis emendatio ex aequo et bono.

267. — II. **Divisio.** Interpretatio stricte dicta dividitur tum ratione *causae efficientis,* tum ratione *modi.*

1° *Ratione causae efficientis,* seu subjecti unde procedit, una est *authentica,* quae etiam dicitur *necessaria,* alia est *doctrinalis,* prout fit vel ab ipso legislatore, hujusve superiore, successore aut illo cui a legislatore potestas interpretandi facta est (can. 17 § 1) ; vel a jurisperitis privatisque doctoribus, qui legibus et canonibus interpretandis operam navant.

a) *Authentica interpretatio* est illa quae obligatorio modo *ab auctoritate publica* proponitur ; atque *generalis* est si omnibus subditis *generali lege* scripta vel jure consuetudinario praescribitur; *particularis* vero si tantum pro oratoribus per decisionem administrativam aut pro solis partibus per sententiam judicialem vim obligatoriam parit [2].

Interpres authenticus juris canonici et divini est Romanus Pontifex, Peculiare Consilium seu Commissio a Benedicto XV institutum est cui jus est Codicis canones authentice interpretari [3]. Congregationes Romanae amplis facultatibus a Sancta Sede sunt instructae leges ecclesiasticas interpretandi et exsequendi, juxta uniuscujusque competentiam, salva R. P. approbatione : haec interpretatio data per modum sententiae aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est (can. 17, § 3). Sacris Tribunalibus Romanis competit facultas leges ecclesiasticas interpretandi juridice in casibus particularibus, ita nempe ut jus faciant inter partes [4]. Episcopi aut Ordinarii est interpretari leges suas particulares.

---

1. Sensu lato intellecta dicitur omnis explicatio sensus verborum legis in se clarae per alias voces vel sententias clariores. Haec valet retrorsum et promulgatione non indiget, can. 17, § 2.

2. Ne confundatur authenticitas seu vis obligatoria interpretationis cum vi obligatoria legis universalis.

3. Cf. supra, n. 109.

4. Cf. can. 17, § 3 ; *Causa Romana,* S. C. Consistorialis, 11 feb. 1911, *Act. Apost. Sed.,* 1911, t. III, p. 99 ; *Collat. Brugen.,* 1911, t. XVI, p. 546.

b) Interpretatio *doctrinalis* nullam habet vim legis [1], cum non jurisdictioni sed scientiae interpretantium nitatur ; adeoque nonnisi directiva et morali pollet auctoritate ; tantum autem valet, quantum argumenta quibus stabilitur [2].

2° *Ratione modi* quo fit interpretatio, alia est *comprehensiva,* quae declarando legem obscuram et dubiam a proprio sensu verborum legis et ab intentione antea concepta legislatoris non recedit ; alia est *extensiva* aut *restrictiva* quae ultra vel infra id, quod proprio sensu verborum in lege continetur aliquid novi statuit. Utraque, tum comprehensiva tum extensiva aut restrictiva, non retrotrahitur et nova promulgatione indiget ut omnes obliget (can. 17, § 2) [3]. Interpretatio comprehensiva est vel *lata* vel *stricta. Lata* si juxta mentem legislatoris secundum sensum proprium sed *latiorem* verba interpretatur ; stricta vero si juxtam mentem legislatoris secundum sensum *strictiorem* verba interpretatur.

Ut illa recte intelligantur, notandum est quod duplex sit nonnullorum verborum significatio *propria.* Una *naturalis* sive *communis,* quam verba de se, sive ex natura sua, vel ex communi hominum acceptatione habent; quo sensu vocabulum *mors* intelligitur *de morte naturali,* et vox *filius* quandoque etiam comprehendit *filias,* quia communi et vulgari usurpatione pro utroque sexu accipitur. Non videtur tamen vox *filius* in sensu naturali unquam comprehendere nepotes aut adoptivos. Altera est significatio *juridica,* quae pendet ab usu in disciplina juris vigente, et quasi propria est artis juridicae ; v. g. vocabulum *mors* apud jurisconsultos non tantum naturalem, sed etiam *civilem mortem* significare solet; et nomen *filius* etiam *adoptivum,* verbum *legitimus* quandoque *legitimatum* comprehendit [4].

ARTICULUS III. — De modo procedendi in interpretatione.

Ut secure quis procedat in explicatione et applicatione legum, attendere debet in primis *ad leges ipsas, dein accurate servare regulas sanae interpretationis.*

§ 1. OBSERVANDA CIRCA LEGES IPSAS.

268. — Ad legem ipsam quod spectat, varia sunt inquirenda. Et primo quidem ex qua collectione sit desumpta ; dein a qua prodierit auctori-

1. Cf. tamen can. 20 ; postea n. 274 ss.
2. Omnibus licita est, nisi habeatur specialis prohibitio, uti olim prohibita fuerit editio commentarii ex professo habiti decretorum Concilii Tridentini.
3. Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent (can. 15). Cf. MAROTO, *o. c.,* n. 236.
4. WERNZ, *o. c.,* p. 150 s. Lexica juridica enumerat WERNZ, *o. c.,* p. 87 s.

tate ; postea de qua materia agat ; et tandem quid praecise statuat.

I. *Collectio.* Collectio est authentica vel privata seu habet *vim legalem* vel *vim criticam* tantum, juxta exposita [1].

Si non habeat vim legalem, videndum quaenam sit collectionis vis seu valor criticus, id est, ipsa auctoritas quam habet ratione originis a qua promanat.

II. *Auctoritas legis.* Hic inspicienda venit legis origo. An procedat a legitima auctoritate necne ? An legislator non excesserit limites suae potestatis ? An lex, licet in initio pure civilis, vel usu introducta, non fuerit postea canonizata, seu ab auctoritate ecclesiastica probata ?

III. *Materia legis.* Probe examinandum est an lex versetur circa jus divinum, sive naturale, sive positivum, et praesertim circa constituta ab ipso CHRISTO Domino ; an vero circa illa, quae relicta sunt prudenti praesulum arbitrio. Priora enim universalia et immutabilia, caetera semper mutationi obnoxia sunt, et quandoque tantum particularia, ut patet.

IV. *Pars dispositiva.* Animadvertendum insuper est, quid praecise de disciplinae parte, quam pertractat, lex statuat. Ad hoc bene distinguenda est pars legis *dispositiva,* id est sententia principalis, qua legislator jus condit vel huic derogat, a parte *expositiva* seu narrativa qua continentur praefatio, rationes, vel alia mere accessoria, quae aliquando extra propositum principale inserta reperiuntur. Haec enim omnia, licet multum conducant ad dignoscendum quae fuerit mens legislatoris, quomodo lex sit exsecutioni mandanda, etc., non tamen habent vim legis, quinimo quandoque a vero aberrant. Huic animadversioni locus non est in *novo Codice,* in quo omnis abest pars expositiva.

§ 2. REGULAE INTERPRETATIONIS.

269. — Regulae interpretationis possunt dupliciter distingui : sunt enim vel *regulae generales* quae omni legi applicandae veniunt, vel *regulae speciales* quae pro objecto speciali circa quod versatur jus, aut in casu quo deficit praescriptum expressum juris, adhibendae sunt.

A. REGULAE GENERALES INTERPRETATIONIS.

270. — Summa totius legis est *voluntas legislatoris ; certum enim est quod is committit in legem,* ait reg. juris 88 in VI [2], *qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem* [3]. Tot igitur sunt regulae

1. N° 29.
2. Cf. postea n. 276.
3. Hoc est : contra legem delinquit qui voluntatem legislatoris sufficienter

sanae interpretationis, quot sunt indicia quae demonstrant voluntatem seu mentem legislatoris. Quapropter statuit can. 18 : « Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum *propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam ; quae si dubia et obscura manserit, ad locos codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.* »

271. — I. Attendendum est praeprimis ad *formam legis seu verba,* quae accipienda sunt juxta propriam et usitatam significationem in textu et contextu manifestatam ; nec ad sensum improprium recurri potest, nisi necessitas cogat, puta quia alias sequeretur quid absurdum aut injustum, vel fieret lex ipsa prorsus inutilis. AEstimandum enim est verba a legislatore fuisse adhibita eo sensu, quo facile ab omnibus possit lex intelligi, et omnis error vitari [1].

Verba generalia et absoluta intelligenda sunt sensu absoluto, absque ulla distinctione secundum axioma juristarum : *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Nec admittenda est ulla exceptio cum superior *excipere potuerit, et non exceperit ;* unde regula juris 39 in VI : *Cum quid prohibetur prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.*

Verba clara non indigent interpretatione. Si verba sint aequivoca, eorum significatio desumenda est *ex contextu,* et quantum fieri potest, ita sunt explicanda, ut quam minime lex recedat a jure communi ; legislator enim tamquam juris custos et vindex, praesumitur semper stare pro juris observantia donec probetur contrarium [2].

272. — II. Quodsi *verba legis* voluntatem legislatoris non sufficienter manifestent, vel quia sunt dubia aut obscura, vel quia latiorem aut strictiorem admittunt interpretationem, tunc ex dispositione can. 18 [3], recurrendum est ad indicia quae alio modo mentem legislatoris pandunt. Unde fiet ut verba obscura declarentur aut strictam vel latam accipiant interpretationem.

---

perspectam habens contra ejus voluntatem, praetextu nudorum verborum, legem interpretatur.

1. Quoad antiquas leges ratio est habenda *temporis,* quo lex lata fuit. Nonnulla enim sunt verba, quorum antiquae significationes in novas mutatae sunt, vel quibus usus alium quam hodie sensum tribuebat. Exemplo esse possunt vocabula *canonicus, dioecesis,* etc., et praesertim vocabulum *censemus,* aliave quae meram opinionem videntur exprimere, et tamen in libris Decretalium praeceptum important. Hac in re multum utilitatis conferre potest eximium opus Caroli Ducange, quod inscribitur *Glossarium mediae et infimae latinitatis,* cujus variae sunt editiones. Editio nova a L. FAVRE, 10 vol., Niort, 1883-1887.

2. Huc spectat c. 8, X, V, 40 : « Propterea, si prolixam epistolam meam ad interpretandum accipere te fortasse contigerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri : quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur. »

3. Cf. Reg. jur. cit. 88 in VI ; c. 6, X, V, 40. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 149.

Illa indicia sunt :

1° *Loca Codicis parallela, si qui sint,* praesertim si ipsa lex suadet alios canones esse consulendos. Exempli gratia, ad interpretationem canonis 136, apte aditur can. 2379 ; ita utiliter comparantur can. 420 et 421, 120 § 2 et 2341. Praeterea ex iis quae diximus supra de connexione inter vetus et novum jus, apparet quam saepe consulendam esse antiquam legislationem ad rectam interpretationem novae.

2° *Finis legis.* Ad dubium enucleandum utiliter quoque ponderari potest, modo caute fiat, finis seu, *ratio legis.* Sed bene distinguenda est ratio in lege expressa a ratione quam legi tribuunt jurisperiti ; multo enim majoris ponderis ad legis interpretationem est prior quam posterior, ut liquet. Ad rem autem scribit Suarez [1], rationem esse « medium ad indagandam mentem et moraliter certum, quando est in lege expressa ; non tamen ita infallibile quin aliae etiam circumstantiae ponderandae sint ; quia etiam ipsius rationis sensus potest esse ambiguus, et ex aliis circumstantiis certior redditur. Et contingere etiam potest, ut ex eadem ratione voluntas variis modis et ad diversa moveatur ; et ideo ad plene cognoscendam legislatoris voluntatem, quae est propria mens ejus, non sufficit sola ratio, etiam in lege expressa, sed omnia expendenda sunt et attente consideranda. »

Haec observatio eo vel magis prae oculis est habenda quod legislator, etsi aliquam rationem alleget, non semper tamen omnes rationes, totum finem suum, causam integram, neque etiam semper praecipuam exprimat.

Probe hic notandum est, quod ordinarie loquendo in jure positivo non liceat argumentari a pari vel a fortiori, vel ab identitate aut majoritate rationis ad casus disparatos ; aliis verbis, quod lex non debeat de casu ad casum extendi, licet eadem ratio currat ; quia non *ratio legis,* sed *legislatorum voluntas* subditis rite intimata vim legis habet et obligat ; potest enim legislator de uno disponere, et non de alio. Quod praeprimis valet quoad leges poenales (can. 20 ; 2219, § 3). Unde, poena lata contra procurantem abortum, non est extendenda ad occisorem foeminae praegnantis [2].

Est tamen commune legem extendi de casu ad casum, quando non solum eadem, sed *eadem et adaequata* simul ratio currit ; adeo ut, si non extenderetur, legislator accusari posset injustitiae vel imprudentiae. Unde tunc valet illud juristarum : *Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet*

---

1. *De leg.;* L. IV, cap. 1, n° 20.
2. Cf. S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.-Cochinchin.), 2 jul. 1827, ap. *Collectanea S. C. de Prop. Fide* [3], n° 796.

esse juris dispositio. Id autem evenit *a)* in *correlativis ;* sic, quia maritus et uxor sunt correlativa, si vir liberetur a debito reddendo uxori adulterae, pariter uxor eximitur a reddendo debito marito adultero ; *b)* in *aequiparatis ;* ut sunt electio et praesentatio ad beneficium ; *c)* in *connexis ;* sic, lex quibus permittit condere testamentum, iisdem concedit facere codicillum ; *d)* in *subordinatis,* seu *contentis ;* sic, dispensatus in quadragesima pro esu carnium censetur dispensatus pro esu ovorum et lacticiniorum (can. 1250). Sic dicitur can. 66 § 3 quod concessa quaedam facultas secumferat alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae [1].

Quapropter decernitur can. 20 : « si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma *sumenda est,* nisi agatur *de poenis applicandis, a legibus latis in similibus.* »

3° *Circumstantiae ad objectum legis comparatae.* Merito censetur legislator accommodasse legis objectum seu materiam circa quam versatur lex [2], adjunctis personarum, locorum, temporum et occasionum, in quibus lex prodiit et ex quibus indoles ejus manifestatur.

4° *Mens legislatoris alio modo* vere *manifesta,* sive haec mens legislatoris certe demonstretur ex parte expositiva legis, sive ex declarationibus posterioribus authenticis et debito modo promulgatis.

Praeter has regulas generales ipsi SS. canones quasdam statuunt *regulas* interpretationis speciales. Ad rem etiam faciunt antiquae *Regulae juris* quae ut generalia juris principia, ad cognoscendum, interpretandum et applicandum jus plurimum usu veniunt.

B. REGULAE SPECIALES A CODICE EXHIBITAE.

273. — 1° «*Leges quae poenam statuunt, aut liberum jurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi* » (can. 19).

Quod praescriptum explicat antiquam regulam juris 15 in VI : *Odia restringi et favores convenit ampliari,* h. e. leges odiosae interpretandae sunt sensu strictiori, favorabiles vero sensu latiori [3].

1° Leges autem *generatim* dicuntur *odiosae,* quae alicui personae vel communitati gravamen inferunt, quae nempe detrimentum afferunt ;

---

1. V. SCHERER, *o. c.,* t. I, p. 15 ; BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis* [3], p. 329 ; FERRERES, *Compendium theologiae moralis,* t. I, n. 113 s.; Barcinone, 1918 ; MAROTO, *o. c.,* p. 253, nota (4).

2. Inde reg. jur. 15 in VI : « Odia restringi et favores convenit ampliari » ; reg. jur. 49 in VI : « In poenis benignior est interpretatio facienda ».

3. Cf. supra n. 267.

onus aliquod imponunt vel poenam infligunt ; *favorabiles* vero quae alicui personae vel communitati favorem concedunt aut speciale beneficium praestant. Jam vero, stante dubio, quamdiu nimirum, re mature perpensa, vera mens legislatoris non innotuit, et lex potest, servato sensu verborum, stricte vel late intelligi, restringi debet in odiosis, et ampliari in favorabilibus.

a) Can. 19 magis *in specie* determinat quaenam sint leges *odiosae stricte interpretandae.*

Stricte interpretandae sunt α) leges poenales [1] ; β) leges liberum jurium exercitium coarctantes, uti est lex de prohibitione librorum, lex de potestate Archiepiscopi in Suffraganeos, lex limitans jura parochialia ; γ) leges exceptionem a lege continentes ; hujusmodi sunt lex exorbitans a jure communi vel illi derogans et a fortiori lex posterior priorem abrogans [2].

b) E contrario *late* sunt interpretandae leges, quae aut bonum publicum, bonos mores, libertatem Religionis tuentur, nullo gravi onere inducto ; aut beneficia seu favores, privilegia praeter jus, distinctiones honorificas largiuntur, absque gravamine alterius, sive individui, sive societatis [3].

2° Difficultas tamen saepe occurrit in decidendo, *quaenam dispositio favorabilis et quaenam odiosa habenda sit ;* siquidem favor et onus *simul* in eadem lege non semel reperiantur. Lex quae sub uno respectu favorabilis est, sub altero saepe gravat ; bonum enim societatis vix procurari potest, quin subditi aliquod patiantur detrimentum naturalis suae libertatis. Ad hanc minuendam difficultatem sequentes regulas proponit Reiffenstuel [4].

---

1. Cf. etiam can. 2219 ; c. 22, in VI, I, 6 ; cit. resp. S. C. de Prop. Fide 2 jul. 1827. Ejusdem indolis est lex irritans in poenam criminis illata.

2. Cf. can. 23, 85 ; Reg. jur. 28 in VI « Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentias sunt trahenda » ; reg. jur. 78 in VI : « In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa » ; axioma juristarum : « Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori. »

Lex dicitur *exorbitans,* quae a communi jure, ob favorem causae vel personae, aliquos eximit, diciturque jus speciale ac privilegium ; lex *derogans* seu *limitans* dicitur illa, per quam a communi lege exceptio fit ut in certo casu locum non habeat. Differunt igitur lex limitans et lex exorbitans, quod illa a communi jure certum casum excipiat comparatione omnium ; haec vero certum duntaxat personarum genus a legè communi simpliciter eximat. Lex *abrogans* aut *obrogans* est illa, quae sive expressa legislatoris declaratione sive dispositione directe contraria abolet totam legem. Cf. can. 22.

3. Cf. can. 50, 68, 85 ; c. 6, X, III, 24. « In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda ».

4. *O. c.,* lib. IV in appendice *de regulis juris,* cap. II, ad reg. XV, n° 3 ss., coll. n° 2.

« Quotiescumque odium et favor ab invicem *separari* possunt, lex vel dispositio partim favorabilis, partim odiosa censenda est...

« Si autem favor et odium in lege vel dispositione reperta separari nequeant, attendenda est principalis *intentio* disponentis seu legislatoris... Si enim hic per suam legem, statutum, dispositionem principaliter intendit alicui favorem exhibere, lex et dispositio favorabilis censenda est,... licet etiam in damnum et odium alterius redundet ; si vero primarium intentum in alicujus odium et poenam tendit, vel contra jus commune militat, lex odiosa reputari debet, etsi cedat etiam in alterius favorem. » Ista autem intentio ex criteriis supradatis [1] desumi poterit.

« Quod si vero ex his nondum appareat, an constitutio principaliter lata sit in favorem vel odium alicujus, favorabilis censenda est [2]. »

274. — II. « *Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus ; a generalibus juris principiis cum aequitate canonica servatis ; a stylo et praxi Curiae Romanae ; a communi constantique sententia doctorum* » (can. 20).

275. — Dicitur : 1° *a legibus latis in similibus,* quod supra sufficienter explicatum est [3].

276. — 2° *a generalibus juris principiis cum aequitate canonica servatis.*

His generalibus juris principiis, certe annumerare fas est antiquas *regulas juris,* quas Gregorius XV et Bonifacius VIII inseruerunt, alter ad calcem Libri V Decretalium, alter pariter in fine Libri VI Decretalium [4].

a) *Notio.* Regula juris « denotat sententiam generalem, quae plura jura seu leges et canones, hinc inde dispersos, de diversis rebus et casibus eamdem rationem habentibus agentes, brevi ac claro compendio complectitur et proponit [5] ».

Licet ergo regulae juris, ex decisionibus et constitutionibus anterioribus deductae sint, fuerintque habitae ut *consequentiae* juris anterioris,

---

1. Vide supra n° 272.
2. Cf. BOUQUILLON, *o. c.*, n. 118, nota 1.
3. V. supra, n° 272.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 152 ; ZECH, *o. c.*, tit. XXII, p. 342 ; REIFFENSTUEL, *o. c.*, lib. V, tit. XLI et lib. IV, in appendice, *tractatus de regulis juris,* ubi post prooemium generale singulae regulae explicantur ; MASCHAT-GIRALDI, *Institutiones canonicae,* lib. V, tit. XLI, Romae, 1757 ; STREINIO, *Summa jur. can.,* lib. V, in append. *de regulis juris in VI,* Coloniae, 1658-1659.
5. REIFFENSTUEL, *o. c.*, lib. IV, in app. prooemium, n° 2. Sic dum infames unus canon a praelaturis et beneficiis, alius a magistratu, alius ab officio judicis... arcet, cunctos hos canones diversis in locis positos unica regula 87 in VI paucis hisce verbis complectitur : *Infamibus portae non pateant dignitatum.*

tamen ab ipso legislatore ut *normae* sive *principia* sive rationes decisionum in collectionibus authenticis applicatae sunt [1].

Regulae juris aliae sunt *authenticae* seu Decretalibus insertae, aliae *non authenticae* et *doctrinales* dumtaxat, communiter dictae *Brocardicae* (a corrupto nomine canonistae Burchardi).

b) *Auctoritas.*

α) Regulae juris *authenticae* in veteri jure vim et auctoritatem legis habebant, quoad omnes casus non exceptos. Quam auctoritatem, retinent si in Codice expresse commemorentur.

Quae vero in novo jure silentio praetereuntur, valent ut *principia juris,* a quibus, servatis regulis aequitatis canonicae, sumenda est norma, si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis et alia criteria principaliora deficiant. Dicitur autem *servatis regulis aequitatis canonicae,* quia unaquaeque regula secundum genuinum sensum suum est applicanda nec extendenda ad casus exceptos, aut in quibus ratio aperte est in contrarium [2].

β) Regulae *non authenticae,* quae a jurisconsultis vel aliis doctoribus, privata auctoritate, veluti axiomata juris citantur et applicantur, eumdem valorem quidem non habent, sed tamen magna potiuntur in probando auctoritate [3].

c) *Usus regularum juris.*

Circa applicationem regulae alicujus, sive authenticae, sive non authenticae, duo praecipue sunt observanda ; a) utrum in casu particulari, de quo agitur, eadem habeatur ratio cum ratione generali ipsius regulae ; b) utrum iste casus a legislatore specialiter exceptus non fuerit [4].

d) *Quaedam regulae in specie.* Inter regulas juris authenticas, aliae *generales* ad quamvis juris canonici materiam sese extendunt [5] ; aliae sunt *particulares,* quae ad determinatam tantum materiam referuntur, nimirum ad legum interpretationem, ad judicia, ad beneficia, ad dispensationes, privilegia et rescripta et ad effectum legum [6]. Hic quaedam subjungenda sunt de aliquibus juris regulis ad *interpretationem legum*

---

1. WERNZ, *o. c.,* p. 153 ; *Collat. Brugen.,* 1907, t. XII, p. 719 s.
2. WERNZ, *o. c.,* p. 154.
3. V. gr., *ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio ; tacitum idem operatur, quod expressum ; spoliatus ante omnia restituendus est, etc.*
4. REIFFENSTUEL, *o. et l. c.,* n. 14.
5. V. gr. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur,* Reg. 1, X, V, 41 ; *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit,* Reg. 18, in VI ; *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari,* Reg. 29, in VI.
6. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 114. De rescriptis agendum erit infra. De dispensationibus, rescriptis et privilegiis tractatur ex professo in praelectionibus *De legibus.*

facientibus. Tales sunt sequentes, inter insertas *Sexto Decretalium* a Bonifacio VIII.

REG. 30ª : « *In obscuris minimum est sequendum* ».

Sensus regulae est sequens : ubi res *obscura* est, aliis verbis, ubi in lege, statuto, aut alia dispositione rei veritas et voluntas legislatoris, consideratis verbis cum contextu, objecto et ratione legis, aut aliis circumstantiis non satis apparet, id quod *minimum* est, seu quod minus obligat vel minus gravat sentire debemus [1]. Ratio est, quod salvo bono publico, jura proniora sint ad liberandum quam obligandum, magisque inclinent ad minuendam quam augendam obligationem.

REG. 34ª : « *Generi per speciem derogatur* ».

Sensus regulae est : « Quando duae dispositiones sibi contrariae concurrunt, illa, quae specialis est, derogat generali, et si ambae communes sunt, una tamen magis, altera minus talis, ea quae minus communis, sicque *species* est, derogat magis communi tamquam *generi,* in eo tamen duntaxat in quo specialis generali, vel minus communis magis tali contraria existit... Ratio et finis regulae est..., ut discordantes species et genus, quantum possibile est, concilientur, juxta universale juris praescriptum : *Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari* [2] ».

Regula procedit seu valet in legibus [3], consuetudinibus [4] rescriptis [5], contractibus, legatis et testamentis. Fallit autem in privilegiis ; privilegium enim speciale non derogat generali, nisi de eo expressa fiat mentio ; quia per primum privilegium, etiam generale, consequitur quis jus plenum [6].

Ceterum nihil refert an species praecedat vel sequatur, seu prius vel postea sit constituta ; regula semper obtinet, quia ratio ejus in utroque casu locum habet.

REG. 39ª : « *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo* ».

Genuinus ac verus regulae sensus est : quando aliquid simpliciter *ut illicitum* prohibetur aut etiam quando aliquid non tantum ut *illicitum* sed praeterea *sub nullitate* prohibetur, tunc simpliciter prohibita quoque sicque *illicita* aut etiam similiter prohibita sicque *illicita et invalida* censentur ea omnia quae ex principali prohibito, propter necessariam connexionem et dependentiam, ordinarie sequuntur, saltem si eadem de his, uti de illo, militat ratio. Sic quia alienatio rerum ecclesiasticarum sine debita solemnitate non tantum simpliciter, sed etiam sub nullitate est prohibita... quaevis etiam donatio, venditio et similia sub nullitate censentur prohibita, una cum connexis et subsequentibus ex illis, qualia sunt traditio, dominium [7].

---

1. REIFFENSTUEL, *l. c.*, ad reg. 30, n° 4.
2. C. 29, VI, 1, 6. Cf. REIFFENSTUEL, *l. c.*, ad reg. 34, n° 8.
3. Cf. can. 22 : « lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur ».
4. Cf. can. 30.
5. Cf. can. 48, § 1. Vide infra.
6. C. 19, X, II, 26 ; REIFFENSTUEL, *l. c.*, n° 17 ss.
7. REIFFENSTUEL, *o. c.*, ad reg. 29, n° 4.

Ratio est, quod connexorum eadem ratio sit, idemque judicium. Praeterea quae ex aliquo sequuntur, accessoria illius sunt ; *Accessorium autem naturam sequi congruit principalis,* ait regula juris 42 in VI.

Huic regulae merito subjungit Barbosa [1] aliam contrariam : *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia quae ad illud sunt necessaria.* Et ita, cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest, ut facultas citandi, et condemnandi contumaciam [2].

277. — 3° *A stylo et praxi Curiae Romanae in Congregationibus, Tribunalibus et Officiis ;* vide infra de consuetudine [3].

278. — 4° *A communi constantique sententia doctorum.* Apposite de interpretatione doctrinali Suarez [4] : « si in alicujus legis intelligentia omnes interpretes conveniant, faciunt humanam certitudinem, et, regulariter loquendo, inducunt obligationem servandi legem, et utendi illa in praxi juxta talem interpretationem : tum quia tanta consensio Doctorum indicat communem acceptationem et observantiam legis in illo sensu ; tum etiam quia vix accidere potest ut contra communem omnium doctorum interpretationem tam efficax ratio occurrat, ut in conscientia reddat securam contrariam intelligentiam. »

279. — III. « *In dubio revocatio legis praeexistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae* » (can. 23). Supra vidimus correctionem legum esse odiosam [5] ; et merito ; hoc ipso enim quod leges propter utilitatem publicam conditae et ab omnibus receptae, indeque summe favorabiles sunt, quidquid eis adversum seu contrarium est merito odiosum reputatur. Hinc « expedit concordare jura juribus et eorum correctiones evitari » [6].

280. — IV. « *Consuetudo est optima legum interpres* » (can. 29). Effectus consuetudinis secundum jus est quod legem interpretetur. Haec interpretatio, quando fit per consuetudinem facti, valet in ratione *testis* et *signi* de vero sensu legis et de mente legislatoris, et accedit ad naturam *doctrinalis* interpretationis. Ut dignoscatur major vel minor eam servandi necessitas vel convenientia, videndum est quorumnam usus sit, utrum simplicium fidelium an vero etiam virorum doctorum, an timoratorum. Quodsi consuetudo ista eum gradum attingit, ut legem *dubiam*

---

1. *Tractatus varii. Axiomata juris usui frequentiora,* axioma 46, n° 4 ; 156, n° 3. Lugduni, 1660.
2. Cf. can. 66, § 3.
3. N° 281.
4. *De legib.,* lib. VI, c. 1, n. 6.
5. N° 273.
6. C. 29, in VI, I, 6.

et indeterminatam juxta *certum* et *definitum* sensum *obligatorio* modo observandam esse statuat, interpretationem vere *authenticam* continet, ejusque acceptatio est necessaria [1].

TITULUS II. — De Consuetudine.

Fontes. Cod. jur. can., cann. 25 ss. — Decret. Gratian. D. I, 4, 8, 9, 11, 12 ; Decretal. Greg. IX, Lib. sext., lib. I, tit. 4, *de consuetudine* ; Extrav. com., lib. I, tit. 1.

Auctores. VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 163-176 ; WERNZ, *o. c.*, p. 269 ss.; DUBALLET, *Cours complet de droit canonique*, T. III, p. 163-295, Paris, 1898 ; BAUDUIN, *De consuetudine in jure canonico*, Lovanii, 1888 ; BELORGEY, *De consuetudine dissertatio canonica*, Lyon, 1893; FERRERES, *Instituciones canónicas*, t. I, p. 66, Barcelona, 1918 ; BARGILLIAT, *o. c.*, t. I, p. 85 ss.; PRUEMMER, *o. c.*, p. 13 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 248 ss.

281. — I. **Notio.** Ad jus non scriptum, sicut Traditio, etiam pertinet consuetudo, quae definiri potest : *Jus legale inductum diuturnis populorum moribus, cum expresso, vel tacito, vel legali saltem legislatoris consensu.*

Attendendae sunt etiam consuetudines Dicasteriorum Romanorum [2], quae sunt *usus Congregationum et Tribunalium longa constantique praxi confirmati.* Si mos ille referatur ad formam procedendi Dicasteriorum in causis ecclesiasticis, vocatur *stylus Curiae* [3] ; si ad materiam decisionum quae de una eademque re prodierunt appellatur merito *auctoritas rerum similiter decisarum.* Ille stylus Curiae, illaeque uniformes decisiones Dicasteriorum dici possunt habere vim consuetudinis legalis, ex accedente consensu legislatoris [4].

Consuetudini, debitis stipatae conditionibus, hanc vim Ecclesia agnoscit, ut obligationem vel inducat, vel ex toto aut parte abroget, vel interpretetur (cann. 27, 28, 29).

Juxta praescripta *Codicis jur. can.* ut consuetudo, vi consensus legalis, novum jus faciat vel antiquum abroget debet esse legitime per annos *quadraginta* continuos et completos praescripta (cann. 27, 28). Imo contra legem ecclesiasticam quae clausulam continet futuras consuetudines *prohibentem,* sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis (can. 27, § 1). Praeterea in eodem

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 288 ; FEYE, *o. c.*, p. 177, n. 170 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, n. 119, 197 ; BOUQUILLON, *o. c.*, n. 116.

2. WERNZ, *o. c.*, p. 276 ; SANTI-LEITNER, *Praelectiones juris canonici* [3], t. I, p. 304, n° 53, Ratisbonae, 1898 ; HEINER, *o. c.*, p. 44.

3. KONINGS-PUTZER, *Commentarium in facultates apostolicas* [5], p. 15 s. Neo-Eboraci, 1898 ; MAROTO, *o. c.*, n. 362 ss.

4. V. Cod. jur. can., can. 20.

canone, § 2, continetur assertum illud generale : consuetudo quae in jure expresse *reprobatur* non est rationabilis [1].

Usus apud nos habet ut tractetur de legibus, et proinde de consuetudine, in praelectionibus theologiae moralis.

282. — II. **Quaestiones speciales.**

A. *De consuetudine contra decreta Tridentini.*

Olim controvertebatur utrum decretis disciplinaribus Concilii tridentini posset derogari contraria consuetudine [2].

Multi canonistae et theologi, antiquiores plures, recentiores autem fere unanimes, admittebant, decreta Tridentina vi consuetudinis subversivae subesse [3]. Caeteroquin, etsi *theoretice* hac de re controversiam instituere liceret, cum novi canones qui jus Tridentinum ex integro aut tantum ex parte referunt, ex veteris juris auctoritate aestimandi sint (can. 6), tamen *practice* illa quaestio praetermittenda videtur. Etenim codex disciplinae Tridentinae opportunas immutationes juxta vigentes consuetudines auctorumque interpretationes attulit, notatim legislationi concursus ad parochias, synodorum provincialium et dioecesanarum, proclamationum promovendorum ad ordines, etc.

283. — B. *De consuetudine in re liturgica* [4].

1° De valore legali consuetudinis *praeter legem* in jure liturgico, non est ambigendi locus.

2° Si agatur de consuetudine *contra rubricas* dicendum videtur :

a) *in theoria.* Consuetudines non tantum immemoriales, sed etiam ordinariae, suis stipatae conditionibus, contra jus commune liturgicum non sunt exclusae. Nullibi reperitur lex ecclesiastica quae pro hac re generalem exceptionem faciat principiis de valore consuetudinis. Atta-

---

1. Cf. de vi hujus clausulae quoad futuras consuetudines, SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. I, p. 45 ; NOLDIN, *Summa theologiae moralis. De principiis*, ed. 6, p. 216, Oeniponte, 1906 ; AICHNER, *Compend. juris canonici*, ed. 9, p. 31 ss, Brixiae, 1900 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, p. 168, n° 191.

2. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. comp.* ed. 7 et 8, t. I, p. XIV.

3. Citantur ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, ed. 8, p. XV ; BIEDERLACK, *Die Gewohnheiten gegen die Disziplinar-dekrete des Trienter Konzils* in *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1882, t. VI, p. 438 ss., 608 ss.; *Collat. Brugen.*, 1907, t. XII, p. 649 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 292 ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 266 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 97 ; HEINER, *o. c.*, p. 162, etc.

4. DUBALLET, *o. c.*, p. 248-264 ; WERNZ, *o. c.*, t. III, Jus administrationis [2]. Pars 2, p. 13 ss. Romae, 1908 ; GATTERER, *Annus liturgicus* [3], p. 55 ss. OEniponte, 1912 ; *Ephemerides liturgicae*, 1912, t. XXVI, p. 630-640, 720-725 ; 1913, t. XXVII, p. 33-41 ; CALLEWAERT, *Liturgicae institutiones. Tractatus primus. De S. Liturgia universim*, p. 110, n. 136, Brugis, 1919 ; VICTORIUS AB APPELTERN, *De consuetudine contra leges liturgicas juxta novum codicem juris canonici*, in *Ephemerides liturgicae*, 1917, t. XXXI, p. 430 ss.; 558 ss ; FERRETTI, *De vi consuetudinis quod ad singulos libros liturgicos plenius investigata, ibid.*, p. 678 ss., 711 ss.; 1908, t. XXXII, p. 36 ss., 140 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 171.

men quoad *rubricas Missae* statuit can. 818 : « *Reprobata* quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces *proprio arbitrio* adjungat. »

b) *in praxi.* Etsi hac in materia, propter unitatem in ritibus servandam et a Romanis Pontificibus severe custoditam, difficilius probari possit consuetudo juri communi contraria, quod ostendunt repetitae declarationes et reprobationes Sanctae Sedis ; attamen haberi consuetudines rationabiles, imo a S. Rit. Congregatione non raro probatas, nemo est qui diffiteri possit, etiam ubi agatur de ritibus secundariis Missalis aut Ritualis Romani [1].

Mens videtur Congregationis ut in casibus particularibus ad ipsam recurratur, suam sententiam expetendi causa. Qui recursus urget, si agatur de rubricis Missae.

284. — C. *De consuetudine praeter aut contra jus particulare.*

Certum est praeter aut contra jus particulare induci posse consuetudinem. Quae ut valeat, rationabilis et legitime praescripta sit oportet. Ut sit legitime praescripta requiri videtur spatium quadraginta annorum ad inducendum novum jus aut ad vetus abrogandum. Attamen consuetudini particulari citius accedet consensus expressus aut tacitus legislatoris qui usum contra aut praeter statutum haud difficulter notum habens, huic consentiet vel expressis terminis, vel actione aut omissione, quae aliter explicari nequit quam per consensum consuetudinis approbativum.

TITULUS III.

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE.

Auctores. MAROTO, *o. c.*, n. 255 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, n° 94 ss.; COCCHI, *o. c.*, n° 93 ss.

Utile duximus hic referre regulas crebro in jure adhibendas de modo supputandi tempus, quas prima vice, clare et concise, exhibet novus codex.

« Salvis legibus liturgicis (v. gr. de tempore recitandi horas in choro, celebrandi Missam conventualem), tempus, nisi aliud expresse caveatur (a legislatore etiam inferiori aut imo ab aliis, pro actibus qui pendent ab eorum jurisdictione aut voluntate), supputetur ad normam canonum qui sequuntur » (can. 31).

285. — I. **Notiones generales.** a) « *Dies* constat 24 horis continuo supputandis a media nocte, *hebdomada* 7 diebus » (can. 32, § 1). Hebdomada

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 14, nota (46) ; CALLEWAERT, *o. c.*, p. 114, n° 139, coll., p. 144.

semper intelligitur complexus septem dierum, etiam non immediate ad invicem subsequentium.

b) In jure nomine *mensis* venit spatium 30, *anni* vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus (expresse aut aequivalenter) dicantur sumendi prout sunt in calendario » (can. 32).

c) Tempus computari *debet* physice, non moraliter.

d) Tempus computari *potest* de momento ad momentum, vel de die ad diem.

e) Tempus accipiendum est completum seu plenum tum pro ejus initio, tum pro ejus fine [1].

286. — II. **Supputatio horae.** « In supputandis *horis* diei standum est communi loci usui ; sed in *privata* Missae celebratione, in *privata* horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in jejunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis locis supputatio, *potest* quisque sequi loci tempus aut *locale* sive verum sive medium, aut *legale* sive regionale sive aliud extraordinarium » (can. 33, § 1) [2].

Juxta hoc praescriptum, *regula* est in supputandis horis *communis loci usus ;* sed praeterea ad modum favoris conceditur ut in variis observandis legibus eligi possit tempus verum, medium aut legale, imo modo unum, modo aliud pro diversa lege, ut si placet aliud pro recitatione Horarum, aliud pro jejunio etc. [3].

Per applicationem can. 20 ampla ista horarum optio etiam applicanda videtur in servanda lege festivae requietis, et in lucrandis indulgentiis [4].

Nota. « Quod attinet ad *tempus* urgendi *contractuum* obligationes, servetur, nisi aliter expressa pactione conventum fuerit, praescriptum juris civilis in territorio vigentis » (can. 33, § 2).

Quod valet etiam pro praescriptione (can. 1508) [5].

287. — III. **Supputatio diei, mensis et anni.**

1° « Si mensis et annus designentur *proprio nomine* aut aequivalenter, ex. gr., mense februario, anno proxime futuro, sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 1).

2° « Si terminus a quo *nec explicite nec implicite* assignetur, ex. gr., suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno

---

1. Cf. quoad notiones illas generales MAROTO, *o. c.*, p. 256 ss.

2. Cf. causas citatas in annotatione fontium in Codice ; Revmus WAFFELAERT, in *Nouv. Rev. théol.*, 1887, t. XIX, p. 302 ss.; OJETTI, *Synopsis rer. mor. et jur. pont.*, v° *tempus*, Romae, 1912, cum bibl. ibid. cit.; *Rev. ecclés. de Liége*, 1919-1920, t. XI, p. 157 ss ; *Nederlandsche kath. Stemmen*, 1920, t. XX, p. 86 ss. Tempus *legale regionarium* est illud quod a lege imponitur, sed ita ut vero (solari) aut medio (solari correcto et aequato) plus minusve respondeat (in Belgio hora meridiani Greenwich) ; *legale extraordinarium* est v. gr. tempus aestivum officiale aut illud quod ex alia regione desumptum, a lege imponitur ; ita in Belgio a Germanis occupato, tempus Europae centralis.

3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 94 ; COCCHI, *o. c.*, n. 95.

4. Cf. cann. 1246, 923 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 94 ; CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.*, p. 9 ; FERRERES, *o. c.*, p. 70 ; *Rev. eccl. de Liége, l. c.*, p. 162 ss. MAROTO, *o. c.*, n. 255 putat indulgentiis propriam esse computationem (cann. 921, 922, 923, 931). « Sed canones isti, merito adnotant VERMEERSCH-CREUSEN, potius quam tempus aliter aestiment, quasdam concedunt temporis concessi et secundum regulas generales supputati extensiones ».

5. Revmus WAFFELAERT, *De Justitia*, t. I, n. 239.

vacationum menses, etc., tempus supputetur de momento ad momentum ; et si tempus sit *continuum,* ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario ; si *intermissum,* hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus, 365 » (can. 34, § 2). Unde qui suspenditur per mensem a celebratione Missae, si eam celebravit 14 februarii hora 7 matutina, poterit iterum eam celebrare 14 Martii, hora 8.

3° « Si terminus a quo *explicite* vel *implicite* assignetur, et tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus aut tandem pluribus diebus :

a) Menses et anni sumantur prout sunt in calendario ;

b) Si terminus a quo *coincidat* cum initio diei, ex. gr., duo vacationum menses a die 15 augusti, primus dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur *incipiente* ultimo die ejusdem numeri ; (h. e., in casu incipiente die 15 octobris).

c) Si terminus a quo *non coincidat* cum initio diei, ex. gr., decimus quartus aetatis annus, annus noviciatus, octiduum a vacatione sedis episcopalis, decendium ad appellandum, etc., primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die ejusdem numeri ; (unde si annus noviciatus incipiat die 1 maii, quacumque hora hoc fiat, anni 1920, finem non habebit nisi expleto eodem die maii 1921).

d) Quodsi mensis die ejusdem numeri careat, ex. gr., unus mensis a die 30 januarii, tunc pro diverso casu (sub b et c) tempus finiatur incipiente aut finiente ultimo die mensis : (h. e., die 28 vel die 29 in anno bissextili mensis februarii) ;

e) Si agatur de actibus ejusdem generis statis temporibus renovandis, ex. gr., triennium ad professionem perpetuam post temporariam, triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandam, etc., tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eumdem diem poni potest » (can. 34 § 3). Unde qui egressus novitiatum, 1 maii 1921, primam professionem fecit die 2, v. gr., hora 8, recurrente die 2 maii, anno competenti, vota perpetua emittere poterit, qualibet diei hora.

288. — IV. Notio temporis utilis, continui.

« Tempus *utile* illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui juris (v. gr. decendium ad appellandum) ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat [1] ; *continuum,* quod nullam patitur interruptionem » (can. 25).

Tempus legale per se censetur continuum, cum tempus natura sua sit continuum et temporis utilis supputatio minus plana sit et ansam det controversiis [2]. Unde tempus utile debet concedi vel *expresse* [3] vel *tacite,* ita v. gr., quando in merum favorem alicujus tempus legale conceditur, nec odium alteri quomodocumque parit. Unde etiam in dubio tempus praesumendum est continuum [4].

---

1. Cf. OJETTI, *o. et l. c.;* c. 35, VI, I, 6.
2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 101.
3. Cf. cann. 161, 432, 1685, 1881, etc.
4. Cf. hac de re MAROTO, *o. c.,* n° 360 ss.

TITULUS IV.

DE RESCRIPTIS.

Fontes. Cann. 36 ss.; Decret. Greg. IX et Bonif. VIII, L. I, tit. 3 *de rescriptis ;* Clem. I, tit. 2, *de rescriptis.*

Auctores. STIEGLER, *Dispensation u. Dispensationsrecht im Kirchenrecht geschichtlich dargestelt,* Mainz, 1907 ; DE SMET, *De Sponsalibus et Matrimonio*[3], n° 732 ss., Brugis, 1920 ; PUTZER-KONINGS, *o. c.;* WERNZ, *o. c.,* p. 175 ; SANTI-LEITNER, *o. c.,* I, p. 26 ; HEINER, *o. c.,* p. 55 ; *Collat. Brugen.,* 1907, t. XII, p. 762 ; 1908, t. XIII, p. 44 ; FERRERES, *Instituciones canónicas,* t. I, p. 72 ss.; BARGILLIAT, *o. c.,* p. 336 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 278 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 102 ss.

Leges ad bonum commune feruntur ; rescripta vero ex invecto more in favorem dumtaxat privatorum. Leges propterea debita promulgatione denunciantur ; in rescriptis autem instar promulgationis est actus, quo judici praesentantur et exsecutioni mandantur.

289. — I. **Notio.** Rescriptum est *Responsum Romani Pontificis vel aliorum Ordinariorum, scripto datum, maxime ad alicujus consultationem, relationem aut supplicationem.* Ita rescriptum S. Sedis Apostolicae distinguitur a vivae vocis oraculo, a Decretis et Motu proprio [1], a Constitutionibus et legibus generalibus.

Quamvis rescripta generalia dari possint, tamen ordinarie *particularia* aut *specialia* sunt, seu constituunt jus tantummodo pro specialibus personis, aut particularibus associationibus, quae illa impetrarunt, valentque solum inter partes [2]. Per rescripta, vel leges postulanti declarantur, vel huic in casu quid agendum aut omittendum sit indicatur, vel praeprimis oratori favor aliquis — indulgentia, dispensatio, privilegium — impenditur.

290. — II. **Divisio.** Rescriptum praecipue dividitur : *a)* in rescriptum *praeter legem, secundum legem* et *contra legem.* Rescriptum *praeter legem* est, quod datur in materia quae sub lege non cadit seu quo conceditur aliquid quod a jure non est decisum, ut sunt variae facultates, indulgentiarum concessiones ; *secundum legem,* quod legis exsecutionem promovet, ut sunt delegationes causarum, exemptiones regularium ; et *contra legem,* quod in casu particulari legi derogat, ut sunt dispensationes ab impedimentis matrimonii.

---

1. Clausula *motu proprio* nonnunquam in rescriptis habita, non excludit omnem praeviam instantiam, sed significat Romanum Pontificem potius propria liberalitate quam oratoris petitione ad gratiam concedendam impulsum fuisse. Cf. ZECH, *Praecognita juris canonici,* ed. 2, p. 239. Ingolstadii, 1746.

2. REIFFENSTUEL, *o. c.,* in hunc titulum de *rescriptis* n° 9. Rescripta olim in Corpore Decretalium relata vim legis universalis obtinuerunt, vi insertionis in collectione authentica.

b) Rescriptorum celebrior est divisio, qua alia *gratiae,* et alia *justitiae* dicuntur esse. Rescripta *gratiae* dicuntur quibus ex liberalitate Principis aliquid praeter, secundum aut contra jus conceditur, in materia cum contentione *judiciali* partium non contenta ; respiciunt praecipue dispensationes, favores a Pontifice concessos tum relate ad beneficia, tum etiam relate ad honores et exemptiones. Rescripta vero *justitiae* vocantur quae ad justitiae administrationem tendunt : respiciunt lites inter subditos dirimendas, et judicis constitutionem, restitutionem in integrum, aliaque similia comprehendunt. In dubio praesumuntur esse rescripta justitiae, quae secundum jus conceduntur. Sunt quoque rescripta *mixta,* quae simul participant de gratia et justitia. Talia ex. gr. sunt rescripta, quae obtinentur a religiosis ad eorum professionem rescindendam ; nam in eorum principio continent gratiam ; sed deinde causa formalis aggredienda est, et definitiva sententia ferenda, quod pertinet ad justitiam (can. 586, § 2).

291. — III. De personis ad danda vel accipienda rescripta habilibus [1].

A. Rescripta Apostolica a *solo Pontifice,* qui in terris superiorem non habet, regulariter possunt concedi.

Utitur Pontifex ministerio diversorum Dicasteriorum in Urbe, ad concedenda rescripta gratiae vel justitiae, quae exarantur in forma Bullae aut Brevis aut simplicium litterarum apostolicarum seu rescriptorum, intervenientibus pro competentia sua Officiis expeditionis juxta praedicta [2].

Rescripta etiam pro sua competentia elargiuntur Ordinarii.

Juxta regulam juris 84 in VI : *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti* [3]a) « Gratia ab una Congregatione vel Officio denegata [4], *invalide* ab alia Congregatione vel Officio [5] aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo jure S. Poenitentiariae [6] pro foro interno » (can. 43) ; b) « Nemo gratiam a proprio

1. Cf. *Normae communes* de reformata Curia cap. X, sectio I, n° 1. *Acta Apost. Sedis,* 1909, t. I, p. 36 ss.

2. Supra n. 23.

3. Cf. etiam *Normae pecul.* de Curia ref., c. I, n. 2 ; *Rev. ecclés. de Liége,* 1919-1920, t. XI, p. 130 ; MAROTO, *o. c.,* n. 284, p. 321 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 106.

4. Invalidus censeretur etiam recursus ad Curiam Romanam, si R. Pontifex denegasset gratiam.

5. Post repulsam Curiae Romanae vel alterius Ordinarii, licite et valide fit recursus ad R. Pontificem, etiam reticita priore gratiae denegatione.

6. Quae, sive sciens sive ignara gratiae prius denegatae in foro externo, ipsa potest in foro interno procedere. Cf. MAROTO, *l. c.,* p. 322, nota (2).

Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione ; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus » (can. 44, § 1)) [1] ; c) « Gratia a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta hujus denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, *invalida* est ; gratia autem ab Episcopo denegata nequit *valide*, etiam facta denegationis mentione, a Vicario generali, non consentiente Episcopo, impetrari » (can. 44 § 2).

292. — B. 1° Possunt vicissim libere obtineri a quocumque, qui non sit expresse prohibitus (can. 36, § 1) ; quia in hac re illud observatur doctorum effatum : *Concessum intelligitur, quod non reperitur expresse prohibitum* [2].

Pro rescripto apostolico impetrando in foro *externo* generatim recurritur per medium Ordinarium, in foro *interno* vero per medium confessarium ; pro rescripto episcopali regulariter recurritur per medium parochum pro foro *externo*, per medium confessarium pro foro *interno* [3].

2° *Prohibentur* autem : a) ipso jure excommunicati vitandi, excommunicati et suspensi post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam et personaliter interdicti, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione, suspensione aut interdicto fiat (cann. 2265, § 2 ; 2275, n. 3 ; 2283). Alii censura irretiti a valida consecutione rescripti Apostolici non arcentur (can. 36, § 2) [4].

Ne censura validae consecutioni gratiarum et dispensationum obstaret, voluit legislator ut facultates a S. Apostolica concessae secum ferant alias quoque potestates ad illarum usum necessarias ; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed *ad effectum* dumtaxat dispensationis consequendae (can. 66, § 3).

b) Qui ab ipsa Sancta Sede poena vindicativa inhabilitatis ad gratias apostolicas consequendas plectuntur (can. 2291, n. 9 ; 2296, § 1).

Hic notandum venit quod rescripta etiam *Motu proprio* [5] concessa personae de jure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua

---

1. Cf. can. 1385, § 2. Hic verisimiliter agitur tantum de *liceitate*. Oportet ut *eadem persona* cui denegata est a proprio Ordinario gratiam, eam ab alio Ordinario petat. Ergo, si in casu impedimenti relativi, uni parti a proprio Ordinario denegata fuit dispensatio, nihil obstare videtur ut altera pars ab alio proprio Ordinario hanc dispensationem petat.
2. WERNZ, *o. c.*, p. 179, n° 151 ; *Syllabus*, prop. 49.
3. DE SMET, *o. c.*, n. 840, 851 ss.
4. *Normae peculiares* de Curia reformata, c. III, art. 1, n° 6. Cf. Decretum S. Poenitentiariae 9 sept. 1898, ap. *Analecta Ecclesiastica*, 1903, t. XI, p. 421 ; *Collat. Brug.*, 1908, t. XIII, p. 95, nota 2.
5. Vide infra n° 294.

agitur, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur (can. 46).

3° Rescriptum *gratiae* et *justitiae* potest aliquis obtinere, tam nomine proprio quam nomine procuratorio, pro se aut *pro alio*, etiam praeter hujus assensum, et licet ille alius possit gratia per rescriptum concessa non uti [1] aut eidem renunciare, rescriptum tamen valet ante ejus acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat (can. 37) ; nam gratia absenti aut ignoranti concedi potest, dummodo is concessionem non recuset [2].

293. — IV. De forma et vitiis rescriptorum.

I. *Legitima forma* rescripta exarantur, quando in redactione illorum omnes et solae formalitates atque conditiones *extrinsecae* et *intrinsecae*, de jure et stylo curiae requisitae, rite servantur [3].

A. *Forma externa* est legitima, si in ipsis litteris adjiciatur nomen Romani Pontificis rescribentis, annus, mensis, dies, locus ; si in ipso corpore rescripti eae occurrant locutiones quae ex stylo curiae pro diversitate personarum aut materiarum usurpantur ; si observatis solemnitatibus expediuntur rescripta gratiae et justitiae, rescripta in forma Bullae, Brevis aut simplicis litterae apostolicae.

B. *Forma intrinseca* constat duplici parte : parte expositiva et dispositiva. In *parte expositiva* continetur *narratio* in qua breviter reassumuntur objectum et causa petitionis, juxta libellum supplicem Romano Pontifici oblatum.

Quam narrationem sequitur *supplicatio*, qua preces ab oratore oblatae repetuntur [4].

Juxta narrata et petita redigitur *pars dispositiva*, in qua Pontifex rescribens mentem suam aperit, disponens quid, qualiter et sub quibusnam conditionibus concedat [5]. Ad hanc partem spectant etiam *clausulae* quae in rescriptis apponuntur.

1. Cf. can. 72, 76.

2. Cf. c. 17, in VI, III, 4 ; REIFFENSTUEL, *o. c.*, in h. tit. n° 59 ; DE ANGELIS, *Praelectiones jur. can.* T. I, p. 65, Romae 1877-1891 ; WERNZ, *o. c.*, p. 182.

3. WERNZ, *o. c.*, p. 183 ; *Collat. Brugen.*, 1907, t. XII, p. 763.

4. De modo redigendi libellum supplicem cf. DE SMET, *o. c.*, n. 854 ss. ; MONIN, *o. c.*, p. 193 ss., 329 ss. Exponatur clare et breviter, lingua vernacula, melius latina, instantia aut gratia aut recursus, additis causis et motivis supplicationis. Habeantur omnes illae indicationes (cognomina, nomen oratoris, locus, dioecesis etc.) necessariae ut Dicasterium cognoscat quis ad ipsum recurrat et ad quem mittendum sit responsum. In libello ad S. Poenitentiariam ponantur nomina fictitia oratorum. Inscribatur supplica ad R. Pontificem *Beatissime Pater ;* ad quemdam Cardinalem autem *Eminentissime Domine.* Scribantur inscriptiones externae (adresse) Dicasterii ad quod dirigitur libellus lingua vernacula, melius forsan italico sermone v. gr. *All' Eminentissimo Cardinale Penitenziere Maggiore* vel simpliciter *Sacra Penitenziaria.* Palazzo del Santo Officio, Roma.

5. Specimina rescripti Romani passim habes ap. *Collat. Brugen.*, cf. 1907, t. XII, p. 119, 517, 542, 765 ; DE SMET, *o. c., ad calcem* vol. II, p. 333 ss.

294. — *Clausula* vocatur : appendix legis aut rescripti, qua ipsius modus, extensio, firmitas determinatur[1]. Inter clausulas a) aliae expresse adjiciuntur ; aliae, etiam non expressae, semper subintelliguntur, nimirum : *si preces veritate nitantur* aut *si ita est* (can. 40) [2] ; ita dici potest de clausulis *salvo jure alterius* aut *sine praejudicio alieno* (can. 46) ; b) aliae sunt *essentiales,* quarum omissio exsecutionem reddit nullam ; aliae *instructivae* tantum et pro majori claritate aut determinandae exsecutionis causa adduntur. Hae omissae gratiam nunquam reddunt irritam, conscientiam tamen exsecutoris aut supplicantis per se onerant. Essentiales sunt quae veram conditionem exprimunt per particulas *si, dummodo,* vel aliam ejusdem significationis (can. 39), inter quas veniunt clausulae exigentes substantialem identitatem facti [3]. Ab auctoribus [4] etiam essentiales reputantur clausulae facultatum usum restringentes [5].

Clausulae instructivae sunt quae continent *de jure injungenda* [6], aut describunt formalitatem exsecutionis [7]. Specialem etiam mentionem merentur clausulae quae vim intrinsecam actus aut legis determinant ; uti cum rescriptis ad preces alicujus impetratis apponitur clausula : *Motu proprio ;* valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis, eaque unica proponatur [8] (can. 45), nisi dispensatio concedatur a minore impedimento matrimonii (can. 1054).

Abstinemus ab interpretatione clausularum, secundum stylum Curiae nunc vigentem intellectarum, referendo ad probatos Auctores et tractatus speciales [9].

---

1. WERNZ, *o. c.,* p. 151.
2. Salvo praescripto cann. 45 (de vi appositae clausulae *motu proprio*) et 1054 (de dispensatione a minoribus impedimentis matrimonii).
3. V. gr. *si ita est, si preces veritate nitantur ;* salvo iterum praescripto can. 45 et 1054.
4. KONINGS-PUTZER, *o. c.,* p. 16 s.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 262 s.
5. V. gr. *in foro conscientiae tantum ; in ipso actu confessionis ; nec ullo modo uti possit extra fines dioecesis,* cf. S. C. de Prop. Fid. 18 apr. 1757, ap. *Collectanea* [2], n. 404.
6. V. gr. *praemissis denunciationibus, imposita salutari poenitentia, remoto scandalo.*
7. KONINGS-PUTZER, p. 18.
8. « Ratio differentiae inter subreptionem et obreptionem quoad rescripta motu proprio est in eo quod subreptio nequeat intelligi dum Superior censetur non rogatus rescribere, optime contra intelligatur obreptio quia Superior potuit ex falsa causa decipi ». MAROTO, *o. c.,* p. 325, nota (1).
9. Pro re matrimoniali cf. DE SMET, *o. c.,* n. 844 ss.; circa sensum clausularum cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, ed. 7, p. XXIV-XXVII ; BARBOSA, Tractatus de clausulis usu frequentioribus in opere cui titulus *Tractatus Varii ;* FERRARIS, *Prompta bibliotheca canonica,* v° *clausula ;* KONINGS-PUTZER, *o. c.,* passim. ; *Dictionnaire de théologie catholique,* v° *clauses apostoliques.*

295. — II. *Vitia rescriptorum* sunt aut *extrinseca,* aut *intrinseca* [1].

A. *Extrinseca vitia* veniunt ex defectu *externae formae* vel *solemnitatis substantialis.* His defectibus extrinsecis vitiari possunt rescripta, si omittatur v. gr., nomen Pontificis rescribentis, aut si error in eo habeatur, aut rasura vel correctio reperiatur in loco substantiali et suspecto, ita ut grave suspicium de non-authentia ingeratur. Ad defectus extrinsecos accedunt *errores* ex inadvertentia amanuensis curialis exscribentis responsum [2].

Multum proderit ad solvenda dubia quae ex hoc capite defectus extrinseci oriri possent, praescriptum can. 47 : « Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo moratur, aut rei de qua agitur, dummodo *judicio Ordinarii,* nulla sit de ipsa persona aut re dubitatio » [3]. Ordinarii ergo judicio relinquitur determinare in casu particulari num ex vitiis extrinsecis dubia evaserit personae aut rei identitas, vel rescripti authentia.

296. — B. *Intrinseca vitia* sunt defectus substantiales commissi in ipsa parte expositiva aut dispositiva rescripti.

1° *Ex parte oratorum* ad causas intrinsecas nullitatis rescripti praeprimis referenda sunt : vitia *subreptionis* seu reticentia veri dicendi, et *obreptionis* seu expositio falsi quod motivum rescripti praestiterit [4].

Jam vero veteri jure ut hujus causae influxus in nullitatem rescripti cognosceretur, juxta caput *Super literis* [5], distinguendum erat an narrata falsitas aut occultata veritas sit per *malitiam* aut dolum seu ex mala fide, an vero per *ignorantiam* aut simplicitatem seu ex bona fide.

Hodierno jure, omissa illa distinctione inter malam aut bonam fidem oratorum, quae nata erat ansam praebere difficultatibus practicis multisque controversiis, videndum est tantum num subreptio aut obreptio substantialis sit necne, talis sc. ut, ea existente, deesse aut adesse censeatur *voluntas superioris rescribentis.* Nam valor rescriptorum ultimatim pendet ab intentione legislatoris concedentis, non a dispositione oratorum (can. 42).

---

1. *Collat. Brug.,* 1907, t. XIII, p. 94 ss.; *Rev. ecclés. de Liége,* 1919-1920, t. XI, p. 127.

2. Cf. *Causa Brugen.,* apud *Collat. Brug.,* 1905, t. X, p. 67 s.; FEYE, *De impediment. et dispens. matrim.,* p. 744 s.; KONINGS-PUTZER, *o. c.,* p. 102, nota.

3. Ex eo quod *Normae pecul. de ref. cur.,* c. III, n. 4, silerent de *vitiis extrinsecis* rescriptorum, jam innui videbatur mitior hodierna disciplina.

4. Voces *obreptio* et *subreptio* olim promiscue saepe ab auctoribus adhibebantur. Notandum est quod dispensationes a minoribus impedimentis conceduntur *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis,* ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis (can. 1054). Cf. *Coll. Tornacen.,* 1920, n° 523, p. 139. Cf. etiam quod supra n. 294 notatum est de vi clausulae *Motu proprio.*

5. C. 20, X, I, 3.

Inde tunc tantum ex capite subreptionis invalidum erit rescriptum si reticita fuerit circumstantia ex jure et stylo Curiae necessario exprimenda (can. 42 § 1), ut est nomen oratoris, qualitas personae redundans in substantiam [1]. Inde, si vitium obreptionis sit in causa motiva et principali eaque unica, corruit totum rescriptum ob quam obtentum fuit ; si vero in causa impulsiva tantum et secundaria, rescriptum sustinetur ; itemque si plures allegatae sunt causae finales, quarum una vera est et sufficiens, valet rescriptum. (can. 42, § 2) [2]. Inde, si vitium obreptionis vel subreptionis sit in una tantum parte rescripti, aliam non infirmat, si una simul plures gratiae separabiles per rescriptum concedantur (can. 42, § 3). Pendet vero a circumstantiis, a genere gratiarum, praesertim a stylo et praxi Curiali, an tale factum aut dictum causa sit finalis aut impulsiva [3].

Etsi, ex novi juris dispositione, validitas vel nullitas rescripti ex capite obreptionis vel subreptionis non pendeat a mala vel bona fide oratorum, tamen statuit can. 2361 quod si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit possit a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo saepe citato praescripto cann. 45, 1054.

297. — *Notandum.* Quando vitium invalidum reddit rescriptum, recurrendum est ad R. Pontificem vel ad novum rescriptum obtinendum, vel ad impetrandas litteras quae dicuntur *perinde valere,* quibus decernitur primum rescriptum valere perinde ac si initio omnia essent rite expressa [4].

298. — 2° Ex can. 46 praescripto, rescripta, etiam Motu proprio concessa, edita contra alicujus loci legitimam consuetudinem vel statutum particulare, vel contra jus alteri jam quaesitum non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur [5].

---

1. FEYE, *Tract. de rescriptis,* p. 23 ss.; KONINGS-PUTZER, *o. c.,* p. 102, n° 74. Pro re matrimoniali cf. Resp. S. Poenitentiariae, 6 febr. 1895, *Nouv. rev. théol.,* 1895, t. XXVII, p. 266 s. et tractatus de dispensationibus matrimonialibus. Attendendus est etiam can. 47.

2. Cf. Causa Ord. Min. Reformat., 15 martii 1892, ap. *Acta Sanctae Sedis,* t. XXVI, p. 320 ; Resp. S. Poenitentiariae, 28 apr. 1897 ap. *Collat. Brug.,* 1898, t. III, p. 56 s., coll. t. X, p. 593 ; KONINGS-PUTZER, *o. c.,* p. 59.

3. Nisi clare constet causam esse motivam, praesumitur causa tantum impulsiva, nam standum est pro valore actus, nisi contrarium probetur. Consulenda tamen est petitio dispensationis saltem ad cautelam, maxime si de lege iritante agitur. Cf. DE SMET, *o. c.,* n. 919 ; cf. etiam can. 84, § 2 ; *Collat. Brug.,* 1908, t. XIII, p. 98, nota (1).

4. KONINGS-PUTZER, o. c., p. 25, 95, 101, 180 ; DE BECKER, *De sponsalibus et matrimonio* [2], p. 358, Lovanii 1903 ; DE SMET, *o. c.,* n. 924 et p. 341 ; *Acta S. Sed.,* t. V, p. 27, nota.

5. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 185. Rescribens censetur ignorare tales consuetudines atque statuta.

299. — 3° Si contingat ut de una eademque re et circa easdem personas duo rescripta inter se *contraria* impetrentur, *peculiare,* in iis quae peculiariter exprimuntur praevalet *generali* (can. 48, § 1) ; quia, ut scribit Papinianus : *in toto jure generi per speciem derogatur ; et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est* [1].

Si sunt *aeque peculiaria* aut *generalia, prius tempore* praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit (can. 48 § 2). Ratio est, quia secundum rescriptum censetur subreptitium ob praesumptam in obtinendo concedentis circumventionem : unde hic valet reg. 54 juris in VI : *Qui prior est tempore, potior est jure.*

Demum, si *eodem die* fuerint concessa, nec liqueat uter prior impetraverit, utrumque irritum est, et, si res ferat, rursus ad eum qui rescripta dedit est recurrendum (can. 48. § 3).

300. — V. **De interpretatione rescriptorum.**

1° Rescripta intelligenda sunt secundum propriam *verborum* significationem et communem loquendi usum (can. 49) ; si vero in verbis quid deest, tunc ex *sensu* est supplendum, cum ex juris principio *non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire.*

Praeterea cum rescripta generatim condant jus particulare aut speciale, non debent ad casus alios praeter expressos extendi (can. 49).

2° Deinde *si verba sunt dubia,* a) *rescripta justitiae* sunt *stricte* interpretanda, et quantum fieri potest ad formam juris communis, quia gravamen parti collitiganti afferunt, et idcirco sunt odiosa. Quare ad personas in supplici libello non expressas, ad lites post rescriptum subortas, vel ad alias lites etiam prius existentes, et non indicatas, non extenduntur (can. 50).

b) Quod vero spectat *ad rescripta gratiae, strictam* accipiunt interpretationem rescripta quae jura aliis quaesita laedunt, vel, uti dispensatio, adversantur legi in favorem privatorum [2], vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem ; haec enim ambitionis ad minimum speciem videntur continere, ideo v. gr., si concessa sunt ad beneficium, non prosunt ad pensionem pro beneficio obtinendam. Caetera omnia rescripta late interpretanda sunt, imo plenissime, sive largissime, ut veteres canones loquuntur, contra concedentem, qui *nihil excipiendo, omne concessisse praesumitur* (can. 50).

301. — VI. **De exsecutione rescriptorum.**

---

1. SANTI-LEITNER, *o. c.*, p. 33 s.; vide supra, n. 276.
2. Cf. can. 85 : « Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsamet facultas dispensandi *ad certum casum* concessa ».

A. *De exsecutore rescripti.* 1° Rescripta prae se ferunt gratiam modo ab ipso Pontifice immediate, nullo interposito exsecutore, factam, et dicuntur *in forma gratiosa* [1] ; modo per exsecutorem, cui diriguntur, concedendam, et dicuntur *in forma commissoria.* In utroque casu, intelligitur gratia facta, at in secundo, interveniente exsecutore necessario.

Praeterea contingit libellum supplicem remitti ad Ordinarium aut alium ecclesiasticum virum cum facultate petitam gratiam, sive totam, sive certis circumscriptam limitibus pro suo arbitrio et conscientia [2] elargiendi (can. 54, § 2 ; 61). Quando ita alteri committit rescribens gratiam concedendam, intelligitur *gratia facienda.*

Rescripta *in forma gratiosa* vim consequuntur a momento quo datae sunt litterae, id est practice a die quo litterae in Curia expediuntur, seu a die adjecto in rescripto ; *cetera omnia* a tempore exsecutionis (can. 38) [3]. Ideo pro primis preces veritate nitantur oportet tempore quo rescriptum datum est ; pro ceteris omnibus, ipso tempore exsecutionis [4], ita, v. gr., pro rescriptis gratiae in forma commissoria datis, tempore quo exsecutor, verificatis precibus gratiam fulminat et concedit (can. 41).

2° Persona exsecutoris in rescripto vel individua nominatur vel in genere indicatur. Rescripta *justitiae,* quae jurisdictionem in foro externo requirunt illis tantummodo ad exsecutionem commendantur qui in dignitate ecclesiastica constitutae sunt, uti Episcopi, Vicarii generales, dignitates et personatus, canonici titulares Ecclesiae cathedralis. Rescripta *gratiae* generatim *Ordinario* loci aut oratorum committuntur. Ubi jurisdictio in foro externo non requiritur, rescripta cuivis personae ecclesiasticae idoneae committuntur [5].

3° Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita. Si tamen electa fuerit *industria* personae, exsecutori non licet

---

1. Raro a Sacris Congregationibus rescripta conceduntur in forma gratiosa et nisi gravi de causa, cf. *Collat. Brug.,* 1901, t. VI, p. 214 ss.; DE SMET, *o. c.,* n° 740, 861. Haec tunc tantum exhibenda sunt Ordinario impetrantis, ut ea suo recognitionis testimonio roboret, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agitur publicis aut comprobare quasdam conditiones oportet (can. 51). Cf. *Normae pecul.* de ref. Cur. cap. III, art. 1, n° 4.

2. Cf. de sensu hujus clausulae, *Il monit. eccles.,* 1912-1913, t. XXIV, p. 537 ; S. C. Conc., 6 dec. 1846, *ibid.* Cf. MAROTO, *o. c.,* n. 288.

3. Cf. REIFFENSTUEL, *o. c.,* in h. tit., n° 69 ; *Normae pecul.,* de ref Curia, *l. c.,* n. 3, 4.

4. Rescripta justitiae vim consequuntur a tempore *praesentationis* rescripti exsecutori factae. Facta enim hac praesentatione cognitoque juridico valore rescripti, delegatus judex incipit habere jurisdictionem in causam sibi commissam, cf. SANTI-LEITNER, *o. c.,* p. 32, ubi illa quaestio rite examinatur ; WERNZ, *o. c.,* p. 187.

5. LAURENTIUS, *o. c.,* p. 262 ; WERNZ, *o. c.,* p. 188 s. Pro re matrimoniali, cf. DE SMET, *o. c.,* n. 863. Cf. tamen MAROTO, *o. c.,* n. 288.

alteri committere nisi actus praeparatorios uti est verificatio precum (can. 57) [1]. Electa dicitur industria personae, si commissio exsecutori facta sit, non ratione officii aut dignitatis, sed ratione personalium qualitatum, v. gr., scientiae, prudentiae.

4° Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio, nisi fuerit electa industria personae (can. 58). Hinc capitulum et postea Vicarius capitularis exsequi potest rescripta apostolica quae praecedenti episcopo remissa fuerunt (can. 368, § 2 ; 435, § 2.)

302. — B. *De modo exsequendi rescriptum.*

1° « Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus datur exsecutor (seu in forma gratiosa) tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oportet » (can. 51) [2].

2° Praesentatio cujuscumque rescripti fieri necessario debet *intra tempus praefixum* a Pontifice ; quodsi nullum sit definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, etiam post mortem concedentis et licet res sit adhuc integra, modo absit fraus et dolus (can. 52). Quodsi quis rescripto *justitiae* intra tempus notabile, puta annum, postquam copiam judicis habuerit, ex malitia vel negligentia non sit usus [3], valet secundum rescriptum ab alia parte obtentum, licet de primo nullam faciens mentionem. Quodsi unicum obtentum fuit rescriptum justitiae, id tamdiu durat, quamdiu existit jus agendi vel excipiendi, super quo impetratum fuit [4].

3° « Rescripti exsecutor *invalide* munere suo fungitur, antequam litteras acceperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earumdem notitia (v. gr., via telegraphica) ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa » (can. 53) [5].

4° « Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti *denegari non potest,* nisi aut manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis aut obreptionis nullum esse, aut in rescripto

---

1. Cf. Resp. S. O., 1 jun. 1904, ap. *Collat. Brugen.*, 1904, t. IX, p. 675 s.; *Il Monit. ecclesiast.*, 1904-1905, t. XVI, p. 243 s.
2. Cf. S. C. de Prop. Fid., 1 sept. 1783, in *Collectanea*[2], n. 564 (de abstinentia et celebratione Missae in domibus privatis) ; S. C. Indulg., *Valentinen.* 5 febr. 1814, ad. 2 ; *Normae pecul.* de ref. Curia, c. III, 4 : Si forma gratiosa rescripta conceduntur « exhibenda tamen Ordinario sunt qui ea suo *recognitionis* rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cujus generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque hujusmodi ; aut si comprobare conditiones quasdam oporteat, uti loci decorem in sacellis publicis aliaque id genus ».
3. Cf. can. 48, § 2 ; 1701 ss.
4. Cf. REIFFENSTUEL, *o. c.*, h. t., n° 14 ; WERNZ, *o. c.*, p. 188.
5. Cf. DE SMET, *o. c.*, n° 879 ; MAROTO, *o. c.*, n. 288, p. 332, nota (1).

apponantur conditiones quas exsecutori constat non esse impletas, aut qui rescriptum impetravit adeo, judicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio ; quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem » (can. 54, § 1) [1].

« Quod si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare » (can. 54, § 2), habita ratione formae rescripti, rerum Sanctae Sedi expositarum et opportunitatis gratiae concedendae [2].

5° « Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones *essentiales* in litteris appositas impleverit ac *substantialem* procedendi formam servaverit, *irrita* est *exsecutio* » (can. 55). Quare ordo verborum, seu scripturae observandus, ita ut prius expediatur, quod primum fuit concessum. Similiter modus procedendi praescriptus, quamquam a jure communi differat, servandus, et clausulae adamussim adimplendae, quae fuerunt appositae [3].

Quando exsecutor formam mandati quoad quid substantiale non observat, irritatur exsecutio, non rescriptum quo gratia facta conceditur, nec exsecutoris potestas quae necessario ad gratiam elargiendam impertitur [4].

6° Etiam « exsecutori fas est, si *quoquo modo,* in rescriptorum exsecutione *erraverit,* iterum eadem exsecutioni mandare » (can. 59, § 1) [5], sive corrigendo suum errorem, sive id quod omiserit supplendo.

7° « Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, *scripto* facienda est » (can. 56). Attamen exsecutio *verbis facta est valida* [6].

8° Taxas definire pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum, sed nulla vi praefinitio ejusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit (cann. 59, § 2 ; 1507, § 1).

303. — VII. De cessatione rescriptorum.

1° *Revocatione rescribentis* sive expressa sive tacita cessare possunt

---

1. Cf. *Normae pecul.* de ref. Cur., *l. c.*, n. 4.
2. Cf. *Ibid.*, n° 3.
3. Cf. DE SMET, *o. c.*, n. 866 ss.
4. Aliter videtur resolvendum si agatur de rescripto continente potestatem alicui factam ad arbitrium concedendi gratiam ; quia qui hoc rescriptum exsecutioni mandaverit, sive bene sive male pronuntiaverit, per sententiae prolationem suam jurisdictionem explevit.
5. Cf. S. Poenitent., 15 jan. 1894, ad 2 de dispensat. matrimoniali fulminata ante receptionem litterarum Apostolicarum, ap. *Nouv. rev. théol.*, 1894, t. XXVI, p. 406 ss.; *causa Aretina,* 25 nov. 1911, ap. *Il Monitore eccles.*, 1912-1913, t. XXIV, p. 535 ss., (cum notis).
6. Cf. FERRERES, *o. c.*, p. 74 ; MAROTO, *o. c.*, n. 288.

rescripta. At « rescriptum, per peculiarem Superioris actum revocatum, *perdurat* usquedum revocatio ei, qui illud obtinuit, significatur. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis » (can. 60). Ita si lex feratur a R. Pontifice, inde revocantur rescripta contraria data ab Ordinariis.

2° « Per Apostolicae Sedis aut dioecesis vacationem *nullum* ejusdem Sedis Apostolicae aut Ordinarii rescriptum perimitur, nisi aliud ex additis clausulis [1] appareat, aut rescriptum contineat *potestatem* alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eadem expressis, et res adhuc integra sit (can. 61) [2]. Haec enim gratia plene est *facienda*, per quam nullum jus acquiritur ; quae vero conceditur per alia rescripta sive gratiae sive justitiae est *gratia facta*, de se perpetua qua exhibetur parti jus jam quaesitum aut saltem jus ad rem, ad gratiam sc. ab exsecutore exsequendam [3].

3° *Morte vero impetrantis* expirant rescripta ad beneficia et privilegia personalia ; sed non expirant rescripta justitiae et privilegia realia, quae transeunt ad haeredes [4].

4° Rescripta expirare etiam possunt *renunciatione* illius, in cujus favorem concessa fuerunt. Ratio asserti est, quia in legibus unicuique permissum est beneficio in sui tantum favorem introducto renunciare [5].

5° *Cessant praeterea lapsu temporis* pro quo rescriptum datum est vel impleta conditione resolutoria [6].

6° Denique expirant *morte exsecutoris* qui nominatim propter industriam aut fidem personalem constitutus est ; non vero si exsecutio censeatur commissa ratione dignitatis, v. gr. Ordinario loci aut oratorum [7].

Nota. « Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, debent servari insuper praescripta canonum de privilegiis et de dispensationibus » (can. 62).

---

1. Si gratiae concedantur cum clausula « ad beneplacitum nostrum », cessant morte concedentis, cum quo ejus beneplacitum desinit ; si vero additur clausula « ad beneplacitum S. Sedis », perseverant, donec vel concedens vel ejus successor non revocaverit. Cf. can. 73 ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 263, nota (5).
2. Cf. supra n° 301 et 302.
3. Cf. D'ANNIBALE, *Summ. theol. mor.*, t. I, n. 222 ; *Il Monit. eccles.*, 1912-1913, t. XXIV, p. 537 ; FEYE, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, n° 731, p. 754 ; DE SMET, *o. c.*, n. 916, nota (1) ; *Collat. Brugen.*, 1902, t. VII, p. 264 ss.
4. Cf. can. 72 de privilegiis.
5. Cf. cann. 74, 75 de privilegiis.
6. Cf. can. 77, coll. can. 207, § 2. De praescriptione rescriptorum, cf. can. 76 ; *Il Monitore eccles.*, 1912-1913, t. XXIV, p. 538 s.
7. WERNZ, *o. c.*, p. 189.

TITULUS V.

DE PRIVILEGIIS.

304. — I. **Notio.** Privilegium [1] solet definiri : *lex privata aliquod speciale et permanens beneficium concedens contra vel praeter jus commune,* vel breviter, *lex specialis favorabilis.*

Appellatur *lex,* tum quidem respectu *personae privilegiatae,* quia est *norma* objectiva, secundum quam quis ex concessione superioris obtinet facultatem ordinarie et stabiliter operandi contra vel praeter jus commune [2], tum *respectu communitatis* cui imponitur obligatio non impediendi privilegii usum. Et additur *privata,* quia privilegium seu specialis favor conceditur ob bonum privatum certae personae vel alicujus collegii ; cum e contra lex communis respiciat et feratur ob bonum totius communitatis.

Ex quo sequitur privilegium concedi non posse, nisi ab eo qui legem condere potest, illudque etiam acquiri consuetudine legitime praescripta, cum haec vim legis habeat. Ideo statuitur can. 63, § 1 : « Privilegia acquiri possunt non solum per directam concessionem competentis auctoritatis et per communicationem [3], sed etiam per legitimam consuetudinem aut praescriptionem » [4]. Unde contra vel praeter jus commune solus Pontifex in toto Orbe christiano privilegia concedere potest ; Episcopus vero, non nisi in materia suae potestati legislativae submissa [5].

305. — II. **Divisio.** Privilegium praecipue distinguitur : 1° *reale,* ad quod reducitur *locale,* et *personale ;* 2° *contra* et *praeter jus ;* 3° *favorabile* et *odiosum.*

1° Privilegium *reale* illud est quod directe et immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, (quo casu dicitur etiam *locale),* dignitati, muneri, statui, ratione cujus redundat in personam ad quam res illa pertinet. Hoc privilegium, cum rei inhaereat, transit ad haeredes et successores

1. Agitur de privilegiis in *tractatu de legibus.* Cf. can. 63 ss.; Decret. Greg. IX, l. V, tit. 33, *de privilegiis et excessibus privilegiatorum ;* Decr. Bonifac. VIII, l. V, tit. 7 ; Const. Clem. V, l. V, tit. 7 ; Extrav. Joa. XXII, tit. 11 ; Extrav. com. l. V, t. 7. — Commentatores in tit. cit. Decret. Greg. IX ; SUAREZ, *de legibus,* l. VIII ; WERNZ, *o. c.,* p. 190 ss.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 253 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 117 ; SANTI-LEITNER, *o. c.,* t. V, p. 172 ss.; VAN DEN BERGHE, *o. c.,* 152 ss. ; MAROTO, *o. c.,* n. 290 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 128. Cf. etiam *causa Jacien.* 14 jun. 1911, ap. *Act. Apost. Sed.,* 1911, t. III, p. 450.

2. WERNZ, *o. c.,* p. 191.

3. Qua privilegium uni concessum ex Superioris competentis ordinatione alteri communicatur. Vide cann. 64, 65. Cf. infra in tractatu *de regularibus,* tit. XIII, de obligationibus et privilegiis religiosorum, cap. 2.

4. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 197 s.

5. Cf. WERNZ, *o. et l. c.,* nota (25).

in eadem re ; sed qui illud habent, nequeunt eodem uti extra territorium concedentis, quia censetur esse locale. « Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum, privilegia vero localia, si locus intra quadraginta annos restituatur, reviviscunt » (can. 75). Privilegia, quae certo hominum generi vel communitati alicui conceduntur, ut minorennibus, academiis, etc. realia reputantur.

Privilegium *personale* vero est quod immediate conceditur personae, et ratione ipsius personae, v. g. ob scientiam, sanctitatem : cujus signum est si persona illa nomine suo proprio exprimatur. Hujusmodi privilegium extinguitur cum eadem persona, et qui illud habent, possunt eodem uti in omni loco, quia personam afficit eamque sequitur quocumque pergat (c. 74).

2° Privilegium dicitur *contra jus,* quod derogat juri communi, vel quod concedit facultatem ad aliquid agendum vel omittendum quod lege prohibetur aut respective praecipitur, uti est exemptio a recitandis horis canonicis. Illud vero dicitur *praeter jus,* quo conceditur facultas aliqua illis quibus de jure non competit sed absque derogatione alicui legi ; talis est facultas habitualis dispensandi, absolvendi a reservatis. Hoc privilegium concedi potest etiam non subditis ; quia non est actus jurisdictionis, sed actus merae facultatis et quasi donatio.

3° Privilegium dicitur *favorabile* quod privilegiato prodest, secluso aliorum gravamine, quale est privilegium vescendi carnibus tempore quadragesimae. *Odiosum* vero, quod alios gravat, dum uni favet ; talis est exemptio a solvendis tributis.

306. — *Notandum.* Can. 66 haec disponit :

« Facultates *habituales* [1] quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, accensentur privilegiis *praeter jus* (quae *latam* accipere possunt interpretationem). Nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales Episcopis aliisque Ordinariis [2] ab Apostolica Sede concessae, non evanescunt resoluto jure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exsequi coeperit, sed transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt ; itemque concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali. Concessa facultas secum fert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt *necessariae ;* quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae. »

---

1. Cf. quoad antiquum jus, WERNZ, *o. c.*, p. 207, n. 163. Vide infra n. 471.
2. Cf. can. 198, § 1.

307. — III. **Interpretatio.**

1° Privilegia solus collator vel alii quibus a collatore foret commissum, *authentice* possunt interpretari. *Doctrinaliter* vero potest ea interpretari quicumque vir doctus juxta principia quae ipse legislator determinavit.

2° « Privilegium *ex ipsius tenore* aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere » (can. 67).

Juxta ea quae supra de universa legum interpretatione statuta sunt, primo loco attendenda sunt *verba* forte jam ex se clara ; deinde *intentio* seu mens collatoris quae eruenda est ex supplicatione, materia, ratione atque connexione ipsius privilegii [1].

3° In *dubio,* privilegia quae jura aliis quaesita laedunt, vel adversantur juri communi in commodum privatorum, vel impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, *strictam* interpretationem recipiunt ; caetera omnia *latam* (can. 68, 50).

4° « Ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti. » (can. 68), juxta regulam 61 in VI : *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Quemadmodum lata interpretatio non potest esse ita larga, ut fiat injusta et ultra propriam verborum interpretationem extendatur ad personas et res in privilegio minime comprehensas, ita stricta interpretatio inter eos limites est coarctanda, ut privilegium non sit plane inutile [2].

TITULUS VI.

DE DISPENSATIONIBUS.

Vide cann. 80-86 ; cf. tractatum *de legibus.*

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 201 s.
2. *Ibidem,* p. 202 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 156.

LIBER SECUNDUS.

DE PERSONIS.

CAPUT PRAEVIUM.

NOTIONES GENERALES.

Fontes. Cann. 87-117.
Auctores. BLAT, *Commentar. textus cod. jur. can.* Lib. II, *de personis*, p. 1 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 389 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 157 ss.

Divisio materiae. Antequam agit liber secundus de variis juribus et obligationibus personarum quibus regitur aut constituitur societas ecclesiastica, tradit quasdam normas generales utilitate refertas et decursu tractationis crebro applicandas primo quidem de notione et divisione *personarum physicarum,* deinde *de personis moralibus,* denique *de quibusdam utrique speciei communibus*, notatim de praecedentia.

ARTICULUS I. — De personis physicis.

§ 1. NOTIO PERSONAE.

« Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum juribus et officiis, nisi, ad jura quod attinet, obstet obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura » (can. 87).

308. — 1° Jure civili romano, *persona* est homo in libertate constitutus, sive est homo liber distinctus a servo qui nec libertatem, nec personam habet. Jure canonico antiquo, personarum nomine quandoque intelligebantur duntaxat majores inter clericos ; ex quo ortus est *personatus,* qui in sola personae ecclesiasticae praeeminentia, absque officio et jurisdictione, consistit.

Ast usu factum est, ut personae nomine jam intelligatur, quilibet homo, sine distinctione inter servum et liberum [1], qui subjectum juris et obligationis esse potest.

309. — 2° Personae dividi possunt in *fideles* et *infideles.*

1. V. Ephes., VI, 8 ; Gal., III, 27 ss.

Fideles vocantur illi, quos lavacro Baptismatis CHRISTUS Dominus membra Ecclesiae suae effecit [1]. Dicuntur etiam *christiani, sancti, illuminati, perfecti, filii* et *cari Dei.*

Infideles vero sunt, qui sine Baptismate extra Ecclesiam juxta leges gentium vivunt, quique propterea ad ipsam nullatenus pertinent, ut sunt *Pagani,* qui idola colunt et adorant ; *Saraceni* seu *Mahumetani,* qui Mahometicae sectae dogmata in Alcorano contenta sequuntur ; *Hebraei* seu *Judaei,* qui legem mosaicam absque fide in CHRISTUM sectantur.

Erga infideles habet Ecclesia ministerium praedicationis, quo pro suo jure fungitur ; non vero potestatem legiferam, nec coercitivam : « Quum Ecclesia, ait Tridentinum [2], in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. »

310. — 3° Baptismate fit quis in Ecclesia persona cum omnibus christianorum juribus et officiis. At, quod valde notandum est, dum sine ulla limitatione can. 87 *omnes* valide baptizatos *officiis* subditorum Ecclesiae obstringit, ad *jura* quod attinet duplicem restrictionem apponit sc. : *nisi obstet obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura ;* aliis verbis, baptizati qui ab unitate fidei per haeresim vel a communione ecclesiastica per schisma notorie recesserunt [3], aut qui censura ab Ecclesia lata, h. e., excommunicatione, suspensione aut interdicto, ab usu omnium aut quorumdam bonorum Ecclesiae communium privantur, aut totaliter aut partialiter a juribus ecclesiasticis excidunt.

Inde sequitur heterodoxos, haereticos nempe et schismaticos, esse vere subjectos ecclesiasticae jurisdictionis, cum retineant characterem baptismalem, qui est fundamentum hujus subjectionis, eosque per se minime immunes esse a praeceptis ecclesiasticis, nisi speciali Ecclesiae ordinatione a lege quadam canonica observanda exempti sint [4]. At cum sine dubio multi haeretici et schismatici propter ignorantiam sint *in bona fide,* ideo per transgressionem legum ecclesiasticarum saltem *non peccant* et a delicto *excusantur.* Ecclesia caeteroquin summo moderamine de facto utitur sua in eos potestate.

---

1. Cf. Conc. Trid., Sess. VII, can. 8 ; WERNZ, *o. c.,* t. I, p. 121, nota (78) ; BILLOT, *De Ecclesia Christi,* t. I, p. 283 ss., Romae, 1898.
2. Sess. XIV, c. 2, de poen.
3. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 122, nota (78).
4. Cf. v. gr., can. 1099 de forma Matrimonii ; Decretum S. O., 31 martii 1911, ap. *AAS.,* 1911, t. III, p. 163 ; *Collat. Brugen.,* 1911, t. XVI, p. 432 ; WERNZ, *o. c.,* p. 123, nota (78) et p. 124, nota (80) ; VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 96 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 50.

§ 2. VARIAE DISTINCTIONES PERSONARUM.

311. — A. **Distinctio personarum ratione aetatis.** 1° *Denominationes.* « Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, *major* est ; infra hanc aetatem *minor*. Minor, si masculus, censetur *pubes* a decimo-quarto, si femina, a duodecimo anno completo. *Impubes,* ante plenum septennium, dicitur *infans* seu puer vel parvulus et censetur non sui compos ; expleto autem septennio, usum rationis habere *praesumitur*. Infanti assimilantur quotquot rationis sunt habitu destituti. » (can. 88) [1].

Jus aptatur ad ea quae communiter fiunt, ideo minor masculus *censetur* pubes seu capax generandi a decimo-quarto anno completo, quia malitia potest supplere aetatem ; sicuti puer ante septennium *censetur* non sui compos, quia ante hanc aetatem usum rationis assequi potest, ita ut legibus ecclesiasticis teneatur, si jure hoc expresse caveatur [2].

2° *Effectus juridici.* « Persona *major* plenum habet suorum jurium exercitium; *minor* in exercitio suorum jurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet, iis exceptis in quibus jus minores a patria potestate exemptos habet » (can. 89). Ex. gr., pro minoribus in judicio agere et respondere tenentur parentes aut tutores eorum ; at in causis spiritualibus si notatim aetatem quatuordecim annorum expleverint agere et respondere valent per seipsos (can. 1648, § 1 et 3) [3].

312. — B. **Distinctio personarum ratione loci.** Ad statum juridicum personarum determinandum maximi momenti est determinare earum locum originis, commorationis habitualis, domicilii et quasi-domicilii. Ita in materia ordinationis Episcopus proprius est tantum Episcopus dioecesis in qua promovendus habet domicilium una cum origine, aut servatis servandis simplex domicilium sine origine (can. 856) ; ita etiam ratione commorationis in loco sortitur quisque non exemptus suum Ordinarium et parochum, legibus his vel illis tenetur, etc.

313. — 1° **Locus originis.** Origo est ex nativitate. Inde statuitur : « Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat *pater* vel, si filius sit illegitimus aut postumus, *mater* » (can. 90 § 1). « Si agatur de filio *vagorum,* locus originis est ipsemet nativitatis locus ; si *de exposito,* est locus in quo inventus est » (can. 90 § 2). Si a

1. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 5 s., Romae, 1919 ; MAROTO, *o. c.*, n° 426 ss.
2. Cf. cann. 12 ; 859, § 1 ; 906. Cf. Resp. Commissionis ad interpret. can. codicis, 3 jan. 1918, ap. *Nouv. Rev. théol.*, 1914-1919, t. XLVI, p. 550.
3. Cf. Indicem codicis alphabetico-analyticum, v° *minores*.

parentibus vel a matre expositus postea agnoscatur, filius ex parentum domicilio locum originis sortietur [1]. Quod si pater sit vagus, mater autem legitime domicilium habeat, tunc originem filii ex domicilio matris definiri non improbabiliter censent Vermeersch-Creusen [2].

314. — 2° **Denominationes personarum.** « Persona dicitur: *incola,* in loco ubi domicilium, *advena,* in loco ubi quasi-domicilium habet ; *peregrinus,* si versetur extra domicilium *et* quasi-domicilium quod (alterutrum) adhuc retinet ; *vagus* [3], si *nullibi* (nec in parochia, nec in dioecesi) domicilium habeat (facti aut juris) vel quasi-domicilium » (can. 91) [4]. Quae denominationes ut clarius pateant indigent explicatione circa modum quo domicilium et quasi-domicilium acquiruntur et amittuntur et circa effectus juridicos qui inde producuntur.

315. — 3° **Acquisitio et amissio domicilii et quasi-domicilii.** Duplex hodie agnoscitur in jure via qua personae sortiuntur suum parochum et Ordinarium, nempe *domicilium* et *quasi-domicilium.* Domicilium potest esse *voluntarium,* quod ab his qui sui juris sunt acquiritur propria voluntate, et *necessarium* seu *legale,* quod ipsa lege alicui non sui juris, etiam invito constituitur [5]. Utrumque potest esse *paroeciale* aut *dioecesanum.*

316. — a) **Domicilium voluntarium** « acquiritur *commoratione* in aliqua paroecia aut quasi-paroecia (can. 216, § 3), aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica ; quae commoratio juncta sit *cum animo ibi perpetuo manendi,* si nihil inde avocet, vel vel *sit protracta ad decennium completum* » (can. 92, § 1).

Domicilium quod voluntate propria habetur, duobus modis ergo acquiritur : *primo* per factum commorationis seu actualis habitationis in loco, simul conjunctum cum animo seu voluntate ibi perpetuo manendi ; *secundo* per habitationem protractam per decennium completum.

Ad primum modum quod attinet : *actualis habitatio* intelligitur ad

---

1. Cf. Blat, *o. c.,* p. 9 ; Vermeersch-Creusen, *o. c.,* n. 164.
2. *O. c.,* n. 164.
3. De matrimonio vagorum quoad proclamationem bannorum et formam matrimonii, cf. cann. 1023, § 1 ; 1032 ; 1097, § 2 et 3. V. Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiae moralis,* ed. 8, t. II, n° 472, Bruxellis, 1920 ; De Smet [3], *o. c.,* t. I, n° 48.
4. Quoad sensum harum vocum, in antiquo jure, cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.,* n° 441.
5. Cf. De Smet, *o. c.,* n° 45, ubi domicilium voluntarium vocat etiam domicilium *facti,* domicilium vero legale, domicilium *juris ;* Blat, *o. c.,* n. 10 ss.; Ferreres, *Instituciones canónicas,* n. 161 ss.; ejusd. auctoris, *Compendium theologiae moralis,* n° 163 ; *L'ami du clergé,* 1919, t. XXXVI, p. 1009 s.; Vermeersch, *Periodica de relig.,* t. IX, p. (7) s., de domicilio religiosorum ; Maroto, *o. c.,* n. 410 ss.; Vermeersch-Creusen, *o. c.,* n. 166 ss. Quoad jus antiquum, cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.,* n° 442, cum auctoribus et fontibus ibidem citatis.

modum familiarum loci, sive in domo propria, sive in conducta, sive in diversorio, sive hospitii causa [1] ; *animus* ibi perpetuo manendi intelligitur cum conditione : *nisi quid postea avocet :* sufficit namque perpetuitas nunc proposita, quamvis deinde propositum mutari et habitatio alio transferri queat [2]. Nec illud *perpetuo* includit voluntatem manendi *sine ulla intermissione,* ut arguitur ex can. 95, cum inde non sufficiat recessus a loco domicilii ut hoc amittatur [3].

Factum quidem facile verificatur ; sed *animi probatio* interdum absque difficultate fieri non potest. Hujus probationis elementa nobis praebent sequentes regulae, quas ex Rigantii opere *Comment. in regulas, constit. et ordinat. Cancellariae apost.* [4] depromptas hic subjicimus.

Si quis sui juris *expresse* declaret animum perpetuo manendi in loco ad quem se transtulit, ex tali declaratione cum secuto facto transmigrationis ad locum, illico contrahitur domicilium absque ullo temporis lapsu, etiamsi majorem partem bonorum in eum locum non transferat, ac licet fungatur officio temporali ut praetoris, scholaris, etc. Quia per expressam animi declarationem tollitur praesumptio illa recedendi, quae oriri videtur ex causa studiorum, officii, etc.

Quando non *verbis,* sed *factis* quis declaravit se velle in loco, ad quem se transtulit, domicilium contrahere ; v. g. quia eo familiam traduxit, majorem fortunae partem transtulit, bona acquisivit, sepulturam familiae construxit, etc. ; ex his similibusque circumstantiis, nisi animus perpetuo manendi aliter excludatur, domicilium contrahitur.

Ad secundum modum quod attinet : antiquo jure, si quis ad habitandum in certum locum se contulerat, et nunquam, aut *verbis* aut *factis,* declaraverat se velle aut nolle alicubi perpetuo manere, tunc in dubio ex habitatione decennali *praesumebatur, praesumptione juris* tantum animus perpetuo manendi [5]. Hodierno jure, illa praesumptio facta est *praesumptio juris et de jure* et domicilium contrahitur per solam commorationem protractam ad decennium completum [6], quidquid sit de intentione remanendi dummodo constet de commoratione materiali.

---

1. Ita BLAT, *o. et l. c.* Domicilium constituitur *habitatione* et non eo tantum quod aliquis in loco transferat res suas (ses affaires). Cf. Resp. S. O., 12 maii 1875, ap. *Le canoniste contemporain,* 1910, t. XXXIII, p. 371 ss.

2. Cf. *Nouv. rev. théol.* 1899, t. XXXI, p. 638 ss.; *Coll. Brug.,* 1900, t. V, p. 306.

3. BLAT, *o. c.,* p. 12 ; DE SMET, *o. c.,* p. 35, nota (1).

4. In regulam XXIV Cancellariae § 3, n. 32 ss. Edit. Roman. 1745.

5. Cf. *Le canoniste contemporain,* 1899, t. XXII, p. 209 ss.; *Analecta eccles.,* 1899, t. VII, p. 66 ; WERNZ, *o. c.,* p. 260, nota (290).

6. Illud decennium computandum est a die incoeptae commorationis juxta can. 34, § 1, § 3. Illud decennium intelligendum est *moraliter continuum,* quod non interrumpitur nec suspenditur si quis, peregrinationis, rusticationis aut ne-

Notandum est. α) Per habitationem cum animo perpetuo manendi domicilium acquiritur *a prima die* habitationis ; per commorationem ad decennium protractam acquiritur a *completo* termino commorationis.

β) Ille qui in duabus parochiis *aequaliter,* aut *fere aequaliter* degit, ac in utraque habet larem seu sedem habitationis, v. g. hieme in civitate et aestate ruri, ex juris dispositione *duplex habet domicilium,* et consequenter duos parochos proprios ; uterque enim gaudet jurisdictione ordinaria in ipsum. Valide igitur et licite actus parochiani exercet coram alterutro ; ast conveniens est, ut eos exerceat coram parocho loci, ubi degit tempore quo exercentur [1].

Ad *retinendum* domicilium rite acquisitum sufficiens est ut unum ex duobus elementis perseveret, sive factum habitationis, sive intentio perseverans domicilium retinendi. Quare ad *amittendum* domicilium oportet ut utrumque elementum esse desinat (can. 95). Item in foro externo ex adjunctis dijudicandum est utrum sufficienter constet de mutata intentione perpetuo in parochia manendi.

317. — b) **Domicilium necessarium seu legale** [2] est illud quod dispositione legis necessario acquiritur ab iis qui non sunt sui juris ratione vinculi cum ea persona cujus potestati subjiciuntur. Inde, *uxor,* a viro legitime non separata [3], necessario retinet domicilium viri sui ; *amens,* domicilium curatoris ; *minor,* domicilium illius cujus potestati subjicitur (can. 93, § 1) [4]. Hoc domicilium acquiritur etiam si desit intentio com-

---

gotii causa, per aliquot tempus absens est, ad modum aliorum incolarum loci. Interrumpitur quando certo constat de commoratione in alio loco cum animo ibi perpetuo manendi, aut si quis per notabile tempus discedat, nullo retento vinculo ad priorem habitationis locum. An, uti censet BLAT, *o. c.,* p. 12 supplendum est interruptionis tempus, si per tempus notabile, peregrinationis v. gr. instituendae causa, discedat at cum animo revertendi, arguendo nempe ex analogia ad can. 556 de anno novitiatus *completo* et *continuo ?* Videtur potius negandum, cum de legibus latis *in similibus* non agatur et cum praeterea commoratio decennalis sit oportet *completa,* non vero *continua.* Jam vero continuum est quod nullam patitur interruptionem, ex can. 35. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. et l. c.*

1. Cf. OJETTI, *Synopis,* v° *domicilium,* n° 1877 ; DE SMET, *o. c.,* p. 34, nota (4). Cf. etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 166.

2. Cf. WERNZ, *o. et l. c. ;* ALBERTI, *o. c.,* p. 9 ; *Collat. Brugen.,* 1903, t. VIII, p. 348 ; 1907, t. XII, p. 157 s.; DE SMET, *o. c.,* n° 46, cum auctoribus ibi allatis, p. 35, nota 2 ; *Il Monitore eccles.,* 1902-1903, t. XIV, p. 98 ; *Causa Ravennaten.,* 15 maii et 29 dec. 1911, ap. *AAS.,* t. III, p. 483 ss. et t. IV, p. 327 s. ; *Collat. Brugen.,* 1911, t. XVI, p. 704 ss ; *Causa Parisien.,* 27 jan. 1912, ap. *AAS.,* t. IV, p. 277 ss. ; *Causa Parisien.,* 22 apr. 1913, *ibid.,* t. V, p. 439 ; *Causa Parisien.,* 4 mart. 1916, *ibid.,* t. VIII, p. 367 ss.

3.Cf. de legitima separatione, tractatus de Matrimonio.

4. Ad cognoscendum quinam munere legali tutoris, curatoris fungantur, consulendae sunt dispositiones legum civilium cujusque nationis. Videtur extendi posse praescriptum can. 93 illis incarceratis qui durante poena legaliter interdicuntur (code pénal belge, art. 20 ss.). Amenti qui curatorem non habet applicandae sunt regulae de domicilio et quasi-domicilio voluntario, servatis servandis quoad intentionem.

morandi in loco a lege assignato, et etiam antequam actualis habitatio verificatur. Supplet lex his elementis deficientibus. *Retinetur* necessario hoc domicilium quamdiu servatur status, aut conditio, cui lex adnexuit domicilium necessarium [1] ; *cessat* vero *qua necessarium* [2], amissis legitime illo statu vel illa conditione.

« Minor infantia egressus (non vero infans) potest quasi-domicilium proprium (non domicilium) obtinere ; item uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium » (can. 93 § 2) [3].

318. — c) **Quasi domicilium** [4]. Ad effectus juridicos plenissime sufficit domicilium ; sed non omnino requiritur : fieri enim quis potest parochianus aut dioecesanus per *quasi-domicilium,* quod domicilio aequiparatur [5].

Quasi-domicilium [6] voluntarium [7] acquiritur *commoratione* in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica ; quae commoratio vel conjuncta sit cum *animo ibi manendi saltem per majorem anni partem* [8], si nihil inde avocet, vel *sit reapse protracta ad majorem anni partem* (can. 92, § 2).

---

1. Ita minorennes *nec propria, nec accedente parentum voluntate* possunt amittere hoc domicilium quamdiu minores sunt, quia voluntate privata nequit mutari jus publicum. Cf. WERNZ, *o. et l. c.; Il Monitore eccles., l. c.*

2. Ita domicilium *necessarium,* cessante titulo legis, potest transire in *voluntarium,* ut pro filio, qui adepta majoritate non valedixit domicilio paterno ; ut pro uxore quae habet domicilium mariti, illudque post mortem ipsius retinet, donec ei renuntiet. Cf. ALBERTI, *o. c.,* p. 9 ; causas citatas, p. 213, nota 2.

3. Quid de *amente* et *infante ?* Verisimiliter silentium legis non impedit quominus illis applicetur regula generalis de acquisitione quasi-domicilii per commorationem ultra sex menses protractam. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Summa jur. can.,* p. 15.

4. Cf. auctores supracitatos : cf. de origine vocis, *Theol.-Prakt. Quart.-Schrift,* 1908, t. LXI, p. 209 s. ; SCHAEPMAN. *Opmerkingen over het begrip van quasi-domicile volgens het kerkelijk recht,* in *Nederlandsche Katholieke Stemmen,* 1904, t. IV, p. 99 ss.

5. Pro licita assistentia matrimonio decretum *Ne temere* substituerat quasi-domicilio mensilem commorationem. Cf. DE SMET, *o. c.,* ed. 2, p. 94, et *ibid.,* citatos nota (4). Cf. etiam CASTILLON, *Le quasi-domicile dans le droit matrimonial,* in *Nouv. rev. théol.,* 1907, t. XXIX, p. 513 ss. At novus codex, can. 1097, § 2°, retenta menstrua commoratione, restituit jura quasi-domicilii. Cf. DE SMET, *o. c.,* ed. 3, n° 125 ss. Cf. de interruptione hujus mensilis commorationis, Causa S. C. de disciplina sacrament., 28 jan. 1916, ap. *AAS.,* 1916, t. VIII, p. 64 ss.; DE SMET, *o. et l. c.,* n. 127, nota (3).

6. Cf. circa controversias olim vigentes FEYE, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus,* n° 210 ss. Cf. etiam *Causa Wratislavien.,* 20 maii 1905 cum voto eruditissimi consultoris PII A LANGONIO, ap. *Anal. eccles.,* 1905, t. XIII, p. 192 ss., 339 ss., 380 ss., 451 ss., 486 ss.; col. *Collat. Brugen.,* 1905, t. X, p. 613 ss.

7. Olim ab auctoribus admittebatur etiam quasi-domicilium legale. Cf. ALBERTI, *o. c.,* p. 11 s. De hujusmodi domicilio ex intento silet codex. Cf. tamen FERRERES, *Instit. canón.,* n° 161 ; MAROTO, *o. c.,* n. 478. Vide etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* n. 167.

8. Cf. Instructio S. Off. 7 jun. 1867, ap. FEYE, *o. c.,* n° 227 ; WERNZ, *o. c.,* p. 261 ; *Causa Parisien.,* 14 dec. 1889 ap. *ASS.,* t. XXII, p. 477 ; *Causa Pa-*

Quod attinet *ad priorem modum* acquirendi quasi-domicilium duo simul et sola (non alia, v. gr. translatio bonorum) requiruntur : *factum* habitationis et *animus*.

Factum illud actualis commorationis facile verificatur ; *intentio* vero permanendi per majorem anni partem pro foro externo deduci vel praesumi potest :

Ex expressa partis declaratione ;

Ex adjunctis, ex motivis commorationis, moram integri saltem semestris secum ferentibus, qualia esse solent quaedam officia vel negotia gerenda, v. gr. commoratio ratione studiorum vel muneris professoris, alteriusve officii vel famulatus [1]. Praecipua aliqua circumstantia erit *unius saltem mensis* commoratio in loco, ex qua, *praesumptione juris* tantum hanc intentionem exstitisse censendum est [2].

Ad *secundum modum* quod attinet olim ex commoratione *per sex menses praesumebatur, praesumptione juris tantum,* animus permanendi per majorem anni partem [3]. Hodierno jure contrahitur quasi domicilium per *solam* commorationem protractam ad majorem anni partem, quidquid sit de intentione remanendi, sola commoratione materiali verificata [4].

Ad *amittendum* quasi-domicilium oportet ut utrumque elementum esse desinat (can. 95).

Hinc praetores, judices, medici, facultatis alicujus professores vel discipuli, qui absque vero domicilio locum inhabitant ; juvenes qui in seminario aut collegio, puellae quae in monasterio, etc., educationis causa degunt, ancillae et famuli, qui in dominorum suorum domo commorantur et non sunt conducti ad tempus brevius semestri, nec intendunt servitio valedicere ante elapsum semestre ; milites qui in praesidiis, sive

---

risien., 26 apr. 1902, *ibid.*, t. XXXIV, p. 660 ; *Causa cit. Wratislav.* Circa varias opiniones de temporis determinatione cf. votum PII A LANGONIO, *l. c.*, p. 382.

1. Si ageretur de commoratione *rusticandi causa,* praesumptio staret potius contra acquisitionem quasi-domicilii. Si sermo est de illis commorationibus quae nullum determinatum tempus sed tantum ex ordinarie contingentibus aliquam durationem prae se ferunt, in singulis casibus indicia sunt ponderanda. Cf. votum PII A LANGONIO, *l. c.*, p. 381 ; *Nederlandsche kathol. Stemmen, l. c.*, p. 300.

2. Cf. PIUS A LANGONIO, *l. c.*, p. 384.

3. Cf. de controversiis olim habitis, Feye, *o. c.*, n° 210, 213 ss., 227 s.; WERNZ, *o. c.*, p. 185, nota (29) ; *Analecta eccles.*, 1899, t. VII, p. 6 ss., 66 ss.; 1905, t. XIII, p. 193, 383 ; *Il monit. eccles.*, 1898-1899, t. X, p. 221 ; 1905-1906, t. XVII, p. 291 ; *Coll. Brugen.*, t. IV, p. 182 s.; t. X, p. 613 ss.

4. Debet esse commoratio *moraliter continua,* ad modum advenarum illius loci. Currit habitatio dummodo definitive non interrumpatur. Si tantummodo ad aliquot dies aut hebdomadas suspenditur commoratio (uti per ferias pro scholaribus) non est supplendum. Aliter BLAT, *o. c.*, p. 12.

stationibus, aut in castris sunt ; aegrotantes qui valetudinis causa extra proprium domicilium meliorem sedem peritioremque medicum quaerunt, inque aliena parochia hac de causa sedem figunt, etc.; hi omnes, inquam, *quasi-domicilium* habent in parochia in qua hic et nunc commorantur, sive constet de intentione per majorem anni partem ibidem manendi, sive reapse compleatur terminus commorationis per majorem anni partem.

Qui vero sic commorantur in loco propter educationem, temporale officium aliamve causam, absque animo ibi perpetuo manendi, simul tamen retinent verum domicilium quod alibi habent.

Notandum est α) Per habitationem in loco cum animo ibidem remanendi per majorem anni partem, quasi-domicilium acquiritur a prima die habitationis [1] ; per commorationem ad majorem anni partem, a *completo* termino hujus commorationis.

β) Ex eo quod requiratur animus permanendi per *majorem* anni partem, aut solum factum commorationis *ultra* sex menses, deducitur neminem posse *simul* duo quasi-domicilia habere [2].

319. — 3° Domicilium et quasi-domicilium paroeciale et dioecesanum.

« Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia dicitur *paroeciale ;* in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel in quasi-paroecia, *dioecesanum* [1] » (can. 92, § 3). Ergo domicilium et quasi-domicilium dicitur dioecesanum, solummodo quando deest domicilium vel quasi-domicilium paroeciale. Unde etiam non erit simpliciter vagus, nisi qui nequidem domicilium aut quasi-domicilium dioecesanum habet.

320. — 4° Effectus domicilii et quasi-domicilii.

a) « Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur » (can. 94, § 1) [3].

b) Sed cum *vagis* domicilium et quasi-domicilium, paroeciale et dioecesanum desit, « proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagi actu commorantur » (can. 94, § 2).

---

1. Quoad supputationem temporis, cf. can. 34, § 1, § 3.

2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 185, nota (129) ; ALBERTI, *o. c.*, p. 8 ; Cf. tamen *Causa Wladislavien.*, 7 dec. 1912, ap. *Can. contempor.*, 1920, t. XLIII, p. 46 ss., coll. 1899, t. XXII, p. 273 ; MAROTO, *o. c.*, n. 413, quem refutant VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome, o. et l. c.* Qui tamen admittunt quasi-domicilium acquisitum solo facto commorationis ultra sex menses posse consistere cum quasi-domicilio retento commoratione in loco cum animo ibidem per majorem anni partem remanendi. At factum completum habitandi *ultra sex menses* in loco excludere videtur necessario intentionem alibi remanendi etiam *ultra sex menses.*

3. Cf. quoad subjectionem erga leges ecclesiasticas, cann. 13 et 14 ; quod attinet ad poenas et judicia, cf. infra librum quartum et quintum. Vide *Indicem alphabetico-analyticum,* v° *vagi.*

Ideo vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur (can. 15, § 2) [1].

c) « Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium *parochus proprius* est parochus loci in quo actu commorantur » (can. 94, § 2).

Nota. Qui inhabitat *domum* quae sita est *in duabus parochiis* [2], pertinet ad eam in qua *domus* [3] *ingressum* habet ; quem si habeat in utraque, ad eam spectat, in qua est porta *principalis* sive anterior facies domus, nisi Episcopus, ex. gr. in parochiae dismembratione seu divisione, domum adscripserit parochiae in qua non habet ingressum principalem [4]. Si porta vel porta principalis mutetur, distinguendum est inter casum quo domus ipsa reconstruatur, et eum quo solius portae sive unicae sive principalis fiat mutatio ; in posteriori casu manet domus sub priori parochia. Quod si duae sint portae aeque principales, erit illius quae est in possessione sacramenta administrandi [5].

321. — C. Distinctio personarum ratione propinquitatis personarum.

Personae consanguinitate vel affinitate propinquae fiunt [6].

1° « *Consanguinitas* computatur per lineas et gradus. In linea *recta* tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto ; (v. gr. inter avum et nepotem adest secundus gradus consanguinitatis). In linea *obliqua,* si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae ; si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore » (can. 96) ; v. g. filii fratris et sororis sunt consanguinei in secundo gradu ; frater et filia sororis sunt consanguinei in secundo gradu aut clarius in secundo gradu mixto cum primo.

2° « *Affinitas* oritur ex *matrimonio* valido sive *rato* tantum sive *rato et consummato* (proin non jam copula, sive licita sive illicita, radix est affinitatis). Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et consanguineos viri. Ita computatur ut qui sunt con-

1. Cf. *Indicem alphab.-anal. codicis* v° *vagi.*
2. Eodem modo esset casus resolvendus quo quis inhabitaret domum quae sita est in duabus dioecesibus.
3. Referenda est quaestio ad ingressum *domus* non ad aditum *proprietatis.*
4. S. C. Episc. et Reg. 14 martii 1890, ap. *ASS.*, t. XXII, p. 340 s.
5. Cf. FEYE, *o. c.*, n° 229 ; *Coll. Brugen.*, t. V, p. 688 ss., ubi variae causae citantur ; WERNZ, *o. c.*, t. II, p. II, p. 677 ; *Causa Derthonen.*, 28 jul. 1906, ap. *An. Eccles.*, 1906, t. XIV, p. 333 ; *Causa Januen.*, 29 febr. 1908, ap. *le Canoniste contemp.*, 1908, p. 319 s.; *Caus. Rotal. Bononien.*, 21 jul. 1912, ap. *AAS.*, 1912, t. III, p. 456 ; coll. artic. *Les jardins des villas et la juridiction paroissiale,* ap. *Nouv. rev. théol.*, 1912, t. XLIV ; p. 744 ss.; *Caus. Rotal. Pampilonien.*, 14 maii 1912, ap. *Le Canoniste contemp.*, 1918, t. XLI, p. 30 ss.
6. Vide tractatum de Matrimonio.

sanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa » (can. 97).

322. — D. **Distinctio personarum ratione ritus.**

Distinguuntur personae secundum diversos ritus quibus adscripti sunt. Quae *rituum diversitas* non est intelligenda tantum de diversa ordinatione ecclesiastica cultus publici, sed praeterea importat diversitatem *disciplinae* Christifidelium ad eos pertinentium. Qua ratione differunt ritus latinus et ritus orientalis, et in hoc, graeco-melchita, slavonicus etc [1]. Hoc sensu intelligendus est can. 96 qui varia praescribit circa medium sortiendi ritum inter catholicos et circa mutationem ritus [2].

1° *Medium sortiendi ritum inter catholicos.* « Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet, cujus coeremoniis *baptizatus fuit* [3], nisi forte baptismus a ritus alieni ministro a) vel *fraude* collatus fuit, b) vel ob *gravem necessitatem* [4], cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit, c) vel ex *dispensatione* pontificia, cum facultas data fuit ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret » (can. 98, § 1).

2° *Mutatio ritus.* a) « Clerici nullo modo inducere praesumant sive latinos ad orientalem, sive orientales ad latinum ritum assumendum » (can. 98, § 2) ; b) « Nemini licet sine venia Apostolicae Sedis (h. e. S. C. pro Ecclesia Orientali) ad alium ritum transire (v. gr. ab orientali ad latinum, ab uno orientali ad alium orientalem), aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti » (can. 98, § 3) ; c) « Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri, in matrimonio ineundo vel eo durante, transire ; matrimonio soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi *jure particulari* [5] aliud cautum sit » (can. 98, § 4) ; d) « Mos, quamvis diuturnus, sacrae Synaxis ritu alieno suscipiendae non secumfert ritus mutationem » (can. 98, § 5) [6].

---

1. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 24 s. De differentiis inter utriusque Ecclesiae Orientalis et Occidentalis ritus, cf. ZITELLI, *Apparatus juris ecclesiastici*, p. 281 ss., ed. 3, Romae, 1903. Vide etiam sub respectu historico, CALLEWAERT, *Institutiones liturgicae*, n° 55 ss.

2. Cf. fontes citatos in *annotatione fontium* in codice ; *Nouv. rev. théol.*, 1894, t. XXVI, p. 504 ss.; 1895, t. XXVII, p. 5 ss. (Encycl. Leon. XIII, *Orientalium dignitas*, 30 nov. 1894, cum annot.) ; ZITELLI, *o. c.*, p. 287 ss.; OJETTI, *o. c.*, v° ritus ; MAROTO, *o. c.*, n° 456.

3. Cf. can. 756. Cf. resp. Commissionis ad interpret. can. cod., 16 oct. 1919, ad 11, *AAS.*, 1919, t. XI, p. 478.

4. V. gr. ne diu baptismus differatur.

5. Ab Apostolica Sede constitutum aut sancitum. Cf. tamen BLAT, *o. c.*, p. 26.

6. Cf. can. 866, § 1 ; Const. Pii X, *Tradita ab antiquis*, 14 sept. 1912, ap. *AAS.*, 1912, t. IV, p. 609.

ARTICULUS II. — De personis moralibus.

323. — I. **Notio.** Praeter personas *physicas* quae baptismate suscepto fiunt in Ecclesia subjecta jurium et obligationum, sunt etiam in Ecclesia *personae morales, publica auctoritate constitutae,* juris possidendi et exercendi capaces (can. 99).

Quando agitur de personis physicis, posita susceptione baptismatis, sola natura hominis eis sufficit ut in Ecclesia sint personae. At « ad hoc ut *persona moralis* in Ecclesia habeatur, proindeque subjectum jurium specialium socialis organismi, illa natura non sufficit, sed actus voluntatis interveniat necesse est, nec solum singularium coeuntium, qui collegio dare non possent nisi habita ab eis ut singulis jura, sed *auctoritatis publicae,* sicut in canone 99 dicitur ; idque eo fortius asserendum est, quando persona moralis non est collegium ex personis physicis coalescens, sed res utique ad Ecclesiam catholicam pertinentes ratione tamen ac voluntate carentes, quae propter ipsarum destinationem capacitate jurium per leges ecclesiasticas augentur... ac personae morales non collegiales in canone appellantur » [1].

Ergo persona moralis, lata significatione dici potest [2] : *Quidquid praeter personas physicas juris acquirendi exercendique, ordinatione divina aut ecclesiastica, capax habetur.*

324. — II. **Divisio.** Distinguuntur in personas morales *collegiales* et *non collegiales* (can. 99).

Persona moralis collegialis [3] illa est in qua plures personae physicae in unum corpus sociale, vita sociali vivens, coadunantur. Quae, si ratione sui finis in suo genere perfecti et completi, est in eodem genere sibi sufficiens et independens, vocatur *persona moralis juridice perfecta ;* si vero ratione finis non est in suo genere sibi sufficiens et independens, vocatur *persona moralis juridice imperfecta.* Personae morales primi generis sunt societas civilis et Ecclesia ; secundi generis vero : capitula cathedralium, monasteria, civitates, collegia, etc [4].

At cum non agitur de societatibus personarum, sed potius de universitatibus rerum, de quibusdam institutionibus ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinatis, quibus, a societate

---

1. BLAT, *o. c.,* p. 27 ; MAROTO, *o. c.,* n. 458.
2. D'ANNIBALE, *Summula theologiae moralis,* ed. 5, t. I, n. 43, Romae, 1908.
3. Cf. D'ANNIBALE, *o. et l. c.,* n° 43, ubi refert multas citationes ex jure romano, cujus doctrina de universitatibus personarum et rerum connexa est cum praescriptis Codicis. Cf. v. gr. PUCHTA, *Cursus der Institutionen,* ed. 6, t. II, n° 90 ss., p. 249 ss., Leipzig, 1866.
4. Cf. supra n° 133, de societate juridice perfecta et imperfecta.

in cujus utilitatem destinantur, capacitas jurium tribuitur, illa entia moralia inferiora, fictione juris quadam constituta, vocantur *personae morales non collegiales*. Dotatio earum, servatis servandis ex pacto aut lege fundationis, reapse res est societatis juridicae cujus jussu creantur, ad cujus utilitatem constituuntur, cujus personam gerunt. Hujusmodi sunt ecclesiae, Seminaria, beneficia, orphanotrophia [1], etc. Animadvertendum est quaedam instituta aut officia, ex jure divino aut humano, ita esse penes unam personam physicam ut ipsa, non qua persona privata sed formaliter ut persona publica, una cum successoribus suis, merito dicatur subjectum inhaesionis omnium jurium hujus officii vel muneris et proinde persona moralis [2].

325. — III. Personae moralis institutio.

1° « Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent *ex ipsa ordinatione divina* » (can. 100, § 1).

Tum ex jure naturali, tum praeprimis ex voluntate sui fundatoris, Ecclesia, eo quod ratione finis sui sit societas omnium perfectissima, est subjectum juris perfectissimum et ab omni alia societate in suo genere independens, gaudens omnibus mediis salutis et sanctificationis sibi immediate concessis ut sibi obligatos socios etiam invitos auctoritative et

---

1. Cf. codicem ad cann. 1409 ss., 1489 ss.; vide postea, in lib. III, parte 5.

2. Cf. Illmum et Revmum WAFFELAERT, *de Justitia*, t. I, p. 127, nota 1. — Abstrahimus hic a quaestione philosophiae juris acriter controversa de vero subjecto inhaesionis jurium in corpore sociali, num sc. adhaerendum sit *theoriae realitatis metaphysicae* personae moralis, juxta quam societates necessariae constituunt ens juridicum reale, fine, origine, duratione, juribus distinctum a singulis et omnibus membris actualibus quibus constat ; an vero *theoriae entitatis collectivae* juxta quam, negata realitate omnium personarum moralium, personae physicae quibus constat ens sociale sunt unica et vera subjecta juris cujus exercitium tamen vinculatur et limitatur voluntate fundatoris aut conventione sociorum. Qua in theoria nulla persona moralis creatur lege aut decreto publicae auctoritatis, sed coeunt omnes per ipsas voluntates personarum se in societate coalescentium, et sive agatur de associationibus proprie dictis, sive de fundationibus semper reapse adest societas personarum physicarum penes quas sit dominium collectivum personae moralis. Cf. de his et aliis theoriis VAN HOVE, *Les fabriques d'églises*, p. 430 ss., Louvain, 1908-1911 (cum ampla bibliographia). Ipse adhaeret sententiae proprietatis collectivae cum multis aliis *ibid.* citatis, cum R. P. VERMEERSCH, *Quaestiones de justitia* [2], p. 675 ss., Brugis, 1904 ; ejusd. auct., *De communi monasterii possessione*, in *Periodica de religiosis*, t. IV, p. 20 ss.; in sensum contrarium, Illmus WAFFELAERT, *o. c.*, p. 120 ss.; ejusd. auct. *Étude de théol. morale sur l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 162 ss., Brugis, 1884 ; *Coll. Brugen.*, 1904, t. IX, p. 638, cum aliis *ibid.* citatis ; CAVAGNIS, *Institutiones jur. publ.*, t. I, p. 6 ss., 35 ss., Roma, 1898. Cf. CLUNET, *Les associations au point de vue historique et juridique*, t. I, Paris, 1909 ; *Le can. contemporain*, 1917, t. XL, p. 20 ss. Cf. infra, libro III, parte VI ; VAN COILLIE-DE MEESTER, *La sépulture et les fabriques d'églises*, n° 78 s., Bruges, 1916. — Videtur codex jur. can. potius adhaerere doctrinae juris romani juxta quam personae morales inferiores in Ecclesia, sive collegiales sive non collegiales coire non possunt nec intelliguntur esse nisi jussu auctoritatis competentis. Cf. can. 100, § 1 ; 102 ; 1409 ; 1489 ss ; 1495, § 2 ; D'ANNIBALE, *o. et l. c.*

libere ad finem necessarium conducat [1]. Nomine Sedis Apostolicae hic venit ipse *primatus* Petri ejusque successorum a Christo institutus. Quod officium merito dicatur persona moralis inchoata in primo seriei membro et eadem perseverans in quolibet membro succedente. Jura quae Ecclesiae fundatori competebant, ex ipsius Christi ordinatione magistratui primum constituto tributa sunt et ejusdem ordinationis virtute sunt propria illis qui in eodem munere succedunt [2].

2° « Caeterae inferiores personae morales in Ecclesia personam moralem sortiuntur sive ex ipso juris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum » (can. 100, § 1). Ex ipso juris praescripto constituuntur personae morales collegium cardinalium, dioeceses, capitula, etc. ; formali decreto autem, confraternitates, hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta.

3° « Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex tribus saltem personis physicis » (can. 100, § 2) ; ita ad erigendum capitulum requiruntur saltem tria membra. Vetus Romanorum lex erat *tres facere collegium* [3].

326. — IV. **Status juridicus.**

Cum semel rite coierint personae morales sive collegiales sive non collegiales *instar privatorum* habentur. Ideo possunt sibi acquirere donatione aut testamento, contractus inire, judicio agere etc. Attamen *minoribus* aequiparantur (can. 100, § 3). Ratio in promptu est : sicuti res minorum reguntur per alias personas, per tutores aut curatores, ita negotia personarum moralium administrantur per alias personas physicas, quarum singularum jura cum juribus personae moralis non sunt confundenda, et quae negligentiae argui forsan possunt. Ideo speciali tutela gaudent personae morales, quae notatim exercetur per vigilantiam et visitationem Ordinarii, per hujus jus exigendi redditionem rationum [4], per beneficium restitutionis in integrum quod suppetit minoribus vel minorum jure fruentibus graviter laesis, ad laesionem reparandam ex negotio vel actu valido rescindibili (can. 1687, § 2 ; 1688, § 2) [5].

327. — V. **Actus personarum moralium.**

1° Circa actus personarum moralium *collegialium* statuit can. 101, § 1:

---

1. Cf. supra n° 137 ss., 149 s.
2. Cf. WILMERS, *o. c.*, p. 249 s.; D'ANNIBALE, *o. c.*, n° 46.
3. Cf. D'ANNIBALE, *l. c.*, n° 44, nota (4); FERRERES, *o. c.*, n° 220. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 460 s.
4. Cf. v. gr. can. 1491 ss.
5. Cf. etiam can. 1737, etc. Vide D'ANNIBALE, *o. et l. c.*, n° 44, cum nota 12.

a) « Nisi aliud expresse [1] jure communi [2] aut particulari statutum fuerit, id vim legis habet, quod, demptis (seu non computatis) suffragiis nullis, placuerit parti absolute majori eorum qui suffragium ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative majori in tertio scrutinio ; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate » (can. 101, § 1, 1°) [3].

b) « Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet » (can. 101, § 1, 2°). Quando non agitur de actu qui directe spectat ipsum collegium, uti electio praesidis per viam scrutinii sed de actu qui tangit jura singulorum collegii membrorum aut singulis onera personalia vel realia imponit, valet si unanimi omnium suffragio aut consensu comprobetur. Hinc unanimi consensu electio fieri potest per compromissum (can. 172) [4].

2° « Si de actibus personarum moralium *non collegialium* agatur, serventur particularia statuta ac normae generales, quae easdem personas respiciunt » (can. 101, § 2). Quae normae traduntur praesertim in Libro III, parte secunda de seminariis, beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus.

328. — VI. Duratio et exstinctio personarum moralium.

1° « Persona moralis, natura sua perpetua est [5] ; exstinguitur tamen si a legitima auctoritate [6] supprimitur, vel si per centum annorum spatium esse desierit » (can. 102, § 1), vel quia omnia membra collegii moriuntur aut alias deficiunt, nullis aliis substitutis, vel quia personae moralis non collegialis res pereunt.

2° « Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit, jus omnium in illud recidit » (can. 102, § 2) [7].

---

1. Excluditur jus consuetudinarium.
2. Cf. v. gr. can. 321 ; ea quae statuuntur pro electione Pontificis.
3. Hoc est si clerici sint praefertur senior ordine ; si religiosi senior prima professione (can. 574) ; si eodem tempore ordinem receperint, vel professionem emiserint, senior aetate. Cf. de suffragatione MAROTO, *o. c.*, n. 467.
4. Cf. MAROTO, *o. et l. c.*,
5. Cf. D'ANNIBALE, *o. c.*, n° 45 s.
6. Cf. *Indicem analytico-alphabeticum* codicis, v° *suppressio ;* quoad devolutionem bonorum statuit modo generali can. 1501 : « Exstincta persona morali ecclesiastica ejus bona fiunt personae moralis ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum seu oblatorum voluntatibus, juribus legitime quaesitis, atque legibus peculiaribus quibus exstincta persona moralis regebatur ». Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 464.
7. Cf. D'ANNIBALE, *o. et l. c.;* WERNZ, *o. c.*, lib. II, n. 770.

ARTICULUS III. — De quibusdam communibus actibus personarum physicarum et moralium.

329. — I. **De vitiis consensus.** Hic praecise non agitur de influxu metus, vis et erroris, in quantum dici soleant *impedimenta voluntarii,* vel in quantum sint *causae excusantes a lege* aut *a poena* (can. 16), vel in quantum tollant aut minuant *imputabilitatem delicti* (can. 2202, § 3), aut de eis ratio habenda sit ad determinationem poenarum (can. 2218, § 2), quae omnia in tractatibus de actibus humanis, de legibus expenduntur, aut infra suo loco expendentur [1]; sed agitur de invaliditate aut rescindibilitate in foro externo seu in facie societatis actuum et contractuum a personis physicis aut moralibus [2] positorum ex vi, metu, dolo aut errore [3].

330. — 1° **Vis.** « Actus, quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca, cui resisti non possit, pro infectis habentur » (can. 103, § 1). Et merito quidem, nam actus voluntatis extrinseci positi ex violentia illata ab extrinseco et cui resisti non possit nullatenus sunt voluntarii et liberi ; ideo quod quis facit compulsus pro infecto est, nam patitur ille magis quam facit [4].

331. — 2° **Metus et dolus.** « Actus positivi ex metu gravi et injuste incusso vel ex dolo, valent, nisi aliud jure caveatur ; sed possunt ad normam can. 1684-1689 per judicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae sive ex officio » (can. 103, § 2).

Metus dicitur instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio ; est *gravis* si grave periculum sit (gravis absolute) aut gravis trepidatio mentis respective ad quasdam personas (gravis relative) ; *incutitur ab extrinseco* cum alius infert metum ad extorquendum consensum et quidem *injuste* cum infertur ex causa injusta vel modo injusto.

Dolus hic est omnis calliditas, fallatia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitum [5]. Jam vero actus positi ex metu gravi et injuste incusso vel ex dolo *valent,* nam sunt simpliciter voluntarii ; nisi aliud jure cavetur, uti v. gr. in ordine ad ingressum in novitiatum ex can. 542, n. 1 ; ad ordines recipiendos ex can. 214 ; ad

---

1. Quoad matrimonium, cf. can. 1083, 1084.
2. Ad rem BLAT, *o. c.,* p. 32 : « Et persona moralis talem vim pati dicenda est, etiamsi non omnibus collegii membris vis illa inferatur, sed tot personis collegii quae ad validitatem actus ex can. 101 necessariae sint ».
3. Cf. etiam Moralistae de contractibus ; Ill^mus WAFFELAERT, *De Justitia,* t. I, n° 357 ss.
4. Cf. FERRERES, *Compend. theol. mor.,* t. I, n° 74 ; D'ANNIBALE, *o. c.,* n° 138, 148.
5. Ex jure romano, l. 1, § *Dolum malum,* D. IV, 3. Cf. can. 2200 quoad dolum quod auget imputabilitatem delicti.

renunciationem officii vel beneficii, ex can. 185 [1]. Attamen cum actus illi sint tantum voluntarii secundum quid cumque ex causa injusta onus aut damnum parti laesae aut deceptae obvenerit, inde quando actus est rescindibilis conceditur metum aut dolum passo actio rescissoria aut remedium extraordinarium restitutionis in integrum ad normam can. 1684-1689. Hae actiones introducuntur vel ad instantiam partis laesae, vel ex officio uti restitutio in integrum quae conceditur minoribus et minorum jure fruentibus [2].

332. — 3° « **Error** actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem *sine qua non ;* secus actus valet, nisi aliud jure caveatur ; sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam juris » (can. 104).

a) Omnis error aut ignorantia [3] sive juris sive facti, et concomitans et supina [4] reddit actum aut contractum irritum, si versetur circa id quod constituit substantiam actus, h. e., circa naturam actus aut circa rei seu objecti substantiam, nam nulla voluntas errantis est [5] ; b) Error sive juris sive facti reddit actum invalidum, si recidat in conditionem *sine qua non,* h. e., si ponens actum ita errori alligavit certo [6] consensum ut pro re suo errori contraria nolit actum ullo modo perficere. Hoc casu enim agitur de actu aut contractu conditionato, qui, non verificata conditione invalidus est ; c) Secus actus valet cum error circa qualitatem quae veluti conditio sine qua non certo intenditur non transeat in ipsam substantiam actus et proinde non impediat consensum ; *nisi tamen aliud caveatur* jure aut *ecclesiastico* [7], aut jure *civili* quod ad contractus attinet [8]. d) Attamen, si contractibus adfuerit laesio quae forte ex errore uni parti illata est, tunc error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam juris, sc. can. 1684-1686.

333. — II. **De consilio aut consensu personarum a Superiore requirendo.**

---

1. Notandum quod alii actus invalidentur ex metu *gravi,* alii ex metu *gravi injuste* incusso. Quoad matrimonium, cf. can. 1087.

2. Cf. D'ANNIBALE, *o. c.,* n° 138, 148 ; quod attinet ad contractus Illmus WAFFELAERT, *o. c.,* n° 377 ss.; FERRERES, *o. c.,* n° 915 ss. Vide etiam can. 1529, de praescriptis juris civilis.

3. Cf. de discrimine inter errorem et ignorantiam Illmus WAFFELAERT, *o. c.,* n° 359. Ignorantia opponitur cognitioni contradictorie et privative; error, contrarie et positive.

4. Cf. D'ANNIBALE, *o. c.,* n° 147 ; attendendus est *pro foro externo,* can. 16 ; *Coll. Brugen.,* 1907, t. XII, p. 719.

5. L. 8, C., I, 18.

6. In foro externo vix constabit de hac intentione, nisi conditio explicite adjecta fuerit.

7. Cf. v. gr. can. 1083, § 2, 2°.

8. Cf. can. 1529; Illmus WAFFELAERT, *o. c.,* n° 369 de errore accidentali antecedenti in contractu gratuito ; FERRERES, *o. c.,* n° 914.

In casibus arduis aut dubiis, aut quibus personis physicis vel moralibus imponitur in perpetuum notabilis obligatio aut generari posset notabile detrimentum, jus statuit superiorem indigere ad agendum consensu (v. gr., can. 394, § 2 ; 426, § 5 ; 655, § 2 ; 1532, § 3) vel consilio (v. gr., can. 386 ; 388 ; 426, § 3 ; 428, 1532, § 2) aliquarum personarum sive physicarum sive moralium [1]. Quam obligationem clare definit can. 105 :

1° *Vis obligationis.*

a) « Si *consensus* exigatur aliquarum personarum. Superior contra earumdem votum *invalide* agit. » Si plures sunt personae auditur votum illud quod majori parti earum placuerit ;

b) « Si consilium tantum exigatur, per verba, ex. gr. : *de consilio consultorum,* vel *audito capitulo, parocho* [2], etc., satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat ; quamvis nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, multum tamen, si plures audiendae sint personae, concordibus earum suffragiis deferat, nec ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo judicio aestimanda, discedat » (can. 105, 1°).

2° *Modus petendi et dandi consensum vel consilium.*

a) Si requiritur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul quae corpus morale constituunt aut ad normam corporis moralis ordinatae sunt, tunc, eae personae legitime convocentur, statuto modo, loco, ac tempore convenienti, servatis tamen peculiaribus normis forte vigentibus (can. 162, § 1). Defectus convocationis tamen non obstat validitati, si praetermissi nihilominus interfuerint (can. 162, § 4). Quodsi qui vocandi sunt nec convocentur nec praesentes fuerint, actus erit vel revocabilis vel nullus juxta eumdem canonem 162, § 2 et 3. Vocati mentem suam in communi deliberatione manifestent. Superior autem pro sua prudentia ac negotiorum gravitate potest eos adigere ad jusjurandum de secreto servando praestandum (can. 105, 2°). Tale secretum participat de natura secreti commissi aut professionalis, obligantis ex justitia.

b) « Omnes de consensu vel consilio requisiti debent ea qua par est reverentia, fide et sinceritate sententiam suam aperire » (can. 105, 3°).

---

1. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 470 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 178.

2. Quando praescribit codex ut Superior agat *cum suo Consilio* seu *Capitulo,* v. gr. can. 543 ; 647, § 1 ; 650, § 1, sufficit ut Consilium seu Capitulum qua est corpus collegiale *consultaverit,* cum potestas Superioris sit favorabilis, juxta CREUSEN-VERMEERSCH, *o. et l. c.* Cf. tamen BEYERSBERGEN, qui melius distinguit singulos casus, ap. *Nederl. kath. Stemmen,* 1920, t. XX, p. 39 ss., nota 2. Cf. etiam *Causa Zagabrien.,* 13 nov. 1920, *AAS.,* t. XIII, p. 43 ss.

ARTICULUS IV. — De praecedentia inter personas.

334. — I. **Notio.** Ecclesia est societas inaequalis habens superiores qui imperant et subditos qui obedire tenentur. Praeterea inveniuntur in ea varii gradus hierarchiae jurisdictionis et varii ordines hierarchiae ordinis. Inde personae ecclesiasticae physicae et morales aliae prae aliis decorantur excellentia, cui respondere debet perfectior honoris significatio. Illa excellentia est vel *propria,* ratione personalis excellentiae, vel *mutuata,* ratione excellentiae ejus cujus locum ex repraesentatione quis tenet. Illa praerogativa honoris includit jus honorificum *praecedentiae,* seu jus occupandi locum nobiliorem in ecclesia, in publicis precibus, in processionibus, congressibus [1].

335. — II. **Normae generales praecedentiae** (can. 106).

« Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu morales, serventur normae quae sequuntur, salvis normis specialibus quae suis locis tradentur [2] :

1° « Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam ; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos ejusdem gradus qui intersunt nomine proprio » (can. 106, 1°) [3].

2° « *Cui est auctoritas* in personas sive physicas sive morales, eidem jus est praecedentiae super illas » (can. 106, 2°). Ita ratione vinculi jurisdictionis Episcopus proprius praecedit omnes dioecesanos ; parochus, omnes parochianos [4].

3° « Inter diversas personas *ecclesiasticas* quarum *nulla habeat in alias auctoritatem ;* qui ad *gradum* potiorem (jurisdictionis) pertinent, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus [5] ; inter ejusdem gradus perso-

---

1. *Majoritas* intelligitur in jure Decretalium excellentia et dignitas quam clerici per assumptionem in statum clericalem atque per ordinum et jurisdictionis susceptionem consequuntur et cui majoritati correspondeat necesse est reverentia et obedientia. Latior patet nunc notio praecedentiae quae ordinem praecedendi et praesedendi inter omnes personas ecclesiasticas physicas et morales definit. Cf. auctores antiquos ad tit. 33, libr. I, Decret., *de majorit. et obedientia ;* WERNZ, *o. c.,* t. II, n° 160 ss.; HERGENROETHER-HOLLWECK, *Lehrbuch des kath. Kirchenr.,* p. 264 s.; BLAT, *o. c.,* p. 35 ss.; OJETTI, *o. c.,* v° *praecedentia ;* MAROTO, *o. c.,* n. 477 ss.

2. Cf. cann. cit. in *Indice analytico-alphabetico,* v° *praecedentia* et in annotatione fontium ad can. 106 ; OJETTI, *o. et l. c.* Consulendae sunt etiam laudabiles consuetudines, jus speciale, etc.

3. Cf. v. gr. infra *de juribus coadjutorum parochi ;* lib. II, pars I, tit. VIII, cap. X, *de vicariis coadjutoribus.*

4. Cf. *Causa Cuneen. et Utinen.,* S. C. Conc., 18 maii 1919, *AAS.,* 1919, t. XI, p. 349 ss.; *Ephemerides liturgicae,* 1919, t. XXXIII, p. 363 ss.

5. Ita supremus honor praecedentiae competit R. Pontifici; sequuntur Cardinales, Patriarchae, Primates, Metropolitae, Episcopi, etc.

nas sed non ejusdem ordinis, qui altiorem ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi [1] ; si denique ad eumdem gradum pertineant eumdemque ordinem habeant, praecedit qui prius est promotus ad *gradum* (jurisdictionis) [2] ; si eodem tempore promoti sint (ad gradum), senior ordinatione, nisi junior ordinatus fuerit a Romano Pontifice ; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate » (can. 106, 3°) [3].

4° « In praecedentia diversitas *rituum* non attenditur » (can. 106, 4°).

5° « Inter varias personas morales ejusdem *speciei* et *gradus* [4] (v. g. inter varias confraternitates, capitula cathedralia, ordines regulares [5]), illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est ; inter sodales vero alicujus collegii (v. gr., canonici alicujus capituli), jus praecedentiae determinetur ex propriis legitimis constitutionibus ; secus ex legitima consuetudine ; qua deficiente, ex praescripto juris communis » [6] (can. 106, 5°).

6° « Circa personas quae ad Domum Pontificalem pertinent, praecedentia moderanda est secundum peculiaria privilegia, regulas et traditiones ejusdem pontificiae Domus » [7] (can. 106, 7°).

336. —III. Competentia Ordinarii circa quaestiones de praecedentia.

1° « Loci Ordinarii est in sua dioecesi *statuere praecedentias* inter suos subditos, ratione habita principiorum juris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum » [8].

2° Ipsius est « omnes de praecedentia controversias, etiam inter exemptos, quatenus hi collegialiter (h. e. in communitate) cum aliis procedant, *componere* in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praejudicio juris uniuscujusque » (can. 106, 6°) [9].

---

1. Ita praecedunt Episcopi presbyteros, presbyteri diaconos etc., juxta gradum hierarchiae ordinis.

2. Ita inter duos Episcopos, qui prior praeconizatus est praecedit, quamvis forsan post alium consecratus.

3. Cf. S. C. Conc. *Mediolanen.*, 20 nov. 1915 - 1 apr. 1916 - 13 apr. 1918, *AAS.*, 1919, t. XI, p. 9 ss.

4. Personae morales superioris speciei aut gradus praecedunt illas inferioris speciei aut gradus. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 480.

5. Cf. tamen quae specialius dicentur de diversis illis personis moralibus ; cf. v. gr. can. 491 § 1 ; *Causa Beneventana*, S. R. R., 13 aug. 1915, *AAS.*, 1916, t. VIII, p. 120 s.

6. Prouti in can. 106, 3°.

7. Cf. *Annuario Pontificio*, Roma.

8. Cf. Decretum, 25 maii 1852, Ill^mi MALOU, Episcopi Brugensis circa ordinem servandum a clero in solemni processione quae fit in solemnitate Festi Corporis Domini et in aliis anni processionibus, ap. *Coll. epistol. pastoral.*, t. VII, p. 70 ss.; coll. p. 65 de praecedentia inter confraternitates.

9. Cf. Trid. Sess. XXV, cap. 13, *de regul.*; S. C. Rit. in *Westmonasterien.*, 11 dec. 1896, ad I, *Decreta auth.*, n. 3935.

ARTICULUS V. — Personarum fundamentalis distinctio in clericos et laicos.

337. — I. Distinctio personarum in clericos et laicos.

Praecipua divisio est, quo totus fidelium coetus, seu universum Ecclesiae corpus divina Christi institutione in clericos et laicos distribuitur. De hac distinctione inter statum laicalem et clericalem haec habet can. 107 : « Ex divina institutione sunt in Ecclesia *clerici* a *laicis* distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis [1] ; utrique possunt esse *religiosi.* »

II. **Est distinctio institutionis divinae.** Clerus universim spectatus ex ipsa ordinatione divina Christi Domini constituit statum sive ordinem ecclesiasticum a statu laicali essentialiter distinctum. Ipse enim Christus instituit in Ecclesia catholica hierarchiam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris et cui commisit non tantum potestatem *ordinis,* sive potestatem sacrificandi et sanctificandi, sed potestatem quoque *jurisdictionis* seu regendi Ecclesiam [2]. Quam doctrinam definivit Concilium Tridentinum, Sess. XIII, can. 6 : Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris ; anathema sit. »

III. **Divisio libri secundi.** Canone 107 fit transitus ad primam partem libri secundi, cujus totam partitionem determinat : nempe liber secundus dividitur in tres partes, quarum prima est *de clericis ;* secunda, *de religiosis ;* tertia, *de laicis.*

---

1. Cf. postea can. 108, § 3, n° 340 ss.
2. Cf. WERNZ, *o. c.,* t. II, n° 11 ; Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 1, 2, 4 ; can. 1, 6 ; BLAT, *o. c.,* p. 39 s. Vide ex. gr. *Act. Ap.,* XIII, 2 ; XX, 28. Cf. etiam can. 948.

PARS PRIMA.

DE CLERICIS.

338. — Distributio materiae. Haec pars duplicem complectitur sectionem : una est *de clericis in genere,* ubi, post quaedam praeliminaria de notione clerici, hierarchiae et praelati agitur diversis sub titulis : de clericorum adscriptione alicui dioecesi, de juribus et privilegiis clericorum, de obligationibus clericorum, de officiis ecclesiasticis, de potestate ordinaria et delegata, de reductione clericorum ad statum laicalem. Altera est *de clericis in specie* seu de officiis et juribus clericorum peculiaribus et propriis ratione muneris vel dignitatis qua donantur.

SECTIO I.

DE CLERICIS IN GENERE.

Fontes. Can. 108-215, cum annotatione fontium.

Auctores. Commentatores in l. III, tit. I ss. Decretalium ; VAN DEN BERGHE, *Tractatus autogr. de clericis generatim ;* CLAEYS-BOUUAERT, *De canonica cleri saecularis obedientia,* Lovanii, 1904 ; WERNZ [2], *o. c.,* pars 1 ; SANTI-LEITNER [3], *Praelectiones juris canon.,* t. III, p. 1 ss.; HARING, *Grundzüge des kath. Kr.,* p. 148 ss., Graz, 1906-1910 ; LAURENTIUS [3], *Institutiones jur. eccles.,* p. 87 ss.; HEINER [6], *Kath. Kr.,* p. 189 ss.; SAEGMUELLER [2],*Lehrbuch des kath. Kr.,* p. 215 ss,; BARGILLIAT [31], *o. c.,* t. I, p. 245 ss.; FERRERES, *Instituciones canónicas,* t. I, n° 238, p. 96 ss.; BLAT, *o. c.,* p. 41 ; MAROTO, *o. c.,* n. 484 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 185 ss ; BENOIT, *La vie des clercs dans les siècles passés. Étude sur la vie commune et les autres institutions de la perfection au sein du clergé depuis Jésus-Christ jusqu'à nos jours,* Paris, 1915, voir *Rev. du clergé fr.,* 1917, t. XCII, p. 481 ss.

TITULUS INTRODUCTORIUS.

NOTIO CLERICI, HIERARCHIAE, PRAELATI.

339. — I. Notio clerici.

« Qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt clerici dicuntur » (can. 108, § 1). Clerici ex hoc juris canonici praescripto, vocantur illi qui, a negotiis curisque saecularibus remoti, divino cultui et Ecclesiae ministerio saltem per primam tonsuram sunt deputati.

Nomen habent a voce graeca κλῆρος quae idem sonat ac *sors*, vel *hereditas* : unde illud S. Hieronymi [1] : « Ministri Dei propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars, clericorum est ».

Nomine clericorum veniunt ergo quotquot prima etiam tonsura tantum sunt initiati — licet excommunicati, suspensi, interdicti, dummodo habitum deferant et alicui ecclesiae sint adscripti, — usque ad supremum in Ecclesia Caput [2].

340. — II. **Sacra hierarchia.** De hac ait can. 108, § 2 : « Non sunt omnes (clerici) in eodem gradu, sed inter eos sacra hierarchia est in qua alii aliis subordinantur, — et prosequitur in § 3 : « Ex divina institutione, sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris ; ratione jurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato ; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere » [3].

341. — A. **Notio et Divisio.** 1° Hierarchia, si vim *nominis* spectes, perinde valet ac *sacer principatus, praefectura sacra* seu imperium in rebus sacris. Duplici potissimum sensu adhibetur : *a/* late pro sua sacra potestate et personis eam habentibus, seu pro potestate sacra distributa in varias species, et in varios sub unaquaque specie gradus. Dum itaque late sumitur, ad hierarchiam pertinent quicumque potestatem aliquam in Ecclesia habent, omnis proinde clerici [4] ; sed *b/* ordinarie *strictius* sumitur, et sola potestas altior hac voce intelligitur ; adeo ut ad hierarchiam pertinere dicantur ii soli, qui habent *ordines a Christo institutos*, et ii qui *externi fori regimen* exercent.

Hierarchia ergo stricte dicta est *certus ordo et series personarum ecclesiasticarum, quibus in diverso gradu altior potestas est divina Religionis mysteria celebrandi, vel Ecclesiam regendi.* Hi omnes qui hanc

---

1. Ep. 52 ad Nepotianum, cf. c. 5, 7. C. XII, q. 1.

2. Veteri jure, juxta c. 29, C. XVII, q. 4 ; c. 33, X, V, 39, latiori vocis acceptione vocabulum *clericus* intelligebatur, in *materia favorabili*, de omnibus religiosis, etiam laicis et conversis, imo in materia ipsis aptabili de omnibus monialibus et sororibus. At hodie relicta significatione vocis latiori, expressis terminis privilegia clericorum communia extenduntur ad religiosos et religiosas, can. 614, 680 ; coll. can. 592 et 679 de obligationibus clericorum communibus ad religiosos extendendis. Olim etiam *in materia odiosa* intelligebatur vox *clericus* de solis clericis saecularibus inferioribus, nisi aliud expresse aut implicite caveretur. In novo jure hoc non videtur retentum ; ergo nisi aliud expresse dicatur (can. 2227, § 2 ; 1401, 2376 ss.), veniunt etiam in odiosis sub hoc nomine quotquot tonsuram receperunt, etiam in dignitate constituti vel religiosi.

3. Cf. *Dict. de théol. cath.*, v° *hiérarchie*.

4. Etiam qui primam tonsuram recepit per initiationem quamdam hierarchiae ordinis incorporatur, ex quo certa jura et habilitatem ad recipiendam jurisdictionem ecclesiasticam consequitur. Cf. de hierarchia, *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 25 ss.; GALANTE, *Fontes juris canonici selecti, p. c.*, p. 387 ss., Oeniponte, 1906.

praefecturam aliquo gradu participant, *de* hierarchia esse dici possunt ; caeteri vero *sub* hierarchia.

2° Quum autem *duplex* in Ecclesia sit potestas, et graduum series existat tam inter eos qui ordinem, quam inter eos qui jurisdictionem habent ; idcirco sacer ille principatus respectu utriusque agnoscitur, et solet *duplex* distingui hierarchia, altera *ordinis,* altera *jurisdictionis.*

342. — B. **Hierarchia ordinis,** 1° quatenus a CHRISTO instituta est constat ex *Episcopis, presbyteris et ministris* [1]. Inter *ministros* certo comprehenditur *diaconus ;* sed usum est Concilium Tridentinum hoc vocabulo, quia noluit decidere quaestionem de divina necne origine ordinum diaconatu inferiorum.

Summus hierarchiae ordinis gradus habetur in *Episcopo.* Neque enim major ordo in Summo Pontifice reperitur, qui ad ordinem alludens, Episcopum se appellat ; unde quicumque Episcopus frater est S. Pontificis.

2° Post Episcopos in hierarchia ordinis late sumpta, id est, quatenus non a *sola* divina ordinatione repetitur, septem apud Latinos numerantur gradus : nempe presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostariatus [2]. Primi tres sunt ordines sacri seu *majores ;* reliqui ordines *minores* appellantur. Graeci vero tres tantum gradus ministrorum presbyteratu inferiores computant : diaconatum nempe, subdiaconatum et lectoratum. Duo ultimi sunt ordines minores.

343. — C. **Hierarchia jurisdictionis** late sumpta plures complectitur gradus, quorum alii *divinae,* alii *ecclesiasticae* sunt institutionis.

1° Divinae institutionis sunt *Primatus S. Petri in ejus successoribus perdurans, et Episcopatus subordinatus ;* caeteri gradus ab Ecclesia originem ducunt.

a/ Sicut vi episcopatus habet R. Pontifex plenitudinem potestatis ordinis, ita vi sui Primatus, immediate a CHRISTO habet plenitudinem jurisdictionis in universam Ecclesiam (can. 218). Quare merito R. Pontifex *Summus Hierarcha* appellatur.

b/ Singuli Episcopi in peculiari dioecesi, sibi a R. Pontifice assignata, ordinariam exercent jurisdictionem ; eamque habent sive immediate a Deo, sive mediante R. Pontifice, sed tantum in unitate cum ipso et sub auctoritate ipsius (can. 329, § 1).

c/ Presbyteris ipse CHRISTUS jurisdictionem non concessit ; sed hoc ipso quod immediate a CHRISTO recipiunt in ordine, tamquam in radice,

---

1. Conc. Trid., Sess. XXIII, c. 6 ; can. 108, § 3. Cf. WERNZ, *o. c.,* t. II, p. 1, p. 19 ss.
2. Cf. can. 949.

potestatem sacramentaliter solvendi et ligandi, evidenter fuerunt a CHRISTO designati ad obtinendam fori interni jurisdictionem.

2° Ad normam graduum hierarchicorum ordinis a CHRISTO institutorum, aucto fidelium numero et dioecesium facta distinctione, tum inter Episcopos, tum inter clericos inferiores, plures fuerunt alii jurisdictionis gradus ab Ecclesia constituti. Sic inter Episcopos jure ecclesiastico distinguuntur *Patriarchae, Exarchae, Primates, Metropolitae seu Archiepiscopi ;* inter presbyteros *Archipresbyteri ;* inter diaconos, *Archidiaconi.* Ad eamdem normam in collegio Cardinalium habentur *Cardinales Episcopi, Cardinales Presbyteri et Cardinales Diaconi.* De his omnibus singillatim sermo erit in Sectione II hujus *Libri secundi.*

344. — D. **Cooptatio in hierarchiam ordinis et jurisdictionis.** « Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur [1] ; sed in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione ; in supremo pontificatu, ipsomet jure divino, adimpleta conditione legitimae electionis ejusdemque acceptationis [2] ; in reliquis gradibus jurisdictionis, canonica missione » (can. 109).

Hac ultima parte canonis includuntur omnes gradus jurisdictionis, etiam Episcopatus qui jure quidem divino quoad officium est institutus, at singulorum Episcoporum jurisdictio missione seu canonica provisione obtinetur. Qua missione intelligitur concessio publicae auctoritatis ad regendum determinatos fideles [3].

345. — E. **Relatio inter hierarchiam ordinis et jurisdictionis.** Ex his facile colligitur quod hierarchia seu potestas ordinis vere *differat,* et *separari* possit ab hierarchia seu potestate jurisdictionis, attamen cum ea ordinarie *conjungatur.* Tria haec manifesta fiunt ex sequentibus.

1° *Differunt* in multis ab invicem, nimirum : *a/* potestas ordinis omnibus sacerdotibus *aequaliter* datur, non vero potestas jurisdictionis ; *b/* prior est *indelebilis et irrevocabilis,* posterior autem minui, augeri, ac tolli seu revocari potest ; *c/* potestas ordinis *per solos Episcopos, et per sacrum aliquem ritum* confertur ; jurisdictio [4] etiam *per presbyteros et clericos* auctoritate necessaria pollentes, idque *per simplicem juris aut*

1. « Si quis dixerit... Ordines ab ipsis (Episcopis) collatos sine populi, vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione irritos esse ;... anathema sit ». Conc. Trid., Sess. XXIII, can. 7. Cf. Causa S. C. Conc. *Veronen. et aliarum,* 14 febr. 1920, juris patronatus popularis, *AAS.,* t. XII, p. 163.

2. Cf. can. 219 ; vide infra, n. 496 ss.

3. Cf. can. 147, § 2 ; 332, § 1. Codex favere videtur sententiae inde a Conc. Trid. communiori de immediata concessione jurisdictionis episcopalis a Romano Pontifice.

4. Excepta jurisdictione R. Pontificis.

hominis injunctionem ; d/ prior non potest *delegari,* posterior autem saepe *delegatur.*

2° Non ita jurisdictio cohaeret potestati ordinis, ut ab ea *sejungi* non possit. Potest in aliquo existere vel cum, vel absque potestate ordinis, et vice versa. Quinimo ipsa jurisdictio episcopalis potest in aliquo esse absque ordine episcopali, et vice versa, v. g. Episcopus praeconizatus, sed nondum consecratus, dioecesim sibi assignatam cum plena jurisdictione gubernare potest ; item Episcopus consecratus cui nulli assignantur subditi, et qui dicitur *Titularis,* ordinem episcopalem habet absque jurisdictione.

3° Licet ordo et jurisdictio separatim stare possint, ordinarie tamen *conjunguntur,* et in ipsa ordinatione accipitur quaedam aptitudo, seu capacitas ad jurisdictionem obtinendam.

346. — Denominatio Praelati. « Quamvis Praelati titulo, honoris causa, a Sede Apostolica etiam nonnulli clerici donentur sine ulla jurisdictione (v. gr. Praelati domestici, Protonotarii), *proprio* tamen *nomine* Praelati in jure dicuntur clerici sive saeculares sive religiosi qui jurisdictionem ordinariam [1] in foro externo obtinent » (can. 110).

TITULUS I.

DE CLERICORUM ADSCRIPTIONE ALICUI DIOECESI.

Auctores. CLAEYS-BOUUAERT, *De canonica cleri saecularis obedientia,* p. 192 ss.; WERNZ, *o. c.,* t. II, n. 90 ss.; BLAT, *o. c.,* p. 46 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 492 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 187.

347. — I. Necessitas adscriptionis asseritur a can. 111, § 1: «Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi (aut quasi-dioecesi) vel alicui religioni (per professionem) adscriptum ita ut clerici vagi nullatenus admittantur » [2]. Ab antiquo hoc praescripsit Ecclesia tum ut Episcopus clericos non assumeret nisi pro necessitate aut utilitate suarum ecclesiarum et ita inutiles clerici vitarentur, tum ut Episcopus cuilibet promoto sive ad primam tonsuram, sive ad ordines minores aut majores, assignaret ecclesiam vel pium locum, ubi sacrum sui ordinis ministerium exerceret sub vigilantia suorum superiorum et ita vagantes et otiosi clerici impedirentur [3].

348. — II. Modus ordinarius adscriptionis seu incardinationis clerici. « Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut

1. Etiam vicariam. Sunt ergo Praelati, Vicarii Generales.
2. Cf. Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 13, de ref.
3. Cf. GASPARRI, *De sacra ordinatione,* n° 577 ss., Parisiis, 1893 ; CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 200 ss.

aiunt, *incardinatur* dioecesi pro cujus servitio promotus fuit » (can. 111, § 2). Notandum venit collationem primae tonsurae quam sequitur incardinatio fieri tantum posse ab *Episcopo proprio* [1], nempe ab Episcopo dioecesis in qua promovendus habeat *domicilium una cum origine,* aut *simplex domicilium sine origine,* adjecto a promovendo, in hoc altero casu, jurejurando perpetuo manendi in dioecesi [2].

349. — III. Mutatio adscriptionis per excardinationem et incardinationem. Supposita prima adscriptione, providendum erat casui quo clericus jure adscribi postulabat alteri dioecesi ; quod fit per *excardinationem* seu rite peractam a priori dioecesi dimissionem et per subsecutam *incardinationem* seu debitam in nova dioecesi aut in religione adscriptionem et quidem vario modo, explicite vel implicite [3].

1° Modo ordinario et explicite «ut clericus alienae dioecesi *valide* incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas [4] excardinationis perpetuae et absolutae ; et ab Ordinario alienae dioecesis litteras ab eodem subscriptas incardinationis pariter perpetuae et absolutae » (can. 112) [5]. Porro « excardinationem et incardinationem concedere nequit Vicarius Generalis sine mandato speciali, nec Vicarius Capitularis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu Capituli » (can. 113).

2° Praeterea implicite habetur excardinatio et incardinatio : a) « si ab Ordinario alienae dioecesis clericus beneficium residentiale obtinuerit cum consensu sui Ordinarii [6] in scriptis dato, vel cum licentia ab eodem in scriptis concessa e dioecesi discedendi in perpetuum » (can. 114) [7] ; b) « Etiam per professionem religiosam (perpetuam) quis a propria dioecesi excardinatur, ad normam can. 585 » (can. 115) ; c) Tandem fit incardinatio si religiosus in sacris a religione separatus [8] pure et simpliciter ab Episcopo benevolo recipiatur, vel etiam pro experimento

---

1. Cf. Can. 956, 969 ; *Le canoniste contempor.*, 1918, t. XLI, p. 290 ss.
2. Hoc modo fieri potest incardinatio laici ex alia dioecesi oriundi. Quoad jus codice anterius, cf. Decretum S. C. Conc., 24 nov. 1906, ap. *AAS.*, t. II, p. 105 ; *Coll. Brug.*, t. XII, p. 351 ss.; *Causa Romana et aliarum,* 15 sept. 1906, ap. *Il monit. eccles.*, 1906-1907, t. XVIII, p. 339 ss. Cf. *Le canoniste contemporain,* 1906, t. XXIX, p. 705 ss.; 1909, t. XXXII, p. 392 ss.
3. MAROTO, *o. c.*, n. 494, illam explicitam aut implicitam excardinationem vocat formalem et virtualem.
4. Ad valorem.
5. Cf. can. 116 ; Decret. S. C. Conc., 20 juil. 1898, n. 2, ap. *Analecta eccles.*, 1898, p. 351 ; *ASS.*, t. XXXI, p. 49 ; *AAS.*, t. II, p. 103 ; Decret. S. C. Conc., 24 nov. 1906, n. 2, ap. *AAS.*, t. II, p. 105 ; *Coll. Brug.*, t. XII, p. 351 ss.
6. Cf. can. 113.
7. Cf. Constit. Innocentis XI *Speculatores,* 4 nov. 1694, § 3 ; hanc exhibet MANY, *Praelectiones de S. Ordinatione,* p. 605 ss., Parisiis, 1905. Cf. S. C. Conc., *causa dioecesis T.*, 27 jan. 1917, ap. *AAS.*, 1918, t. X, p. 18 ss.
8. Cf. *Causa cit. dioecesis T.*, 27 jan. 1917.

receptus, transacto uno alterove probationis triennio, non fuerit ab ipso dimissus (can. 641, § 2).

350. — IV. Excardinationis et incardinationis normae.

Sequuntur in codice leges servandae ut *legitima* sit excardinatio et incardinatio tum explicita, tum, servatis servandis, implicita.

1° « *Excardinatio* fieri nequit sine justis causis, et effectum non sortitur, nisi incardinatione secuta in alia dioecesi, cujus Ordinarius de eadem priorem Ordinarium quantocius certiorem reddat » (can. 116). Excardinationi *obstare* possunt justae causae sese habentes ex parte dioecesis propriae, uti si haec v. gr., penuria sacerdotum laboret ; *favere* autem possunt necessitas aut utilitas ecclesiae alienae, cum hac conjuncta necessitas temporalis aut spiritualis clerici postulantis transitum ad aliam dioecesim [1].

2° « Ad *incardinationem* alieni clerici Ordinarius ne deveniat, nisi

a) Necessitas aut utilitas dioecesis id exigat, et salvis juris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum [2] ;

b) Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima excardinatione, et habuerit praeterea a curia dimittente, sub secreto, si opus sit, de clerici natalibus, vita, moribus et studiis opportuna testimonia, maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis ; Ordinarius autem dimittens, graviter onerata ejus conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia [3] ;

c) Clericus jurejurando coram eodem Ordinario ejusve delegato declaraverit se in perpetuum novae dioecesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum » (can. 117) [4].

---

1. Cl. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.*, p. 231 ss., ubi plures decisiones romanae adducuntur quae militant tum pro excardinatione tum contra eam ; conclusio, p. 241 ss.; *Nouv. rev. théol.*, t. III, p. 7 ss.; t. XXXII, p. 301 ss.; *Rev. des sc. ecclés.*, t. LXXIX, p. 36 ss.; *Rev. du clergé fr.*, 1912, t. LXXII, p. 105 ss. Inter causas recentiores, vide *causam Cajetanam*, 27 jan. 1905 ; *causam Beneventanam*, 25 febr. 1905, ap. *Il monit. eccles.*, 1905-1906, t. XVII, p. 58 s., 98 s. Vide etiam *Conc. plen. Americae latinae*, n. 631.

2. Cf. can. 979 ss.

3. Cf. in materia simili Resp. S. C. de Religiosis, 21 nov. 1919, ap. *AAS.*, 1920, t. XII, p. 17. — Quoad admissionem eorum qui ex aliquo seminario aut aliqua religione dimissi fuerunt, praecedenti jure valebat decret. S. C. Conc., 22 dec. 1905, ap. *AAS.*, t. II, p. 106, *Coll. Brug.*, t. XI, p. 217. Cujus decreti rigor attemperatus est per can. 1363, § 3. —Normae severiores praescriptae fuerunt pro sacerdotibus ad Americam vel ad Philippinas Insulas migraturis, sive in perpetuum aut ad diuturnum sive ad breve tempus, et extensae fuerunt ad sacerdotes qui aut in itinere transmarino, aut in exteris commorationis locis, Europa non excepta, agricolis aliisque operariis demigrantibus suum praestant auxilium. Cf. recens decret. S. C. Consist., 30 dec. 1918, *AAS.*, 1919, t. XI, p. 39 ss. Cf. VERMEERSCH, *Period. de relig.*, t. X, p. 42 ss.

4. Cf. varias causas hac de re motas : *Causa Viterbien.* (excardinatio implicita) 14 jul. 1905, ap. *Anal. eccles.*, 1906, t. XIV, p. 302 ; *Causa Londonen.*, 9 jan. 1912,

TITULUS SECUNDUS.

DE JURIBUS ET PRIVILEGIIS CLERICORUM.

§ 1. JURA CLERICORUM COMMUNIA.

351. — Clerici, utpote divinis ministeriis per primam tonsuram mancipati, ampliora quam laici habent jura quae ad quatuor capita revocari possunt [1].

1° « Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive jurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere » (can. 118). Ideo non negatur R. Pontificem posse prae plenitudine suae potestatis demandare alicui laico exercitium jurisdictionis ecclesiasticae [2].

2° « Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus reverentiam » (can. 119). Hoc jus involvit praerogativam occupandi in ecclesia locum nobiliorem et praesidendi collegiis laicorum, maxime in publicis precibus [3].

3° Jus habent clerici ad honestam sustentationem [4].

4° Jus gestandi habitum suo ordini congruentem [5].

§ 2. PRIVILEGIA CLERICORUM COMMUNIA.

Jure communi varia clericis competunt privilegia, nempe :

352. — 1° **Privilegium canonis,** ita dictum a canone XV Concilii Lateranensis II [6], quo excommunicatio latae sententiae R. Pontifici reservata infligitur in eum, qui maligno animo clericum graviter percusserit [7].

Ratio hujus canonis est, quod clerici sint personae Deo dicatae, de quibus ipse Deus, Ps. 104, mandavit : *Nolite tangere Christos meos,*

---

ap. *AAS.*, t. IV, p. 249 ss.; *Causa Bismarckien.*, 31 jan. 1913, *ibid.*, t. V, p. 34, cum annotationibus in *Nouv. rev. théol.*, 1913, t. XLV, p. 517 ss.; *Arch. f. kath. Kr.*, 1913, t. XCIII, p. 204 ss. — Formula juramenti invenitur ap. *Arch. f. kath. Kr.*, 1908, t. LXXXVIII, p. 518.

1. Quoad religiosos cf. can., 614, 680.

2. Cf. WERNZ, *o. c.*, t. II, n. 9 ; FERRERES, *o. c.*, n. 251 ; MAROTO, *o. c.*, n. 503. Cf. S. C. C., *Wratislavien.*, 14 dec. 1918, ap. *AAS.*, 1919, t. XI, p. 128 s.

3. Cf. supra *de praecedentia*, n. 334 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 505 s.

4. Cf. c. 2, 4, X, III, 5 ; Trid. Sess. XXII, c. 2, de ref.; Circolare S. C. Concist. ai R^mi Ordinari d'Italia per sovvenire ai bisogni del clero, 29 jun. 1919, *AAS.*, 1919, t. XI, p. 277 ss.; Extenduntur ad Episcopos Belgii facultates Ordinariis Italiae tributae circa reductionem onerum Missarum, ex audientia SS^mi, 14 dec. 1919, ap. *Collat Brugen.*, 1920, t. XX, p. 129. — Cf. can. 1496.

5. Cf. *Nouv. rev. théol.*, t. IX, p. 376 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 245, n. 162.

6. Cf. c. 29, C. XVII, q. 4. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 508.

7. Cf. Const. *Apost. Sedis*, tit. II, art. 2 ; coll. tit. I, art. 5.

et Zach., II, 8 : *Qui enim tetigerit eos, tangit pupillam oculi mei.* Quod privilegium confirmatur can. 119 : « Omnes fideles se sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem injuriam intulerint ».

Injuriae *reales* intelliguntur eae actiones injuriosae et graviter peccaminosae quibus nocumentum infertur *personae* clerici, eum, v. gr., occidendo, feriendo, sive ipsius *libertati,* eum v. gr., incarcerando, sive ipsius *dignitati,* ipsi v. gr., vestes avellendo ; non attinguntur injuriae verbales [1].

Hoc crimen punitur variis poenis eo gravioribus quo persona clerici majori sit in dignitate constituta [2].

353. — 2° **Privilegium fori,** quo clericorum personae exemptae sunt a jurisdictione et foro saeculari. Hinc « clerici (sive volentes, sive inviti) in omnibus causis sive contensiosis sive criminalibus apud judicem ecclesiasticum (ut rei) conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit » (can. 120, § 1) [3].

Attamen cum applicatio hujus principii in his temporum adjunctis ut plurimum inconveniens foret, cum in plerisque regionibus non datur civibus jura sua prosequi nisi apud laicos judices, ideo benigne concessit Ecclesia ut *cum licentia competentis auctoritatis ecclesiasticae* licitum foret conveniri clericos in forum laicorum. Statuit enim can. 120, § 2 : « Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, supremi [4] religionum juris pontificii Superiores, Officiales majores Romanae Curiae ob negotia ad ipsorum munus pertinentia [5], apud judicem laicum conveniri nequeunt sine venia *Sedis Apostolicae ;* ceteri privilegio fori gaudentes [6], sine venia *Ordinarii* loci in quo causa peragitur ; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine justa et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit » [7].

---

1. Cf. can. 2344.
2. Cf. can. 2343 ; vide postea, in tractatu de poenis. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 249 ss., n° 163 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 510.
3. Cf. WERNZ, *o. c.,* t. V, n. 291 ss.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 90 ss.; HEINER, *o. c.,* p. 190 ss.; CAVAGNIS, *Instit. jur. publ.,* t. II, p. 210 ss.; *Nouv. rev. théol.,* t. III, p. 247 ; FERRERES, *o. c.,* p. 101, n. 255 ; MAROTO, *o. c.,* n. 597 ss. Cf. etiam R. GÉNESTAL, *Le privilegium fori en France du décret de Gratien à la fin du XIV*e *siècle,* t. I, Paris, 1921 ; LARDÉ, *Le tribunal du clerc dans l'empire romain et la Gaule franque,* Moulins, 1920. — Cf. etiam prop. XXXI, damnata in Syllabo Pii IX.
4. Ita etiam legendum can. 2341.
5. Legendum sine comma inter *Curiae* et *ob negotia* uti habetur can. 2341.
6. Religiosi juxta can. 614 et alii clerici inferiores, ad exclusionem eorum qui privilegia clericorum amiserunt.
7. Cf. Instructio S. O., 23 jan. 1886, *Nouv. rev. théol.,* t. XVIII, p. 160 ss.; cf. SANTI-LEITNER, *o. c.,* t. II, p. 31 s.; KOECK, *Die Kirchlichen Censuren,* l. s., p. 24 s., Graz, 1902.

Praevia illa obligatio est *actoris ;* qua autem non observata, clericis, ut reis [1] conventis, sequentem permissionem dat § 3 can. 120 : « Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda majora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit. »

Hoc privilegium, uti describitur in can. 120, sancitur poena excommunicationis l. s., speciali modo aut simpliciter R. P. reservatae vel aliis minoribus poenis juxta gradum dignitatis illius qui ad judicem laicum ut reus trahitur (can. 2341) [2].

Illud privilegium fori in pluribus regionibus abrogatum est, sive *expresse* in variis concordatis [3], sive uti Belgio *tacite* per tolerantiam S. Sedis, accedente etiam ad derogandum obligationi fidelium *longa* imo et *centenaria consuetudine* [4]. Quod, publicato Motu proprio *Quantavis diligentia,* confirmavit declaratio authentica S. Sedis per viam diplomaticam gubernio belgico communicata [5].

Attendere tamen oportet ad cautiones juris particularis [6].

Cf. *Stat. dioec.,* p. 29.

---

1. Nullibi agitur in textu can. 120 et 2341 de illo qui clericum in *testem* in foro laicorum adesse compellit. Cf. *Il Monitore eccles.,* 1911-1912, t. XXIII, p. 507 ; WERNZ, *l. c.,* p. 331, nota (25) ; MAROTO, n. 515, p. 602, nota 2 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 194.

2. Cf. caput *cogentes* in Constit. *Apost. Sedis.,* tit. I, art. 7 ; Motu proprio *Quantavis diligentia,* 9 oct. 1911, ap. *AAS.,* t. III, p. 555 s.; *Coll. Brug.,* 1911, t. XVI, p. 709 s.; WERNZ, *o. c.,* t. VI, p. 830 ss.; HEINER, *o. c.,* p. 193 ss. Vide infra in libro V de poenis ; SOLE, *De delictis et poenis,* p. 282, Romae, 1920. Cf. etiam resp. S. O. 11 martii 1912, ap. *Il Monitore eccles.,* t. XXIV, p. 4 s.; decretum C. Consist., 14 maii 1914, excommunicationis nominalis, ap. *AAS.,* t. VI, p. 277.

3. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *De privilegio fori in Belgio,* in *Coll. Gandaven.,* 1912, t. IV, p. 265 ; *Il Monitore, l. c.,* p. 547 ss.; FERRERES, *o. c.,* n° 255, 266 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 194.

4. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *l. c.,* p. 261 ss.; de vi consuetudinis in abrogando privilegio fori. Cf. *Il Monitore, l. c.,* p. 543 ; WERNZ, *o. c.,* p. 331, nota (26) ; pro Germania cf. HEINER, *Kr.,* p. 196 et in *Arch. f. kath. Kr.,* 1912, t. XCII, p. 270 ss.

5. Hanc declarationem in comitiis nostris legiferis, die 16 januarii 1912, minister rebus exteris praepositus fecit : « Le ministre de Belgique auprès du Saint-Siège, agissant selon les instructions qui avaient été transmises, a prié le Cardinal Secrétaire d'État de lui faire savoir si le *Motu proprio* du 9 septembre dernier est applicable à la Belgique. Le Cardinal Secrétaire d'État a répondu négativement. Le *Motu proprio* n'est applicable que dans les pays où l'ancien privilège de juridiction existe encore pour les ecclésiastiques. En Belgique, ce privilège est abrogé *par une pratique constante contraire, plus que séculaire.* Il est donc évident, comme l'a déclaré le Cardinal Secrétaire d'État, que le principe invoqué pour l'Allemagne reçoit également son application en Belgique ». *Annexes aux Annales parlementaires,* séance du 16 janv. 1912, p. 79. — Quoad Germaniam, cf. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 273, nota (2).

6. In regionibus ubi privilegium fori abrogatum est, multum laicis commendatum est ne in rebus civilibus saecularibus, inconsulto Ordinario, personas ecclesiasticas ad tribunal saeculare trahant. Patet quam utilis sit illa praxis ad praevenienda judicia coram foro civili. Cf. LAURENTIUS, *o. c.,* p. 90 ; HEINER, *Kirchenr.,* p. 196.

354. — 3° **Privilegium exemptionis** seu *immunitatis personalis* quo « clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt » (can. 121).

Quare clerici *jure communi* exempti sunt a militia [1] et officiis municipiorum ; a gerendo magistratu saeculari ; ab exercendo officio advocati, procuratoris, notarii publici aut tabellionis. Olim accedebat exemptio clericorum a tributis et vectigalibus, sive realibus, sive personalibus, a potestate laica impositis, nisi talis sit reipublicae status, *ut absque illa exactione ad relevandas publicas utilitates, vel necessitates, laicorum non suppetant facultates* [2]. Haec exemptio fere ubique sublata est, et de ea silet codex.

Hac in re consonant quaedam leges civiles nostrae, quamvis nonnunquam alio studio ductae : lex 18 jun. 1869 *(loi d'organisation judiciaire)* excludit clericos a munere jurati et judicis ; lex 12 sept. 1895 *(loi électorale communale)*, a muneribus burgimagistri et scabini ; lex 22 apr. 1898 *(loi électorale provinciale)*, a functione deputati permanentis [3].

De exemptione a militia exstat in Belgio lex civilis 8 jan. 1817 [4] ; quamque fere suppressit lex 3 junii anni 1870, societati civili ac societati catholicae summopere nociva. Haec autem inter alia statuit :

Art. 28. *Sont dispensés de l'incorporation, mais réputés au service quant à la formation du contingent :*

Définitivement les ministres des cultes,

Provisoirement, à moins qu'ils n'appartiennent à une famille qui soit dans l'aisance :

Ceux qui, après leurs études moyennes, se destinent au ministère ecclésiastique, et sont élèves en théologie dans un établissement reconnu par la loi, s'il en existe pour leur culte.

Sont assimilés aux élèves en théologie, les étudiants en philosophie et qui se vouent à l'état ecclésiastique, tant qu'ils n'ont pas accompli leur vingt et unième année [5].

Per novam legem 20 dec. anni 1878 suppressa est clausula praefati art. 28 alin. 1 : *mais réputés au service...*

Per legem autem 29 aug. anni 1883 suppressus fuit art. 28 ; transitorie tantum jura jam acquisita, vel exemptiones legitime speratae fuerunt conservatae.

Postea, lex 27 dec. 1884 statuit sequentia [6] :

Les ministres des cultes sont dispensés du service en temps de paix.

Sont également dispensés, à moins qu'ils n'appartiennent à une famille qui soit dans l'aisance :

1° *Ceux qui, après leurs études moyennes...* (voir texte de l'art. 28).

2° et 3° (concernent les normalistes).

En cas de mobilisation, les miliciens de ces diverses catégories sont appelés au

---

1. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, t. III, p. 100 ss.

2. Cf. c. 1, 3, in VI, III, 23 ; S. THOMAS, in lect. 1 in cap. XIII epist. ad Roman. ; WAFFELAERT, *De Justitia*, t. II, n° 424, 437, 442 ; DE ANGELIS, *o. c.*, t. II, p. II, p. 384 ss.; CLAEYS-BOUUAERT, *Selecta capita codicis*, p. 22. — De bonis ecclesiasticis et sacris loquitur lib. III, pars sexta.

3. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.*, p. 22.

4. Cf. *Rev. Cathol.*, 1866, p. 142 s.

5. Cf. *Le Mémorial belge*, 1870, t. XIV, col. 481 ss.

6. Cf. *Moniteur*, 1884, p. 5881 ; *Le Mémorial*, 1884, col. 834 ss.; 1891, col. 347.

service et employés à des offices utiles à l'armée (États-majors, établissements, hôpitaux, ambulances, etc.).

Ils ne reçoivent pas d'équipement militaire.

Leur service ne procure à leur frère aucun droit à l'exemption.

La loi du 21 mars 1902 a modifié l'art. 28, 1°, comme suit : sont assimilés aux élèves en théologie les étudiants en philosophie qui se vouent à l'état ecclésiastique *tant qu'ils n'ont pas accompli leur vingt-deuxième année*[1].

La loi du 14 déc. 1909[2] a modifié ces dispositions comme suit :

Art. 26. *Sont exemptés définitivement :* (A) *les ministres des cultes ;* (B) *Ceux qui se consacrent exclusivement et d'une façon continue aux travaux d'une œuvre de mission à l'extérieur du pays, approuvée par les autorités attitrées d'un des cultes visés à l'article 117 de la Constitution.*

Art. 27. *Sont exemptés pour une année :* (A) *Ceux qui font partie d'une communauté religieuse fixée dans le pays ;* (B) *Ceux qui, après leurs études moyennes, se destinent au ministère ecclésiastique ou aux missions et sont élèves en théologie dans un établissement reconnu par la loi, s'il en existe pour leur culte. Sont assimilés aux élèves en théologie, les étudiants en philosophie, qui se vouent à l'état ecclésiastique, tant qu'ils n'ont pas accompli leur vingt-deuxième année ;* (C) et (D) concernent les normalistes et instituteurs.

Les exemptés des quatre catégories qui précèdent sont tenus de suivre pendant trois mois un enseignement d'infirmier-ambulancier au cours de l'année qui suit leur inscription, ou de justifier par un examen qu'ils possèdent les connaissances nécessaires pour remplir ces fonctions.

En cas de mobilisation, ils sont appelés au service et employés à des services humanitaires utiles à l'armée.

Leur service est sans effet sur les obligations de leurs frères.

Les exemptés des catégories A et B ne reçoivent pas d'équipement militaire.

La loi du 30 août 1913[3] n'a pas modifié ces dispositions, qui sont devenues les art. 15 et 16 du texte coordonné.

---

1. Cf. *Moniteur,* 1902, p. 1315.

2. Cf. *Ibid.,* 1910, p. 690 ; cf. *Revue de l'administration,* 1910, t. LVII, p. 57 ss.; commentaire p. 148, ss.; 176 ss. (exemptions.) ; Cf. Arrêt de la cour de Cass., 5 oct. 1909, *Pas.* 1909, I, p. 377 ss.

3. Cf. *Moniteur,* 1913, p. 5718 ; *Rev. de l'administration,* 1914, t. LXI, p. 6 ss.; *commentaire,* ibid., p. 31 ss. — L'arrêté-loi, du 21 juillet 1916, relatif à l'appel général au service de la Patrie, contient les prescriptions suivantes :

Art. 1. Tous les Belges, nés après le 30 juin 1876 et avant le 1er juillet 1898, sont appelés, pour la durée de la guerre, à servir la Patrie, dans l'armée, dans les établissements qui produisent spécialement pour les armées, dans les services ou entreprises d'utilité générale, suivant les distinctions déterminées par le présent arrêté-loi.

Cesseront de sortir leurs effets à dater de ce jour, toutes les exemptions définitives ou temporaires résultant des lois ou des arrêtés-lois antérieurs et des décisions des juridictions contentieuses de milice, rendues avant ou pendant la guerre, sauf le cas prévu par le 4° ci-dessous.

Art. 5. Seront seuls exemptés définitivement du service, ceux qui seront reconnus définitivement inaptes même à un service auxiliaire.

Art. 9. Par dérogation aux articles 7 et 8 (relatifs aux hommes désignés pour le service et pour les services auxiliaires), les appelés ci-après déterminés seront, à condition qu'ils en expriment le désir et qu'ils aient l'aptitude physique requise, désignés, savoir :

Pour le service de santé :

b) Les ministres des cultes et les missionnaires à l'étranger. Ils pourront être affectés au service de l'aumônerie, suivant les nécessités de celui-ci ;

c) Ceux qui font partie d'une communauté religieuse, fixée dans le pays avant la guerre ;

La loi provisoire du 5 août 1921 [1] a profondément modifié le régime des exemptions consacré par les lois précédentes.

Nous en faisons suivre les prescriptions les plus importantes.

Art. 1er. Chap. II, V. *Les litt. A, B, C, et E de l'article 15 des lois de milice coordonnées sont abrogés.*

VI. *L'article 16 des lois de milice coordonnées est abrogé et remplacé par le texte suivant :*

Des exemptions temporaires d'un an, renouvelables deux fois consécutivement, avant que doive intervenir, soit une décision d'exemption définitive pour cause d'inaptitude physique, soit une désignation pour le service, sont accordées :

A. (Concerne les miliciens reconnus temporairement inaptes au service).

B. *Aux miliciens des catégories ci-après :*

1° *Celui qui après ses études moyennes complètes se destine au ministère ecclésiastique ou aux missions et qui est étudiant en philosophie, et à celui qui, se destinant à l'état religieux, est au noviciat.*

2° Concerne les normalistes, etc.

D. *Les miliciens qui ont été exemptés provisoirement pour une des causes prévues aux articles 16 et 84 des lois de milice coordonnées, conservent toutefois le droit au renouvellement de cette exemption, dans les conditions fixées par les dites lois.*

Ils sont exemptés définitivement si, au cours de leur ajournement, ils viennent à se trouver dans l'un des cas visés aux lit. A ou B de l'article 15.

Chap. VII, XV. b) *Sont affectés d'office aux troupes d'administration du service de santé et reçoivent, en temps de paix, dans un centre d'instruction qui leur est réservé, la formation de brancardier-infirmier militaire :*

1° *Les ministres des cultes visés à l'article 117 de la Constitution ;*

2° *Ceux qui font partie d'une communauté religieuse fixée dans le pays, à l'exclusion du personnel domestique salarié ;*

3° *Ceux qui se consacrent exclusivement et d'une façon continue aux travaux d'une œuvre de mission, à l'extérieur du pays, approuvée par les autorités attitrées d'un des cultes visés au 1° ci-dessus ;*

4° *Ceux qui se destinent au ministère ecclésiastique ou aux missions et qui sont élèves en théologie dans un établissement reconnu par le chef du culte intéressé.*

Chap. VIII, XVI. a) *Les litt. B et E de l'article 63 des lois de milice coordonnées demeurent modifiés conformément aux dispositions arrêtées par la loi du 30 décembre 1920* [2], *sauf que pour les miliciens visés au litt. b) du n° XV ci-dessus, le terme de service, rappels compris, peut s'effectuer en deux périodes d'égale durée, avec un intervalle d'un an au plus.*

c) *En cas de mobilisation, le ministre de la Défense Nationale ordonne le maintien dans leurs foyers, des miliciens appartenant au clergé d'un culte reconnu, en*

---

d) Ceux qui, après leurs études moyennes, se destinent au ministère ecclésiastique ou aux missions et sont élèves en théologie ou en philosophie. Voir *Moniteur*, 27 juillet 1916 ; Appel général au service de la Patrie, Textes législatifs et réglementaires à appliquer, Ministère de la guerre et de l'intérieur, 2e édition, août, 1917, p. 11 ss.

1. Loi modifiant, en ce qui concerne les classes de 1920, 1921 et 1922, les lois de milice coordonnées en 1913, *Moniteur*, p. 6510 ss.

2. Loi déterminant en ce qui concerne la durée du service actif, les congés et les rappels, le régime à appliquer aux classes de 1918, 1919, 1920, 1921 et 1922. *Moniteur*, 1920, p. 10542 s. — Art. 1er. Le terme de service actif des miliciens a une durée de : dix mois dans l'infanterie ; douze mois dans les armes, troupes et services, autres que l'infanterie, la cavalerie et l'artillerie à cheval ; treize mois dans la cavalerie et l'artillerie à cheval.

qualité de curé, desservant ou vicaire, de pasteur ou rabbin, à condition qu'ils appartiennent à la réserve de l'armée et qu'ils soient signalés, par le Ministre de la Justice, sur les propositions des autorités attitrées, comme étant indispensables au service du culte, à l'intérieur du royaume. La proposition qui les concerne est renouvelée chaque année.

355. — 4° **Privilegium competentiae**[1], vi cujus : « clericis qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti judicis ecclesiastici arbitrio, sunt necessaria, firma tamen eorumdem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi » (can. 122). Hoc privilegium fuit clericis concessum ne cogantur victum quaeritare et egere cum dedecore et contemptu ordinis clericalis.

Hoc privilegium in *Belgio* frustra invocaretur. Cum hujusmodi causae clericorum de debitis contractis in foro saeculari nunc discutiantur, videndum quasnam limitationes jus civile executioni contra debitores constituerit[2].

356. — 5° **Privilegiorum repudiatio, amissio et recuperatio.** Memoratis privilegiis clericus *renunciare* nequit (non enim in favorem tantum personae sed totius status clericalis sunt constituta et lege praescripta) ; sed eadem *amittit*, si ad statum laicalem reducatur aut privatione perpetua juris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur, ad normam can. 213, § 1 ; 2304 ; *recuperat* vero, si haec poena remittatur aut ipse rursus inter clericos admittatur[3] (can. 123).

§ 3. NOTIO ET ORIGO JURIDICA IMMUNITATIS CLERICORUM.

357. — I. **Notio et divisio.** 1° Immunitas generatim sumpta definitur privilegium, quo res aliqua, locus, vel persona, a communi quadam obligatione, seu onere eximitur[4].

Privilegii nomen sumitur lato sensu prout comprehendere potest jus aliquod divinum vel humanum, alicui specialiter conveniens prae aliis[5].

Immunitas igitur ecclesiastica est jus, quo ecclesia aliave loca sacra, personae ecclesiasticae, et res ipsarum, libera sunt a jurisdictione laicali, a muneribus et oneribus saecularibus, atque ab actibus earum sanctitati et reverentiae debitae repugnantibus[6].

2° Hinc immunitas recte dividitur in *personalem, realem* et *localem*[7].

1. Seu olim, capitis *Odoardus*, c. 3, X, III, 23. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 259 ss., n. 169 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 522 ss.
2. Cf. *Complément des codes belges, saisie ;* voir à la table, le mot *saisie.*
3. Cf. can. 212.
4. Cf. quoad historiam : CAVAGNIS, *o. c.*, t. II, p. 222 ss.; WERNZ, *o. c.*, t. II, p. 1, p. 257 s.
5. Cf. SUAREZ, *Defensio fidei*, l. IV, c. 2.
6. Cf. REIFFENSTUEL, *o. c.*, l. III, tit. 49, n° 4.
7. Cf. CAVAGNIS, *o. et l. c.*, p. 210 s.

a) *Personalis* est, qua clerici exempti sunt a muneribus civilibus, atque a foro laicali.

b) *Realis,* qua bona ecclesiastica et sacra libera sunt ab oneribus et vectigalibus quae a laicis imponuntur.

c) *Localis,* qua α) nullus actus profanus, qui minus decet loci sanctitatem, in loco sacro exerceri potest ; β) debitores, ac rei criminum, quibusdam exceptis, ad illum confugientes, tuti sunt, neque illinc divelli possunt [1].

Hic tantum loquimur de *immunitate clericorum personali.*

358. — III. Origo juridica immunitatis clericorum [2].

A. Doctores catholici consentiunt clericos in iis, quae vere et proprie *spiritualia et ecclesiastica* sunt a jurisdictione saeculari *jure divino* esse immunes.

B. At quod spectat res *temporales et criminales,* non una est omnium sententia.

1° Prima politicorum est [3], qui hanc immunitatem deducunt a mero *jure civili,* et tuentur eam libere fuisse a principibus concessam, et libere posse ab iisdem retractari.

Hanc sententiam condemnavit Pius IX in *Syllabo :*

Prop. XXX. *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.*

Prop. XXXI. *Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus, sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.*

2° Secunda praesertim canonistarum est, qui existimant eam *jure divino* inductam esse.

Haec opinio sequentibus nititur argumentis : *a/* quando traditio est constans ac perpetua, ostendere solet jus divinum, praesertim quando non apparet ratio eam tribuendi apostolicae institutioni. Talis autem esse videtur traditio hujus exemptionis ; est nempe adeo antiqua, ut nullum ejus agnoscatur initium ; nam pro temporum opportunitate semper servata est, praecipue vero post tempora christianorum imperatorum [4].

b/ Haec sententia auctoritate Conciliorum mirifice comprobatur [5].

---

1. Cf. De hac re, DEVOTI, *o. c.,* lib. II, sect. 2, § 25 ss.; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 229 ss.; GROELL, *Die Elemente des kirchlichen Freiungsrechtes.* (Kirch. Abh. Stutz), Stuttgart, 1911 ; vide inferius, libro III, parte 2, tit. IX, ubi de *jure asyli.*

2. Cf. BELLARMIN., *De controvers. De clericis,* l. I, c. 28 et 29 ; REIFFENST., *o. c.,* l. II ; tit. 2, § 9 ss.; PIRHING, *o. c.,* ibid., n° 107 ss.; SCHMALZGR., *o. c.,* l. III, tit. 49, n° 56 ss.; SUAREZ, *Defensio fidei,* l. IV, c. 8 ss.; PALMIERI, *De Romano Pontifice,* p. 494 ss.; DE ANGELIS, *o. c.,* t. II, p. II, p. 376 ss.; CAVAGNIS, *o. c.,* t. II, p. 213 ss.; WERNZ, *o. c.,* p. 258 ; FEYE, Tract. autogr. *de Ecclesia,* p. 149 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 512 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 197.

3. Cf. CAVAGNIS, *o. et l. c.,* p. 218 ss.

4. Cf. SUAREZ, *o. et l. c.,* n° 18.

5. Concilium Later. V, an. 1512-17, *Sess.* IX, inquit : « *Cum a jure tam divino, quam humano, laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit* ». Et

3° Tertia sententia, quae plurium theologorum est, eam a *jure positivo humano* profectam asserit. Inducta fuit, inquiunt, concessionibus principum, sed Ecclesiae acceptatione et consuetudine consecrata est, ita ut sit ex parte potestatis civilis irretractabilis. Et meritò quidem, addunt ; nam necessaria est ad melius et liberius ministrandum ecclesiis.

Sententiam suam fundant in eo quod nulla sit novi Testamenti lex, quae clericos a jurisdictione principum saecularium exemerit ; quin potius CHRISTUS Dominus et Apostoli proclamant independentiam status civilis in ordine rerum temporalium, et exigunt a fidelibus subjectionem potestatibus sublimioribus. Id autem in primitiva Ecclesia obtinuit [1].

4° Inter duas ultimas opiniones mediam tenent Bellarminus [2], aliique probati auctores. Juxta quos immunitas clericorum *non est juris divini* hoc sensu quod expresse et formaliter in S. Scriptura statuatur ; sed eo sensu quod deducatur a nonnullis exemplis veteris Testamenti. Sic etiam *non est juris naturalis* hoc sensu quod fundetur in primariis juris naturalis principiis eorumve proximioribus et necessariis consequentiis ; sed eo sensu quod *juri naturali, aequitati, reverentiae, quae Religioni et statui clericali debeatur, valde conveniat* et consona sit. Hae sunt juris naturae deductiones remotae, quae debent jure positivo humano determinari. Quae determinatio reipsa facta est formaliter jure ecclesiastico, a potestate civili olim tam universaliter sancito, ut ad jus gentium prope accedat [3].

In hac igitur sententia immunitas clericorum profecta est *a jure naturali et divino suadente et inducente, a jure ecclesiastico determinante, et a jure civili et gentium obsequente.* Ideo Romano Pontifici, summo rectori Ecclesiae universalis, competit determinare juxta temporum locorumque adjuncta ad quae sese extendat immunitas clericalis et quae vero hac de re potestati civili cedere valeat et debeat.

Haec doctrina rite componitur *a/* cum textibus Conciliorum, quos *supra* citavimus.

Ad argumentum desumptum ex Concilio Later., quo probatur immunitatem esse juris divini, respondent hujus sententiae auctores, olim verbis

---

Concilium Trid., *Sess.* XXV, cap. 20, *De ref.*, affirmat « *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam* ».

1. Cf. Epist. ad Rom., c. XIII, 1 ; I S. Petri, c. II, 13 ss. Cf. MAROTO, *o. c.*, p. 598, c).

2. *O. et l. c.*, l. I, c. 28 ; cf. MOULART, *L'Église et l'État*, p. 535 ss. Cf. etiam CAVAGNIS, *o. et l. c.*, p. 217 ; LAURENTIUS, *o. c.*, n° 106, p. 94 ; FERRERES, *o. c.*, n. 259 ; WERNZ, *o. c.*, t. V, n. 291 s.; MAROTO, *o. et l. c.*, d) ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 197.

3. FERRERES, *o. c.*, n. 261.

Jus divinum non semel intellectum fuisse jus canonicum ; verbis vero *Jus humanum,* jus civile [1].

Deinde ad hoc, quemadmodum et ad argumentum ex Tridentino respondetur, similes locutiones rite componi cum tradito sensu de immunitate inducta jure humano, juri divino conformi et in eo fundato.

b/ Cum locutionibus RR. Pontificum, inter quos Pius IX brevi *Multiplices inter,* 10 junii 1851, asserit Ecclesiae, et personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* constitutam.

c/ Cum modo agendi Ecclesiae, quae semper ex una parte contra juris hujus laesionem reclamavit ; ex altera tamen saepe indulgentiam, vel tolerantiam hac in re adhibuit.

Ex his intelligitur, quare Pius IX scripserit ad Episc. Montisregalensem, 29 sept. 1864, *legem de clericis militiae adscribendis esse iniquissimam, omnibus divinis, ecclesiasticis, humanisque juribus vel maxime adversam, omnino reprobandam et damnandam esse* [2].

Intelligitur quoque quare Pontifex damnarit in *Syllabo* Prop. XXXII : *Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur ; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in civitate ad formam liberioris regiminis constituta* [3].

TITULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

359. — Praenotiones. Fontes. 1° « Ut Deus in lege veteri Levitas in suum ministerium assumpsit, sic in nova in suos ministros sibi segregavit clericos, qui quanto magis fuerint elati in honore, tanto fidelius debent leges sibi constitutas observare, *ne sit honor sublimis et vita deformis,* ut S. Ambrosius aiebat [4] ».

Clericorum vita, *interna* sanctitate, et *externa* aedificatione pollere debet, non solum *negative* quoad immunitatem a peccato, sed etiam *positive* quoad virtutum exercitium. Hoc constat tum ex ipsa excellentia status, et officio quod profitentur, tum ex S. Scriptura et positivis Ecclesiae ordinationibus.

2° Multa generatim de obligationibus clericorum scribit S. Paulus, I Tim., III et IV ; II Tim., IV ; Tit., I et II ; II Cor., VI ; necnon S. Petrus, I, V.

3° De iisdem postea latae fuerunt peculiares leges, quae potissime continentur sequentibus *Decretalium* titulis : L. III, tit. I, *De vita et honestate clericorum* [5] ; tit. 2. *De cohabitatione clericorum et mulierum ;* tit. 50. *Ne*

---

1. Cf. c. 2, in VI, V, 7 ; c. 1, X, II, 7. Cf. annotatio fontium in Codice ad can. 120.
2. Cf. Breve 25 martii 1869.
3. Cf. MAROTO, *o. c.,* n. 512, p. 599 s., de vi consuetudinis contrariae immunitati clericorum.
4. FERRARI, *Summa institutionum canonicarum,* t. I, n° 66.
5. Eodem loco in VI Decret., in Clement. Extravag. commun. Cf. commentatores ad illos titulos.

clerici, vel monachi saecularibus negotiis se immisceant ; L. V, tit. 24, *De clerico venatore ;* tit. 25, *De clerico percussore.*

Concilium autem Tridentinum passim, et praesertim *Sess.* XIV, Prooem., et cap. 6. *de ref.*, et *Sess.* XXV. cap. 1 et 14, *de ref.*, varia sancivit, ut clerici vitam agant sua vocatione dignam. Et merito quidem ; etenim « *nihil est,* ait *Sess.* XXII, cap. I, *De ref., quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt... Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant ; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima sunt, effugiant, ut eorum actiones afferant venerationem* ».

In hunc finem renovat Sancta Synodus et sub iisdem poenis confirmat ea omnia, quae clericis praecepta, vel prohibita fuerunt a RR. Pontificibus et a SS. Conciliis [1].

Prodierunt de illa materia praeclara documenta Pontificum, signanter Leonis XIII [2] et Pii X [3].

4° De his obligationibus agit codex can. 124-144 [4].

§ 1. DE IIS QUAE CLERICIS COMMUNITER PRAECEPTA SUNT.

Praecepta ista referuntur ad *sanctitatem vitae,* ad *obedientiam et reverentiam Episcopo debitam,* ad *studium,* ad *castitatem servandam,* ad *Officium divinum recitandum* et ad *externum corporis cultum.*

360. — I. **Sanctitas vitae.** Principium generale enuntiat can. 124 : « Clerici ex obligatione status sui debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere. »

1° *Exercitia pietatis* [5]. Quem in finem, « *curent* locorum Ordinarii : a) ut clerici omnes poenitentiae sacramento *frequenter* (semel in hebdomada, aut bis in mense) conscientiae maculas eluant ; b) ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant,

1. Cf. Schema Conc. Vatic. de vita et honestate clericorum, ap. *Coll. Lacen.*, t. VII, p. 659 ss.; H. LAEMMER, *o. c.*, p. 81 ss.; GRANDERATH-KIRSCH, *Gesch. des Vatikan. Konzils,* t. II, p. 107 ss.; *Études,* 1909, t. CXIX, p. 484 ss. Cf. GUIBERT, *Contribution à l'éducation des clercs,* Paris, 1914.

2. Encycl. ad Epp. Italiae, 15 febr. 1882 ; Oratio de scientia et pietate sacerdotali, 18 jan. 1885 ; Encycl. ad Epp. Hungariae, 22 aug. 1886 ; ad Epp. Bavariae, 22 dec. 1887, ad Epp. et clerum Galliae, 8 sept. 1899, ap. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 557 ss.; ad Epp. Italiae, 8 dec. 1902, *ibid.*, t. VIII, p. 73 ss. Cf HILLING, *Die Gesetzgebung Leos XIII,* in *Arch. f. kath. Kr.*, 1913, t. XCIII, p. 11 ss.; p. 23 ss.

3. Exhortatio ad clerum catholicum, 4 aug. 1908, ap. *Coll. Brugen.*, 1908, t. XIII, p. 541 ss.; Litter. ad Epp. Italiae, 28 jul. 1906. Cf. HILLING, *Die Reformen des Papstes Pius X,* t. I, p. 46 ss.; t. II, p. 16 ss.

4. Quoad religiosos, cf. can. 592 et 679.

5. Cf. Exhortatio Pii X ad clerum catholicum. Cf. *Nederl. kath. Stemmen,* 1921, t. XXI, p. 162 ss.

conscientiam suam discutiant » (can. 125). Quas obligationes statutis dioecesanis determinatius praescriptas urgere valet Ordinarius per hortationes et praecepta, adjectis in negligentes etiam levioribus poenitentiis.

Huc adduci juvat praescripta can. 805 : « Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum », et can. 810 : « Sacerdos ne omittat ad Eucharistici Sacrificii oblationem se piis precibus disponere, eoque expleto, gratias Deo pro tanto beneficio agere. »

2° *Exercitia spiritualia.* « Omnes sacerdotes saeculares debent tertio *saltem* quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia religiosave domo ab eodem designata vacare ; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, justa de causa ac de expressa ejusdem Ordinarii licentia » (can. 126) [1].

De exercitiis spiritualibus vide *Statuta,* p. 11 ; *Congr. pros.,* a. 1907, n. 7, ap. *Coll. Brug.,* t. XII, p. 387 ; a. 1912, n. 6, *ibid.,* t. XVII, p. 359 ; a. 1914, n. 10, *ibid.,* t. XIX, p. 434.

3° *Humilitas, modestia, charitas, pietas.* Fugiant clerici superbiam [2], ambitionem, prodigalitatem et maxime avaritiam [3].

Cf. *Stat. Brug.,* p. 30 ss., coll. p.21, ubi modestiae et prudentiae causa stricte prohibetur, ne clerici, tam saeculares quam regulares, maris littora adeant, balnea sumendi causa, nisi de expressa Episcopi licentia, in casu tantum infirmitatis verae et ex mandato medici scripto concedenda et singulis annis renovanda. Cf. Decr. Congr. prosyn., an. 1879, n. 3. Vide etiam decr. ejusd. Congr., an. 1858, n. 8 et 9 ; 1861 et 1868, n. 13.

4° *Frugalitas* cum *hospitalitate* conjuncta. Varia disciplinae ecclesiasticae capita, et praesertim loca citata e Tridentino clericis interdicunt compotationes et lauta convivia, tam in propria, quam aliena domo [4].

Statuta Brug., p. 24 s., quamplurimum dissuadent coenam apud laicos sumere ; prohibent vero conviviis puerperarum, vel conviviis nuptialibus, aut horum appendicibus *(le dessert, le café),* quantumvis honestissimis, ipso nuptiarum die, sub quocumque praetextu interesse. Quod potiori jure intelligendum est de iis conviviis, in quibus choreae et tripudia ducuntur, quovis tempore et loco haec tandem instituantur. Cf. *ibidem,* p. 17, 25 et 177 ; Decr. Congr. prosyn., an. 1865, n. 19 ; an. 1866, n. 5 ; et an. 1891, n. 4.

---

1. Cf. idem praescriptum pro clero romano in litteris Pii X, 27 dec. 1904 et Em. Card. Vicarii, 25 jan. 1905, ap. *An. Eccles.,* 1905, t. XIII, p. 61, 82 ; WERNZ, *o. c.,* t. II, p. I, p. 276, n. 182 ; FERRERES, *o. c.,* n. 277 ; MAROTO, *o. c.,* n. 534.
2. Quoad decorationes civiles, cf. *Études, l. c.,* p. 493 ss.
3. Cf. Conc. Trid. Sess. XXII, c. 1, de ref.; Sess. XXV, c. 1, de ref.
4. Conc. Trid. Sess. XXII, c. 1, de ref.; Sess. XXV, c. 1, 8, de ref.; WERNZ, *o. c.,* p. 279, n. 187.

361. — II. Reverentia et obedientia Ordinario debita[1]. « Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi » (can. 127).

Episcopi, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, habent intentionem fundatam in jure quoad potestatis suae exercitium in propria dioecesi, ideoque possunt ea decernere quae ad rectum animarum regimen et bonum opportuna duxerint. In exsequendis autem eorum mandatis quam maxime decet ut presbyteri caeteris subditis exemplo praeeant, qui idcirco, si inviti fuerint et reluctantes, possunt ad obedientiam cogi[2]. Hujusmodi vero obligatio non *nititur* tantum potestate jurisdictionali Episcopi in omnes fideles et specialius strictiusque in *clericos* ad servitium ecclesiae vocatos et ordinatos, praesertim si titulo servitii dioecesani ordinati sint, sed exsurgit etiam ex formali obedientiae promissione a sacerdotibus in actu S. Ordinationis edita et non raro jure particulari juramento confirmata relate ad beneficiarios et administratores ecclesiasticos[3]. Si ex illis sponsionibus non enascitur nova obligationum materia, inde tamen oritur novum vinculum fidelitatis imo et justitiae, quo clericus erga Episcopum ligatur[4].

Vi praedictae obedientiae Episcopo debitae, tenentur clerici servare leges et decreta ab Ordinario, sive in synodo, sive extra illam, pro recto dioecesis regimine legitime condita.

Praeterea, ratione adscriptionis servitio alicujus dioecesis et ratione ordinationis factae pro dioecesis necessitate, « suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum[5], quoties et quamdiu id, judicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset » (can. 128) ; ideo eis non licet, etiam si beneficia veri nominis non teneant, e munere suo recedere, sine Ordinarii licentia[6]. « Et revera hoc fluit ex ipsa ordinationis natura ; nam non sine causa obedientiam et reverentiam Ordinario suo in actu ordinationis spoponderunt sacerdotes ; nec clerici in sortem Domini otiose vocati sunt, aut gratiam sacramenti receperunt, ut solum sibi prodessent, sed potius ut et aliis tribuerent... Imo quoties

---

1. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *De canonica cleri saecularis obedientia*, Lovanii, 1904; WERNZ, *o. c.*, p. 282 ss.; *Rev. eccl. de Metz*, 1905, t. XV, p. 421 ss.; *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1912, t. XII, p. 9 ss., 67 ss.; *Theol.-Prakt. Quart-Schr.*, 1914, t. LXVII, p. 33 ss.

2. Cf. c. 2, 4, 9, X, I, 33 ; S. C. C., in *Asculana*, 11 jul. 1767, § 4 ; BENED. XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 1, n. 3.

3. Quoad fundamenta obedientiae canonicae, cf. CLAEYS-BOUUAERT, p. 7 ss.

4. *Ibid.*, p. 31 ss.

5. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.*, p. 260 ss.

6. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.*, p. 281 ss.

necessitas bonumque publicum id exigat, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos cogi posse ad sedulam navandam operam pro salute animarum, certissima sententia est, quam S. C. C. passim probavit ac sanxit. Satis est consulere quae in *Urbevetana,* 10 maii 1766, in *Tridentina, Curae animarum,* 18 augusti 1860, in *Civitatis Castellanae,* 11 julii 1862... aliisque constanter decisa sunt »[1]. Aliunde onera in jure non expressa, *seclusa necessitate vel consuetudine,* clericis non sunt imponenda. Ita *munus pastorale* est onus extraordinarium quod nullo modo uti omnibus injungendum in jure concipitur ; adeo ut tantum sacerdotibus liberis et idoneis in casu necessitatis possit imponi etiam comminatis poenis, et quousque Episcopus necessitatibus vacantium paroeciarum alio modo providere nequeat[2].

362. — III. **Doctrina** et scientia requiritur in clericis, qui si ignorent, ignorabuntur, et si sint stulti in culpa erunt sapientes in poena. Non tamen eminens scientia in iisdem, absolute requiritur ; sed scientia sufficiens ad populum docendum et ad sacramenta administranda...

« Quamvis haec clericorum scientia omnia complecti debeat bona studia... tamen necessaria est ipsis potissimum scientia sacrarum Scripturarum, quia juxta S. Hieronymum *ignoratio Scripturarum, ignoratio* CHRISTI *est ;* scientia sacrae theologiae, praecipue moralis, et scientia juris canonici, quia *nulli sacerdotum licet canones ignorare,* uti legitur can. 4, dist. 38 »[3].

Ideo sapientissime statuit codex :

1° *Studia.* « Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant ; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a majoribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam » (can. 129)[4].

Cf. *Statuta,* p. 12-17.

2° *Examen.* « Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci

---

1. Folium in *causa Forojulien.,* S. C. Conc., 31 jan. 1891, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XXII, p. 355 ss. Cf. decreta in *Tolosana,* 9 maii 1884, *ibid.,* t. XVI, p. 565 ss., 17 jan. 1886 et 5 martii 1892, *ibid.,* t. XXIV, p. 356 ss.; aliae causae cit. ap. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 276.

2. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 278 s.; vide FAHRNER, in *Strassb. Dioezesanblatt,* 1911, t. XXX, p. 68 ss.; *Collat. Tornacen.,* 1913, n° 499, p. 270 ss. Cf. etiam *Anal. eccles.,* 1893, t. I, p. 509 ; 1896, t. III, p. 479. Vide *Causam S. Joannis de Mauriana,* S. C. Conc., 6 aug. 1910, ap. *AAS.,* t. II, p. 911 ss.

3. Cf. FERRARI, *o. c.,* t. I, n° 76 ; *Dict. de théol. cath.,* v° *Compétente science ;* LAURENTIUS, *o. c.,* p. 96 s. Vide Trid., Sess. XXIII, c. 24, de ref. ; litt. Leonis XIII de studiis litterarum, 20 maii 1885, ap. *ASS.,* t. XVII, p. 513.

4. Cf. encyclicam *Pascendi,* 8 sept. 1907.

ob justam causam fuerint exempti, *examen* singulis annis *saltem per integrum triennium* in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum » (can. 130, § 1) [1].

« In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum, qui ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt » (can. 130, § 2).

« Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti hoc examen facere renuerint, ab Ordinario poenis congruis ad illud cogantur » (can. 2376).

Cf. *Collect. epist. pastor.*, t. XVI, p. 5 ; *Calend. liturg. dioecesis*, ad calcem.

3° *Collationes* [2]. a) « In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis, saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, de re morali et liturgica ; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas judicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam » (131, § 1).

b) « Si conventus haberi difficile est, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas » (can. 131, § 2).

c) « Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes [3] et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur [4], alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt » (can. 131, § 3).

d) « Sacerdotes contra praescriptum can. 131, § 1 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat ; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat » (can. 2377).

Cf. *Statut. dioec.*, p. 174 ss.; Decreta Congr. pros., a. 1871, n. 4 ; 1884, n. 1 ; 1886, n. 5 ; 1897, n. 1 ; et praesertim Epistola circularis quam ad clerum suum dedit Ill^mus WAFFELAERT, 29 oct. 1895, ap. *Coll. Brug.*, t. I, p. 8 ; et die 15 oct. 1898, *ibid.*, t. III, p. 605 s., cf. etiam *ibid.*, t. VII, p. 352, III, 2°. Vide etiam infra in sectione II, tit. VIII, cap. X, de obligationibus viceparochorum.

1. Quoad sacerdotes religiosos, cf. can. 590. — Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 561.
2. Cf. BENED. XIV, const. *Firmandis*, 6 nov. 1714, § 9 ; LEO XIII, const. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881 ; BENED. XIV, *Institut. eccles.*, 103 ; AICHNER, *o. c.*, § 134 ; LUCIDI [2], *De visitatione SS. Liminum*, t. I, p. 478 ss.
3. Illi sunt qui ex officio (parochi, vicarii) suscepto auxiliares facti sunt cleri saecularis ad regendas animas saecularium.
4. Ad normam can. 591.

363. — IV. **Castitas.** In hac materia abstineant clerici non tantum a malo, sed ab omni specie mali [1].

Cf. *Stat. dioec.*, p. 18.

1° Huc primo facit lex *coelibatus* et *perfectae castitatis*, qua in *Ecclesia latina* a) omnes clerici *in majoribus ordinibus constituti*, nempe ab episcopatu ad subdiaconatum inclusive α) *a nuptiis arcentur*, ita ut nec licite uti possint matrimonio contracto ante sacram ordinationem ; nec licite nec valide postea illud contrahere [2], et clerici majoristae hoc attentantes fiant irregulares ex delicto et incidant in excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatam [3] ; β) *servandae castitatis perfectae obligatione* ita tenentur, ut contra eamdem peccantes, etiam peccato interno, sacrilegii quoque rei sint (can. 132, § 1) [4].

Illa disciplina coelibatus, quae nititur praestantia virginitatis, reverentia sacerdotii et exigentiis officiorum ecclesiasticorum [5], *in ecclesia Occidentali* prius praxi et *consuetudine* introducta est, antequam expressa lege sanciretur. Ita clerici conjugati majorum ordinum ab usu matrimonii fuerunt exclusi, et viri soluti et coelibes, ad ordines majores admissi, a matrimonio postea contrahendo fuerunt prohibiti. Prima lex expressa fuit canon 33 Conc. Illiberitani (a. 300-306), episcopos, presbyteros, diaconos et clericos in ministerio altaris positos se abstinere a conjugibus jubens [6]. Cui sanctioni eodem saeculo aliae accesserunt, inter quas principem locum occupat epistola Siricii Papae ad Himerium Episcopum Tarraconensem (a. 385) [7]. Mox extensa est obligatio coelibatus ad subdiaconos, quam obligationem Leo M. (a. 446) [8] clare supponit. Illa lex coelibatus, qua obstringuntur episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi, iique soli, saeculis sequentibus fuit innovata et confirmata [9].

---

1. Cf. Trid., *ll. cc.;* BENED. XIV, *De Synod.* l. XI, c. 4, n° 4 ad 7 ; ejusd. auct. *Institut. eccles.*, LXXXII et LXXXIII ; WERNZ, *o. c.*, p. 281, 295 ss., 311 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 536.
2. Cf. can. 1072 ; DE SMET, *o. c.*, n. 571 ss.
3. Cf. can. 985, 3° ; 2388.
4. Salvo praescripto can. 214, § 1.
5. WERNZ, *o. c.*, p. 297. Cf. etiam BRUSCHELLI. *Il celibato ecclesiastico*, Romae, 1901 ; AUFFROY, *Le célibat des prêtres*, in *Études*, 1912, t. CXXXIII, p. 5 ss., 206 ss. ; *Arch. f. kath. Kr.*, 1911, t. XCI p. 756 ss.; *Rev. du cl. franç.*, 1912, t. LXIX, p. 631 ss.; Epist. circ. Episc. Rottenburg., de coelibatu clericali, 1 jan. 1911, ap. *Arch. f. kath. Kr., l. c.*, p. 524 ss.; Epist. Bened. XV, 29 jan. 1920, ad Episc. Bohemiae, *AAS.*, 1920, t. XII, p. 57 s.; Allocutio Benedicti XV in Sacro Consistorio, 16 dec. 1920, ap. *AAS.*, ibid., p. 585 ss.
6. Cf. HEFELE-LECLERCQ, *o. c.*, t. I, p. 238, coll. p. 295, 620 ss.
7. Cf. c. 3, D. 82 ; MIGNE, *PL.*, t. LVI, col. 558.
8. Cf. c. 1, D. 32.
9. De historia caelibatus, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 297 ss.; DE SMET, *o. c.*, n. 581 ; MAROTO, *o. c.*, n. 539. ; VACANDARD, *Les origines du célibat ecclésiastique*, in *Études de critique et d'histoire religieuse* [3], 1e sér., p. 71 ss., Paris, 1906; STAMPFL,

Porro disputatur num in ecclesia latina obligatio coelibatus et perfectae castitatis sit *ex solo praecepto Ecclesiae,* an vero etiam praecipiatur *specialis forma* qua illa obligatio suscipienda sit, nempe per *votum* perfectae et perpetuae castitatis in susceptione subdiaconatus *sponte* et *tacite* emittendum, cui voto Ecclesia naturam voti solemnis donarit ; unde in hac sententia impedimentum matrimonii non esset *directe* ab ecclesia statutum et immediate annexum ordinationi, sed *indirecte* tantum, mediante illo voto solemnizato [1].

b) Clerici *minores* possunt quidem nuptias inire, sed nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ergo salva hac unica exceptione, ipso jure e statu clericali decidunt, seu reducuntur ad statum laicalem et amittunt privilegia clericalia (132, § 2) [2].

c) « Conjugatus qui sine dispensatione pontificia ordines majores, licet bona fide, (ob, v. gr., praesumptam mortem uxoris) suscepit, ab eorumdem susceptorum ordinum exercitio prohibetur » (can. 132, § 3) [3].

364. — 2° Ne fama sanctitatis in clerico cum dedecore totius ordinis laedatur et ad vitandum incontinentiae periculum, ejus *cohabitatio et familiaris conversatio cum mulieribus* lege ecclesiastica restringitur [4].

a) « Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent » (can. 133, § 1). Suspectae esse possunt mulieres, ratione aetatis, levitatis morum, immodestiae etc.

Der Verpflichtungsgrund des Zoelibates der Geistlichen in der Latein. Kirchen, in *Weidenauer Studien,* Bd. II, p. 133-184, Wien, 1908 ; *Dict. de Théol. cath.,* v° *Continence ; Dict. de lit. et d'archéol. chrétiennes,* v° Célibat ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 234 ss.; ubi ampla habetur bibliographia... Cf. eosdem auctores pro historia et disciplina caelibatus in *Ecclesia orientali.* In hac « lex coelibatus imposita est episcopis. Sacerdotes quidem conjugati, consentiente uxore, in episcopos consecrari possunt, sed debent tunc ab usu matrimonii prorsus abstinere ; immo ordinarie uxor debet religionem profiteri. Sacerdotes et diaconi possunt uti matrimonio inito ante susceptionem diaconatus ; nequeunt autem ordine diaconatus jam suscepto matrimonium vel secundas nuptias inire. Hodiernis temporibus lex coelibatus jam in Ecclesiis orientalibus magis magisque observatur. » Ita PRUEMMER, *o. c.,* p. 90 s. Cf. MAROTO, *o. et l. c.*

1. In hanc sententiam consentiunt WERNZ, *o. c.,* p. 303 ss., cum multis auctoribus *ibid.* citatis ; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 107 ; BARGILLIAT, *o. c.,* n. 424 ; FERRERES, *o. c.,* p. 113 ; MAROTO, *o. et l. c.;* et alios citatos a SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 238, nota (9). In sensum contrarium : SCHARNAGL, *Das feierliche Gelübde als Ehehindernis in seine geschichtliche Entwicklung dargestelt,* p. 203 ss., Freiburg-Br., 1908 ; SAEGMUELLER, *o. et l. c.,* et *ibidem* citatos ; DE SMET, *o. c.,* n. 573 ss. et *ibid.,* citatos ; HARING, *o. c.,* p. 163 ; HEINER, *o. c.,* p. 225 ; BLAT, *o. c.,* p. 67. Cf. *L'ami du clergé,* 1920, t. XXXVII, p. 636 ss.

2. Ratione adepti beneficii non adiguntur ad coelibatum, uti vult PRUEMMER, *o. c.,* p. 90 ; sed ob tacitam renunciationem ipso jure vacant omnia eorum officia et beneficia, ob matrimonium, etiam civile ut aiunt, ab eis contractum, cf. can. 188, 3°.

3. Cf. can. 987, 2°. Cf. postea, lib. III, pars I, tit. VI, cap. 1, art. 2.

4. Cf. tit. 2, lib. III *Decretalium.* Cf. quoad historiam, MAROTO, *o. c.,* n. 544.

b) « Eisdem licet cohabitare [1] cum illis mulieribus : α) in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et hujusmodi » (can. 133, § 2). Inde, consentientibus auctoribus [2], licitum est clericis, generatim loquendo, habitare cum feminis sibi in *primo* et *secundo* gradu *consanguinitatis* aut *affinitatis* conjunctis ; β) « aut a quibus spectata morum honestas, cum provectiore aetate [3] conjuncta, omnem suspicionem amoveat » (can. 133, § 2). Quae regula applicanda est ancillis clericorum et etiam famulis consanguinearum aut affinium cum quibus clerici licite habitant [4].

Caeterum penes Ordinarium loci est in hac materia pressius determinare quae leges communes generali tantum ratione praescribunt, v. gr. statuendo certam aetatem infra quam ancillae admitti nequeant. Imo non excederet jus suum Episcopus qui ediceret nullam mulierem ad hanc cohabitationem admitti posse, nisi prius a se probata fuerit.

Unusquisque igitur, praeter legem communem, attendat ad particularia dioecesis suae statuta.

[1] Pro dioecesi Brugensi, vide *Statuta*, p. 19 ss. ; Decr. Congr. prosyn., an. 1860, n. 6 ; 1861, n. 1 et 10 ; 1868, n. 13 ; 1883, n. 10 ; 1886, 2 ; 1889, n. 1 ; 1897, ad II (*Collat. Brugen.*, t. II, p. 428).

c) Praeterea « judicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum [5], ad *Ordinarium loci* pertinet, cujus est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere » (can. 133, § 3). Cui prohibitioni etiam a clericis religiosis parendum est [6]. Clerici, qui retinendo aut frequentando mulieres, in suspicionem incontinentiae venerunt et ab Ordinario moniti hanc suspicionem non vitant, praesumuntur concubinarii (can. 133, § 4 ; 2176).

1. Cf. c. 16, D. 32, ubi adducitur praescriptio can. 3 concilii Nicaeni I : Non licet clerico introductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel easdem tantum personas quae suspicionem effugiunt ». Cf. de illis mulieribus subintroductis seu agapetis, WERNZ, *o. c.*, p. 312 s., coll. p. 311, nota (253) ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 228, nota (2) ; HEFELE-LECLERCQ, *Hist. des conciles*, t. I, p. 536 ss.; QUADT, *Subintroductae mulieres*, in *Zeitschr. f. kath. Theol.*, 1910, t. XXXIV, p. 27 ss. « Erant mulieres Deo devotae, quas clerici per quamdam speciem pietatis sibi in filias vel sorores vel matres spirituales adsciscebant et domi retinebant », WERNZ, *o. c.*, p. 312.

2. Cf. v. gr. BENED. XIV, *Instit. eccles.*, LXXXII, n. 1.

3. Aetas canonica generatim intelligitur quadraginta annorum. Quae interdum fuit reducta ad triginta aut aucta ad quinquaginta annos. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 314.

4. Cf. de ancillis sacerdotum BENED. XIV, *o. et l. c.*, n. 3 ; HARING, *Grundzüge des kath. Kr.*, p. 149 ; *Rev. eccles. de Metz*, 1912, t. XXIII, p. 278 ss.

5. Quod etiam applicandum est frequentationi, scandalo aut periculo obnoxiae, sanctimonialium. Cf. c. 8, X, III, 1 ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 99.

6. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 70.

d) Severissimis poenis [1] Ecclesia puniendos jubet *clericos concubinarios*, eos sc. qui cum muliere habitualiter turpe commercium haberent aut qui moniti suspectae mulieris cohabitationem servarent vel cum femina familiaritatem suspectam haberent [2]. Contra eos Episcopi sine strepitu et forma judicii procedere possunt [3], omni appellatione remota [4].

e) De clericorum delictis contra sextum decalogi praeceptum, cf. cann. 2358, 2359, § 2 et 3 [5].

365. — 3° Ad meliorem castitatis custodiam et in mutuam aedificationem, « *consuetudo vitae communis* inter clericos laudanda et suadenda est, eaque ubi viget, quantum fieri potest, servanda » [6] (can. 134). Hanc communitatem vitae urgere potest Episcopus [7]. Facile perspicitur inde plura bona non tantum in ipsos clericos manare posse, ac etiam in populum, si tamen sit etiam communitas animorum [8].

Vide *Statuta*, p. 93.

366. — V. **Recitatio canonicarum horarum.** « Clerici in majoribus ordinibus constituti [9], exceptis iis de quibus in can. 213, 214 [10], tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros » (can. 135).

367. — VI. **Ad externum corporis cultum** refertur praecipue :

A. Obligatio deferendi *habitum clericalem* et *tonsuram*.

1° Quinque prioribus saeculis *clericalis habitus* [11] proprius exstitisse non videtur : vestis clericorum a communi laicorum, neque forma, neque colore, sed modestia tantum et simplicitate distinguebatur [12]. Verum, a saeculo sexto et deinceps, apparet discrimen inter vestitum laicorum et clericorum:

1. Cf. can. 2359, § 1 ; SOLE, *o. c.*, p. 335 ss.
2. Cf. Trid. Sess. XXV, c. 14, de ref.; WERNZ, *o. c.*, p. 318.
3. Cf. can. 2176 ss.
4. Cf. can. 2146, coll. can. 1601.
5. Cf. SOLE, *o. c.*, p. 335 ss.
6. Cf. can. 476, 5°.
7. Cf. *Causa Sarajeven.*, 28 jun. 1895, ap. *ASS.*, t. XXVIII, p. 277.
8. De vita communi et etiam de aliis mediis ad praecavenda pericula ex consortio cum ancillis, cf. GRANDERATH-KIRSCH, *o. c.*, p. 190 ss.; *Études, l. c.*, p. 488 ; HARING, *o. c.*, p. 150 ; V. SCHERER, *o. c.*, t. I, p. 384 ; FERRERES, *o. c.*, p. 292 ; *Nederlandsche kath. Stemmen*, 1920, t. XX, p. 50 ss.; *Un document du St Siège ayant trait à la vie commune des clercs*, Liége, 1920. Cf. etiam *Ordo servandus in relat. de statu eccles.*, 31 dec. 1909, n° 71.
9. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 535. — Quoad clericos beneficiatos, cf. can. 1475, § 1 ; Declaratio S. Poenitentiariae circa obligationem divini officii recitandi clericorum in sacris qui lege civili coacti in bello versantur, 17 martii 1916, *AAS.*, 1916, t. VIII, p. 108.
10. Ii sunt qui ad statum laicalem legitime redacti aut regressi sunt, et illi qui metu gravi coacti ordinem sacrum receperunt.
11. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 266 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 549.
12. Cf. WILPERT, *Die Gewandung der Christen in den ersten Jahrhunderten*, Köln, 1898.

cum enim barbari, qui Italiam invaserant, usum vestis romanae brevioris induxissent, clerici vestem oblongam retinuerunt. Attamen, ante Concilium Tridentinum non existebat certa lex circa formam et colorem habitus clericalis ; et ipsum Concilium generali tantum modo praescripsit ut clerici in sacris constituti vel beneficiati deferrent « *honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum* »[1]. Sixtus V, 9 jan. 1589, const. *Cum Sacrosancta,* vestem *talarem* clericis deferendam injunxit, sub poenis a Conc. Trid. statutis contra clericos habitum clericalem non deferentes ; sed brevi constitutio sixtina fuit ab ipsis RR. Pontificibus quoad poenas temperata[2] : huic autem moderationi accessit usus et praxis timoratorum, et tolerantia Pontificum et praesulum, qui insistere consueverunt ut pro sacris praesertim functionibus vestis talaris indueretur, sed permiserunt simul vestes longiores, infra genua tamen descendentes, iis praecipue qui ruri degebant. Observat tamen Ben. XIV[3], quod « fere omnia, quae post Tridentinum celebrata sunt concilia (provincialia) clericos adegerunt ad gestandam *vestem talarem,* et quidem *nigri coloris* » ; et quum Conc. Trid. remittat Ordinariorum judicio statuere quaenam vestis ordini ac dignitati clericorum conveniat, nullum dubium quin Episcopus jus habeat determinare habitum a clericis deferendum, et quidem sub certis pœnis.

Nova disciplina extendit indiscriminatim ad *omnes clericos* quod antiquum jus praescripsit tantum clericis majoristis et beneficiatis, confirmando quoad caetera prius vigentem disciplinam[4]. Haec habet enim can. 136, § 1 : « *Omnes* clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant »[5]. Standum igitur est statutis uniuscujusque dioecesis.

Pro dioecesi Brugensi districte praecipitur « ut omnes et singuli sacris ordinibus initiati, in civitatibus vel oppidis suae residentiae... pileum triangularem[6], caligas nigras et collare romanum, vel illud, quod vulgo dicitur *rabat*[7], continuo gerant ; ac praeterea in publicum non procedant nisi induti toga talari seu subtanea veste... ; togae addant cingulum, et aestivo tempore, *mantilletum,* quoties in civitate exeunt aut ad civitatem accedunt... Pastores vero et vicarii, aliive clerici in itinere constituti, vel ruri commorantes, si veste talari sine vero incommodo indui nequeant, habeant saltem vestes longiores nigri coloris, vulgari et simplici modo confectas ». *Stat.,* p. 4 s. — Usus ruri deferendi vestes has longiores jam

1. Sess. XIV, c. 6, de ref.
2. Cf. Const. Bened. XIII, *Apostolicae Ecclesiae,* 2 maii 1725.
3. De Syn., l. XI, c. 8, n° 3.
4. Cf. quoad clericos religiosos, can. 596.
5. Cf. BENED. XIV, *l. c.;* LUCIDI, *De visitatione SS. Liminum,* t. I, p. 476 ; DE ANGELIS, *o. c.,* t. II, p. I, p. 12 ss.; LAEMMER, *o. c.,* p. 82 ; VAN DER LOOS, *Over de burgerlijke kleeding der priesters in het Bisdom Haarlem,* Haarlem, 1920 ; *De Katholiek,* 1920, t. CLVIII, p. 280 ss. Cf. S. C. Consist., 31 martii 1916, pro regione Canadensi, ap. *AAS.,* 1916, t. VIII, p. 148 ss. Unusquisque clericus potest quoad habitum ecclesiasticum sese conformare usibus loci ubi peregrinatur.
6. Jam defertur pileum rotundum seu romanum.
7. Cf. CLAUSS, *Rabat und Chorrock,* Strassburg, 1904 ; versio gallica hujus studii, in *Rev. eccl. de Metz,* 1905, t. XVI, p. 22 ss., 65 ss., 123 ss.

evanuit. — Cf. *Stat.*, p. 52 et 148 ; decr. Congr. prosyn., an. 1870, n. 6 ; 1875, n. 1 ; 1885, n. 6 ; et 1886, n. 1.

368. — 2° Eadem fere ratione inducta fuit lex *tonsurae* [1].

Tonsura triplex in ecclesiasticis monumentis occurrit, nempe tonsura *poenitentium, monachorum* et *clericorum saecularium*. Publice poenitentibus, in signum humilitatis et luctus, totum ad cutem tondebatur caput. Inde monachi in signum abjectae vanitatis mundi, poenitentium morem susceperunt. Clerici vero saeculares per quinque priora saecula nulla peculiari tonsura a laicis distinguebantur; ipsis solummodo praescripta erat modestia in capillitio, ac vetitum nutrire comam. Saeculo autem sexto, ut multorum opinio est, aemulati humilitatem monachorum, comae ornamentum deponere coeperunt, et coronam in capite gerere ad spineam coronam Salvatoris nostri praecipue significandam.

Vult can. 136, § 1 ut *omnes* clerici sive in ordinibus sacris sive in minoribus, sive beneficiati sive non, gestent tonsuram, seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, v. gr. in America Septentrionali.

Tonsura autem debet esse conspicua, atque ordini et dignitati cujusque clerici congrua [2].

369. — 3° *Gravitas culpae* eorum qui non deferunt *habitum* vel *tonsuram* [3].

a) Clerici non deferentes *habitum* mortaliter peccant, nisi adsit justa *causa excusans*, vel materiae *parvitas :* graves enim poenae in jure ipsis imponuntur. *Quantum vero temporis spatium* requiratur ad peccatum mortale, non in genere, sed ex variis circumstantiis determinandum est. Admittunt communiter esse veniale si, remoto ordinis contemptu et secluso scandalo aut malo fine, habitus *per unum alterumve diem* relinquatur ; imo Lacroix [4], spatium *quinque sexve dierum* pro materia levi habet, idque ex multorum auctoritate confirmat. Caeterum nullum committit peccatum qui in propria domo et occulte habitum non defert ; vel qui ex *causa legitima* vestes laicales assumeret, v. gr. clericus per loca infidelium aut haereticorum cum periculo gravis incommodi transiturus, vel etiam tempore persecutionis, etc. Ut autem assumantur vestes nigri vel saltem subobscuri coloris, ad genua usque productae, quibus clericus a laicis distingui possit, sufficere videtur quaecumque *causa rationabilis*, v. gr. itineris instituendi.

---

1. *Notae historicae* ap. WERNZ, *o. c.*, p. 272 s.
2. Cf. BENED. XIV, *Instit. eccl.*, XCVI, n. 1.
3. Cf. *Il Monit. eccl.*, 1912-1913, t. XXIV, p. 131 s., quoad obligationem ferendi tonsuram.
4. *O. c.*, l. I, n° 672.

Cf. *Statuta*, p. 5. — Solet Episcopus Brugensis, una cum debita licentia, itinerantibus concedere ut vestes longiores assumant, ubi idem necesse videtur.

b) Circa *tonsuram* multo mitius auctores loquuntur. Clerici saltem non peccant graviter, nisi omittant deferre tonsuram *sine causa excusante* et *habitualiter* aut *per notabile tempus*, quale hac in re non est tempus unius vel alterius mensis.

An vero sit grave tonsuram non deferre per annum integrum, non liquet [1].

370. — 4° *Poenae* quibus plectuntur hi qui habitum clericalem et tonsuram non deferunt (can. 2379) [2] :

a) Clerici *gaudentes officio vel beneficio* qui « *habitum ecclesiasticum* propria auctoritate et sine justa causa, deposuerint, nec illum, ab Ordinario moniti, intra *mensem* a monitione recepta resumpserint », ob tacitam renunciationem a jure admissam, amittunt ipso facto et sine ulla declaratione omnia officia et beneficia (can. 188, 7°).

b) *Minoritae* « qui propria auctoritate sine legitima causa *habitum ecclesiasticum et tonsuram* dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra *sex* menses emendaverint, *ipso jure* e statu clericali decidunt » (can. 136, § 3) [3].

c) Clerici *in sacris* contra praescriptum can. 136 similiter delinquentes graviter moneantur ; transacto inutiliter *mense* a monitione, ab ordinibus receptis suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec rursus moniti, resipuerint, post *tres* menses ab hac ultima monitione deponantur (can. 2379). Illae poenae sunt ferendae sententiae.

Nulla vero poena a jure statuta est adversus clericos qui tonsuram quidem non gerunt, aliunde tamen habitum ecclesiasticum gestant ; hi tamen possunt arbitrio Ordinarii puniri [4].

371. — B. Ad externum corporis cultum reduci possunt etiam ea quae clericis praescribuntur aut prohibentur ut maxima et nobilis reluceat simplicitas et mundities in omnibus quae ad ipsos pertinent et ab omnibus exulet vanitas. Quapropter iis prohibetur :

1° *Comae nutritio et relaxatio* quae morem vanum, lascivum et foemineum prae se fert [5]. « Omnes clerici, ait can. 136, § 1, capillorum simplicem cultum adhibeant ».

1. Cf. S. ALPH., *o. c.*, l. VI, n. 820 ss. ; D'ANNIBALE, *Summula theol. moralis*, ed. 4, P. III, n° 146 ; LEHMKUHL, *o. c.*, t. II, n° 609 et 610 ; GÉNICOT, *Theol. mor. instit.*, t. II, n° 34 ; OJETTI, *Synopsis*, v° *Tonsura ; Il Monit. eccl., l. c.*, p. 132.
2. Cf. SOLE, *o. c.*, p. 376 ss.
3. Cf. Decr. S. C. Immunit. eccles., 20 sept. 1860, ap. *ASS.*, t. III, p. 433.
4. Cf. *Il Monit. eccl., l. c.*
5. Cf. c. 4, 5, 7, X, III, 1.

Codex de abradenda *barba* [1] silet, non ideo tamen libertatem gestandi barbam modestae formae omnibus clericis saecularibus concessit, ita ut Episcopis competat prohibitionem ex consuetudine locorum aut legibus particularibus hucusque ubique vigentem in suo robore sustinere pro dioecesibus suis [2].

Cf. Decr. Congr. prosyn., ann. 1875, n. 1.

Quaeritur utrum possint clerici absque licentia *comam fictitiam* (gallice, *perruque)*, vel circulos gestare ?

In primis certum est, comam suppositiam a sacerdote infra missam non posse gestari absque licentia Sedis Apostolicae. Prohibitionis ratio est quod illicitum sit tecto capite missam celebrare [3].

Extra missam, si coma sit modesta et ex rationabili causa gestetur, atque tonsuram non tegat, alii nullam, alii cum Maschat arbitrantur licentiam Ordinarii necessariam esse [4]. Hodie Episcopi nullam jam praesumuntur licentiam exigere, eo quod coma ficta non in vanum ornamentum, clericali simplicitati contrarium, sed unice in calvitiei tegumentum, adhiberi solet [5].

Usus *circulorum*, seu fasciolarum, quibus ementiti capilli nativis capillis adnectuntur, per se ne quidem sacerdoti celebranti prohibetur ; sed ab Episcopo prohiberi potest [6].

2° Gestatio *annuli*. Clerici « annulo ne utantur, nisi id ipsis a jure aut apostolico privilegio sit concessum » (can. 136, § 2). Gestatio annuli conceditur a jure Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus benedictis, Doctoribus vel Magistris in theologia aut jure canonico [7]. His tamen prohibitus est usus annuli intra functiones sacras ; qui usus semper permitti-

---

1. Cf. RONCALLI, *S. Carlo Borromaeo e l'uso della barba negli ecclesiastici*, in *La scuola cattolica*, 1910, 4 ser., t. XVIII, p. 320 ss.; *Rev. des sc. ecclés.*, 1871, t. XXII, p. 402 ; *Pastor Bonus*, 1904-1905, t. XVII, p. 183, 231, 283 ; *Rev. du clergé fr.*, 1911, t. LXVIII, p. 613 ; GRANDERATH-KIRSCH, *o. c.*, t. II, p. 195 ; *Dict. de lit. et d'arch. chrét.*, v° *Barbe, chevelure ;* WERNZ, *o. c.*, p. 272 s.; PRUEMMER, *o. c.*, p. 94.

2. S. C. Conc., 10 jan. 1920, *Causa Wratislavien. et aliarum*, *ASS.*, 1920, t. XII, p. 43 ss.; *Il Monitore eccles.*, 1920, p. 104 ss.

3. Cf. S. ALPH., *o. c.*, l. VII, n° 398 ; *Nouv. rev. théol.*, t. V, p. 38 ; WERNZ, *o. c.*, p. 275.

4. Ita WERNZ, *o. et l. c.*

5. Cf. BENED. XIV, *o. c.*, l. XI, c. 9, n. 1-15 ; DE ANGELIS, *o. et l. c.*, p. 16.

6. Cf. BENED. XIV, *o. et l. c.;* ejusd. auct. *Instit. eccl.*, 96 et 34, n. 14 ; ejusd. auct., *De sacrif. Missae*, tit. I, cap. 9, n. 3 ss.

7. Cf. can. 1378 ; TROMBETTA, *De jur. et privil. Doctorum ecclesiasticorum*, ed. 2, Sorrente, 1911 ; cf. Resp. S. C. Studiorum, 18 dec. 1903, de doctoribus honorariis, ap. BUCCERONI, Supplementum alterum editionis 4tae et 5tae *Institutionum theologiae moralis*, Romae, 1911, p. 39 ; *Diction. de théol. cath.*, v° *grades théologiques.*

tur Episcopis ; praelatis inferioribus vero, dum pontificaliter celebrant [1].

3° Jactantia et ornatura in fulgidis et claris vestibus.

4° Prodigalitas in mensa, vel supellectili.

Stat. dioeces., p. 30 ; Decr. Congr. prosyn., ann. 1865, n. 19 ; 1891, n. 4.

5° De usu fibularum in calceis, vide Ben. XIV, *De Syn.*, L. XI, cap. IV, n. 2.

6° De luctu externo in morte propinquorum, *ibid.*, n.3.

7° De tabaci fumo, aut pulvere naribus attracto, *ibid.*, cap. XIII, 3.

Hac de re, in dioec. Brugensi, speciale existit statutum : « Usum tabaci fumici sacerdotibus dioecesis nostrae prorsus interdicimus in locis publicis quibuscumque; exempli gratia in plateis, in viis, in rhedis, in stationibus aut vehiculis viae ferreae ». Decr. Congr. prosyn. an. 1856, tit. I, n. 4, coll. decr. an. 1891, n. 2, et an. 1901, n. 4 (*Collat. Brug.*, T. VI, p. 396), ubi decernitur : « Ut principiis obstemus, prohibemus ne clericus quivis rheda tertiae seu infimae classis in via ferrea utatur, neve quovis in loco, quo cuicumque adventanti patet accessus, tabaco utatur fumico ».

8° Quoad usum rotae dictae *bicyclette,* cf. Resp. S. C. Epp. et Regg. 28 sept. 1899 [2].

Decret. Congr. prosyn., ann. 1920, n. 2, ap. *Coll. Brugen.*, t. XX, p. 304.

§ 2. NONNULLA CLERICIS COMMUNITER PROHIBITA.

Praenotanda. *Jure naturali,* clerici, saltem in sacris constituti, abstinere debent ab omnibus illis quae impediunt ne officio proprio rite fungantur, reverentiam statui clericali debitam minuant, vel proximo scandalum praebeant. Praeterea quaedam prohibitiones *jure positivo* determinantur, quarum praecipuas magisque practicas breviter recensebimus.

Generatim clerici vitare tenentur omnia oblectamenta vel officia saecularia quae honori et decentiae status sui repugnant (can. 138), aut quae ab illo statu aliena sunt (can. 139 ss.) ; in specie autem ipsis prohibita sunt sequentia [3] :

372. — I. **Fideijussio** [4]. « A fidejubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, *inconsulto* loci Ordinario » (can. 137). Quae obligatio reportandi consilium Ordinarii loci jure merito imponitur cum

1. Cf. can. 811, § 2 ; 325 ; Decret. auth. S. C. R., n. 483, 536, 2907, 3061, 3580, 3821. Vide BENED. XIV, *Inst. eccles.*, 34, n. 15 ; WERNZ, *o. c.*, p. 270.

2. Cf. *Arch. für kath. Kr.*, 1902, t. LXXXII, p. 310 ; *Rev. eccl. de Metz,* 1906, p. 272.

3. Cf. *Rev. ecclés. de Liége,* 1919-1920, t. XI, p. 342 ss., ubi adducuntur juris particularis dioecesium Belgii statuta.

4. Cf. Fideijussio est contractus quo quis alienam obligationem in se suscipit, si debitor principalis non solvat. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 564 ; PRUEMMER, *o. c.*, p. 98.

clerici imprudenter fidejubendo in maximas possunt redigi angustias imo et scandalum praebere.

373. — II. **Quae statum clericalem dedecent :** 1° *Artes indecorae.* Clericis interdictum est exercitium artis vilis et sordidae ut cauponis et lanii, vel etiam minus honestae, veluti in scena ludere, mimos vel comicos agere, et id genus alia, quae clericos omnino dedecent (can. 138).

374. — 2° *Ludis aleatoriis,* seu qui a fortuna fere totaliter pendent, et quidem *exposita pecunia,* seu qui cum magna pecuniae jactura aguntur [1], ne vacent seu frequenter et per longum tempus indulgeant clerici (can. 138). Ita restricta est amplior dispositio juris Decretalium, jam olim caeterum praxi et consuetudine temperatum [2]. Jure communi *per se* prohibiti non sunt ludi, qui, ut plures species ludi chartarum, potius arte reguntur, nec ludi aleatorii qui non exposita pecunia, vel exposita parva tantum aut per breve tempus aguntur. Contra, graviter peccaret clericus qui frequenter aleis luderet simulque magnam pecuniae quantitatem exponeret. Pro praxi, « ludos clericus fugiat illicitos ; licitis sic utatur, ut nec per excessum aut scandalum illiciti fiant » [3].

Insuper hac in materia attendi debent juris particularis statuta.

Cf. *Stat. Brug.*, p. 26, ubi, praeter alia, prohibetur ne clerici in locis publicis pila palmaria aut globis ludant, vel ad psittacum aut scopum jaculentur, sub quocumque praetextu.

375. — 3° *Gestatio armorum* clericis prohibetur, nisi quando justa timendi causa subsit (can. 138) seu excepta causa justae defensionis propriae, vel aliorum, et itineris [4].

376. — 4° *Venatio.* Duplex distinguitur venatio : altera *clamorosa,* quae fit cum magno tumultu et strepitu armorum et canum, ad occidendas majores feras ; altera *quieta* et simplex quae nempe laqueis retibusque, aut etiam balista ignea, et sine strepitu ad capiendas volucres minoresque belluas non feroces instituta est. Jam vero juxta dispositionem can. 138, nunquam licet clericis exercere *clamorosam* venationem ; praeterea ipsis prohibitum est *quietae* et simplici venationi indulgere, h. e. studiose huic incumbere, frequenter sc. et per longum

---

1. Cf. c. 15, X, III, 1 ex. Conc. Lateran. IV, can. 16 ; Trid., Sess. XXII, c. 1, de ref.; BENED. XIV, *De Syn.*, l. XI, c. 10, n. 3 ; WERNZ, *o. c.*, p. 325 ; SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. III, p. 18.
2. Cf. S. ALPH., *Theol. mor.*, l. III, n° 895 ss.; AICHNER, *o. c.*, § 73.
3. Cf. Conc. Baltimoren. plen. II, tit. 3, c. 6, n. 154 ; LEHMKUHL, *o. c.*, n° 617.
4. Quoad jus anterius, cf. c. 2, X, III, 1 ; BENED. XIV, *De syn.* l. X, c. 2, n° 3 ; WERNZ, *o. et l. c.*, p. 270, 343.

tempus [1]. Caeterum hac in re observanda videntur si quae sint statuta particularia.

In dioecesi nostra prohibitum est quodcumque venationis exercitium. *Stat. Brug.*, p. 27.

377. — 5° **Popinarum, seu tabernarum ingressus** [2]. « Tabernas aliaque similia loca sine necessitate aliaque justa causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur » (can. 138). Praesens dispositio mitior apparet quam veteris juris prohibitio : « Et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis, in itinere constituti » [3]. Quod praescriptum ulterius determinavit Conc. Mechl. III, Tit. XVIII, cap. 6 : « neque edendi vel bibendi causa tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis vel alia necessitate compulsi, sub poena arbitraria » [4].

Cf. *Stat. Brug.*, p. 22.

a) 1° *Tabernarum nomine* aliave similia loca, veniunt domus quaecumque, necnon atria, horti, aliave loca ad domos spectantia, illisve adjacentia, ubi publice, quacumque diei hora, vinum, cerevisia, vinum adustum, aliive liquores, adventantibus minutim venduntur, et sumuntur ; quales vulgo *cabaret, estaminet, café, bar,* etc.

Non veniunt ergo hoc nomine domus illae quae fere unice vel principaliter refectioni vel hospitio praebendo inserviunt *(hôtel, restaurant).*

Multo minus sub hac denominatione veniunt loca illa, ad quae sub directione cleri sola societatis cujusdam piae membra admittuntur, quamvis et his potus nonnisi pro pecunia praebeatur ; imo neque comprehenduntur loca quae, licet ad tabernam pertinentia, *privative* reservantur membris alicujus societatis, v. gr. operariorum, quae ibidem sedem suam habet. Hinc non est legis violatae reus habendus clericus qui similia loca adit, atque ibidem cum sodalitatis membris ludo honesto vacat, vel etiam potum aliquem sumit, aut data occasione, prandio vel coenae interest. Attamen, uti patet, in spiritum legis impingeret atque clericalem modestiam offenderet ille qui frequenter, solius recreationis causa, ad tales domus accederet ibique laicorum more ludendo atque bibendo tempus tereret (quod vulgo dicimus : *faire son estaminet)* [5].

---

1. Quoad jus antiquius, cf. can. unic. X, v, 24 ; c. 1, X, III, 50 ; Conc. Trid. Sess. XXIV, c. 12, de ref.; BENED. XIV, *o. c.*, l. XI, c. 10, n° 6-10.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 324 ; HINSCHIUS, *o. c.*, t. V, p. 663, 899 ; HARING, *o. c.*, p. 151 s.; *Arch. f. kath. Kr.*, 1908, t. LXXXVIII, p. 567 ss.; HOLLWECK, *Die kirchliche Strafgesetze*, § 236.
3. C. 15, X, III, 1.
4. Cf. Conc. Trid. Sess., XXII, de ref.
5. Cf. *Collat. Brugen.*, t. I, p. 632.

b) Prohibetur omnis ingressus tabernarum quamlibet ob causam, sive ad *potandum, edendum,* vel *ludendum* nisi adsit casus necessitatis, aliaque justa causa ab Ordinario loci probata.

Itaque a generali prohibitione excipitur *casus necessitatis,* sive itineris seu peregrinationis, sive alterius generis. Quantum autem iter et quanta sufficiat necessitas ut in exceptione legis versemur, sana et morali appretiatione, inspecta simul vigente consuetudine, dijudicandum est. Excusant etiam a lege causae ab Ordinario loci probatae, sive expresse sive tacite sive etiam praesumptive ; ideo consulenda sunt statuta dioecesana et praxis vigens timoratorum.

Declarant *Stat. Brug.,* p. 22 in nostra dioecesi « sub prohibitione non comprehendi illos, qui occasione exequiarum, installationis pastoris, adventus primi magistratus, aut etiam visitationis propinqui tabernarii in taberna ad refectionem vel hospitium *gratis* admittuntur ». Cf. Decr. Congr. prosyn., an. 1880, n. 5.

c) Praedictus tabernarum accessus *sub gravi* prohibetur, ita quidem ut ingressus plene illicitus, etiam semel factus, lethalem culpam constituat. Hoc colligitur tum ex eo quod tabernarum ingressus nimium sane opponitur clericali modestiae et gravitati, tum etiam ex poenis gravibus quibus in multis locis sancitur.

d) *Poena* arbitrio Ordinarii relinquitur. In pluribus Belgii dioecesibus, prohibitio juris communis severius urgetur, addita poena suspensionis a divinis, ipso facto incurrenda, et Episcopo reservata.

Ad poenam autem incurrendam requiritur culpa gravis, quae tamen in foro externo a superioribus praesumitur exstitisse. Praeterea, a censura immunis foret, qui ingrederetur tabernam, non edendi vel bibendi causa, sed ob aliud motivum, licet postea, occasione allectus, aliquid ederet vel biberet. Probabiliter etiam censuram non incurreret, qui cum intentione edendi, bibendi, etc., ingressus, eam ad effectum non produceret [1].

In dioecesi Brugensi nulla poena imponitur : simpliciter habent Statuta : « volumus hoc praeceptum *sub gravi* (in veteri editione addebatur *peccato)* obligare ».

378. — III. **A statu clericali aliena :** 1° *Exercitium omnis artis medicae aut chirurgicae* [2] omnibus clericis est prohibitum extra casum verae necessitatis et secluso indulto Apostolico (can. 139, § 2), adeo ut si clerici hanc artem sibi vetitam tali modo exercuerint ut mors exinde sequatur fiant irregulares ex delicto (can. 985, 6°).

---

1. Cf. Can. 2228 ; *Nouv. rev. théol.,* t. V, p. 348 ss.
2. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 337 ; *Diction. de théol. cath.,* v° *chirurgie.* Hodie prohibitio sese extendit ad omnem chirurgiam quovis fiat modo.

Attendantur *Statuta dioec.*, p. 28 : Clericis « prorsus prohibemus, aiunt, exercitium artis chirurgicae, aut medicae, tum erga viros, tum maxime, et quidem sub gravi peccato, erga foeminas ».

Circa operationem caesaream vide can. 746, § 3 et decr. S. C. Inq. 13 dec. 1899, approbatum a SS. die 15 ejusdem mensis [1].

Placet hic quaedam notare circa dispositiones legis civilis :

1. Tout individu qui, sans avoir reçu de diplôme, exerce la médecine ou la chirurgie, sera poursuivi et condamné à une amende pécuniaire par les tribunaux correctionnels. Pour constituer le délit d'exercice illégal de chirurgie, il n'est pas nécessaire qu'il y ait exercice habituel : une seule opération chirurgicale suffit. Cependant, la Cour de Cassation de Belgique, par arrêt du 6 octobre 1882, a décidé que, pour qu'il y ait exercice illégal de l'art de guérir, il faut des actes réitérés par une personne non qualifiée, l'habitude étant formellement requise comme un des éléments du délit. En conséquence, le fait, resté isolé, d'avoir pratiqué l'opération césarienne, lorsqu'on n'est pas chirurgien ou accoucheur, ne saurait constituer le délit d'exercice illégal de l'art de guérir » [2]. — La cour de Cassation de France a adopté l'opinion contraire dans un arrêt du 20 juin 1896 [3].

2. Tout débit au poids médicinal de drogues, de préparations médicamenteuses est sévèrement interdit à ceux qui ne sont pas reçus pharmaciens. Poids médicinal, c'est-à-dire, aux poids et doses, auxquels les remèdes doivent être employés par les malades [4].

3. Les ecclésiastiques, comme toutes autres personnes, peuvent aider de leurs conseils les malades qu'ils visitent, toutes les fois qu'il ne s'agira d'aucun accident qui puisse intéresser la santé publique, et pourvu qu'ils ne se permettent ni de signer des recettes, ni de rédiger des consultations, et que leurs visites soient absolument gratuites [5].

Le fait de remettre gratuitement à autrui, accidentellement et par commisération, quelques-uns de ces médicaments simples, d'un usage habituel, dont la préparation n'exige pas de connaissances pharmaceutiques compliquées, ne peut constituer le délit d'exercice illégal de la pharmacie [6].

379. — *Nota.* Non permittitur clero saeculari et religioso *frequentatio universitatum civilium,* nisi cum licentia sui respectivi Ordinarii,

---

1. Cf. *Le Can. contemp.*, 1900, p. 230 ss.; *Nouv. rev. théol.*, t. XXXII, p. 544 s.; DE SMET, *De Sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione,* n° 314, Brugis 1915, cum supplemento ad normam codicis, 1920.

2. Voir PASICR., I, 346 ; *Le Mémorial,* 1882, nouv. sér., t. X, col. 811 ss.

3. Voir PASICR., 1896, IV, p. 166.

4. Voir Cass. 2 mars 1914, PASICR., I, p. 127 s.

5. Cf. *Journ. fr. des fabr.*, t. VIII ; *Rev. catholique,* 1850-1851, p. 430 ss.; *Mémor. belge,* 1866, t. X, col. 79 ss.

6. Arrêt de la cour d'Angers, 12 juin 1882. Voir aussi les arr. de la Cour de Cass. de Belg. 14 août 1863 et 19 fév. 1878 dans *le Mémorial,* 1882, nouv. sér., t. X, col. 899 ss. Voir aussi Cass. de France, 25 juin 1908, dans PASICR., 1909, IV, p. 147.

quae licentia tantummodo potest concedi : a) in casu necessitatis vel utilitatis pro dioecesi vel Instituto religioso, et b) et tantum illis qui jam sunt sacerdotio aucti, quique spem bonam ingerunt, fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi et perspicacia quam sanctitate morum adjiciant. Sacerdotes studentes minime eximuntur ab examinibus de quibus supra, n° 362, imo eadem subire vel strictius jubentur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant ; nec subducuntur obedientiae et subordinationi quam praestare debent suis respectivis Ordinariis [1].

380. 2° Sine indulto apostolico, *Tabelliones* seu publici notarii, nisi in curia ecclesiastica ne agant ; *officia publica,* quae exercitium *laicalis* jurisdictionis, aut administrationis secum ferunt [2], v. gr. munus judicis, magistratus, gubernatoris, scabini ne assumant (can. 139, § 2).

381. — 3° « Sine licentia sui Ordinarii a) ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationem » (can. 139, § 3).

Ideo clericis non licet alicujus familiae administrationem suscipere, nec officium tutoris aut curatoris, nisi permittente Episcopo, pro cognatis aut miserabilibus personis.

Cf. *Stat.*, p. 29.

Etiam clericis vetatur quominus fungantur officiis saecularibus quibus quis obligatur ad rationem reddendam de justitia vel bonis administratis *(fonctionnaires, comptables publics).*

Quoad opera in temporale fidelium auxilium instituta, uti sunt arcae nummariae, mensae argentariae, arcae rurales, parcimoniales, magnopere a clero probanda et fovenda, ipsi prohibitum est in his operibus regendis illa munia exercere et conservare, quae administrationis curas, obligationes, in se suscepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, arcarii, horumque similium, nisi praevia ad id consequatur proprii *Ordinarii licentia* [3].

---

1. Cf. Decret. S. C. Consist., 30 apr. 1918, *AAS.*, 1918, t. X, p. 237 s.; pro Italia, Instr. S. C. Ep. et Reg., 21 jul. 1896 ; pro Gallia, litter. Secret. Status, 2 oct. et 5 nov. 1907, 30 sept. 1908, ap. *Nouv. rev. théol.*, 1908, t. XL, p. 171 ss.; VERMEERSCH, *De relig., period.*, t. IV, p. 159 s.; Pii X encycl. *Pascendi,* 17 sept. 1907 et Motu proprio *Sacrorum Antistitum,* 1 sept. 1910 ; Secret. Status, 18 nov. 1920, circa frequentationem a clericis scholarum normalium ad consequendum diploma ludimagistri in scholis Status, ap. *Il monit. eccles.*, 1921, t. XXXIII, p. 64 ss. Cf. PRUEMMER, *o. c.*, p. 468 s.; WERNZ, *o. c.*, n. 507.

2. Cf. litter. Leonis XIII ad Epp. Brasiliae, 18 sept. 1899, ap. *Arch. f. kath. Kr.*, 1900, t. LXXX, p. 134. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 567.

3. Cf. Decret. S. C. Consist. 18 nov. 1910, ap. *AAS.*, t. II, p. 910 ; *Collat. Brugen.*, 1911, t. XVI, p. 71 s. Applicatio hujus decreti relinquitur judicio et pru-

Notandum venit esse ad ordines simpliciter impeditos qui officium vel administrationem gerant clericis vetitam cujus rationes reddere debeant, donec deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint (can. 987, 3°).

b) « *Procuratoris* aut *advocati* munus ne exerceant, nisi in tribunali *ecclesiastico*, aut in *civili* quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae » (can. 139, § 3). Ergo ut in tribunali civili causam agant suorum propinquorum, miserabilium personarum et etiam causarum piarum quae non sunt suae ecclesiae, requiritur licentia sui Ordinarii.

c) In *laicali judicio criminali*, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant nec pro reo nec contra eum, ne *testimonium* quidem ferentes sine necessitate ob judicis praeceptum aut legis coactionem (can. 139, § 3). Cooperatio ad judicium sanguinis [1] adversatur spiritui lenitatis et mansuetudinis statui clericali proprio. Inde judex qui etiam juste sententiam mortis tulit est irregularis ex defectu (can. 984, 6°) ; quod si ageretur de sententia mortis injusta, etiam testes contrahere possent irregularitatem ex delicto ut positivi cooperatores homicidii voluntarii (can. 985, 4°).

Stat., p. 29 vetant ne clericus testimonium coram judice laico ferat, aut in jus vocatus coram eo se sistat, nisi obtenta praevie Episcopi licentia. — p. 27 s. districte prohibetur ne « dum rei alterutrius sexus, vel ad palum publice exponuntur, vel morte plectuntur, misero huic spectaculo adsint ».

382. — 4° « *Senatorum* aut oratorum legibus ferendis, quos deputatos vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit (uti, in Italia) ; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est » (can. 139, § 4). Ratio hujus prohibitionis est quia hoc munus senatoris et deputati, propter regimen politicum constitutionale hodiernum fundatum in principatu populi libertatibusque modernis, connexionem intimam habet cum vita et honestate clericorum simulque cum bono religionis. Quod doctrina olim jam asserebat [2] nunc primum lege universali sancitur. De munere consiliarii municipalis aut provincialis [3] silet codex. Hac de re integra manet auc-

---

dentiae Epp. Belgii, *ex Audientia SS^mi*, 7 martii 1912, ap. *Collat. Brugen.*, 1912, t. XVII, p. 533 ; Pontificia Commissio ad codicis can. interpret., 2-3 jun. 1918, ad I, ap. *AAS.*, 1918, t. X, p. 344 ; *Collat. Brugen.*, 1920, t. XX, p. 134. Cf. S. C. Consist., 30 jun. 1914, quo sacerdotes prohibentur quominus sindacalistis societatibus nomen operamve praebeant, ap. *AAS.*, t. VI, p. 349.

1. Cf. quoad vetus jus, WERNZ, *o. c.*, p. 343.

2. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, ed. 8, n° 545, b.

3. Cf. *Causa Spalaten.*, 14 dec. 1895 — 25 jan. 1896, ap. *Anal. eccles.*, 1896, p. 335 ; Decretum S. C. Consist., pro Italia, 8 jun. 1914, *AAS.*, 1914, t. VI, p. 313.

toritas Episcopi qui praecepto aut statuto interdicere valet suis subditis, ne hujus generis munus sollicitent neve acceptent, sine sua licentia.

Quum in dioecesi Brugensi modo generali prohibitum sit « *ne clericus saecularia munia seu officia suscipiat* », censemus Episcopi licentiam requiri ut quis licite sedem in comitiis provinciae aut municipiorum accipere valeat.

Cf. *Stat.*, p. 29 ; *Coll. epist. pastor.*, t. VI p. 288.

Nota « Absque ullo dubio *principalis* atque adeo *exclusiva* et *ordinaria* occupatio cum rebus *politicis* praesertim *clericis* ad *curam animarum* obligatis aliena sit oportet. Cui principio non obstat, quominus clerici servatis gravitatis et moderationis legibus majori minorive gradu pro diversitate iocorum et temporum secundum praxim a Superioribus ecclesiasticis probatam rebus politicis *operam* dare possint, imo *non raro debeant* » [1]. Attamen jubet ipsum jus ne intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem *quoquo modo* ferant (can. 141, § 1) [2].

383. — IV. **Oblectamenta mundana.** « Spectaculis (comoediis, spectaculis cinematographicis) [3], choreis [4] et pompis (v. gr., bacchanalibus) quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint » (can. 140).

Publica theatra non in odium loci et absolute prohibentur, at his in locis raro non aberit ratio indecentiae aut scandali, propter quam oblectamenta mundana clericis prohibentur.

« Hoc tamen non prohibet, quominus honestae recreationis et exercitationis causa clerici agant vel intersint iis repraesentationibus, quae in communitatibus habentur, servatis tamen modestiae et temperantiae regulis, et caeteris servandis. — Quaedam etiam sunt publica spectacula quae ita clericis dedecere non videntur, ut cursus equorum, ferarum septa... extraordinarii conventus musici, etc. Hic res tota pendet ex *motivo* determinante, ex usu regionis, ex loco, periculo, scandalo, ex frequentia et qualitate personae, et similibus » [5].

---

1. Ita optime WENRZ, *o. c.*, p. 344, ubi fontes et auctoritates adducuntur. Cf. Epist. Bened. XV ad Epp. Canadien., 8 sept. 1916, *AAS.*, t. VIII, p. 389 ss.

2. S. C. Conc., 12 jul. 1900.

3. Decretum Vicariatus Urbis, 25 maii 1918, quo spectaculis, in publicis vulgo « cinematografi », interesse uterque clerus denuo prohibetur, *AAS.*, 1918, t. X, p. 300 s.

4. Decreta S. C. Consist., 31 martii 1916 et 10 dec. 1917, quibus declaratur quasdam choreas in statibus foederatis Americae septentrionalis et in regione Canadensi ab utroque clero non esse etiam ad finem pium promovendas et vetatur quominus clerici hisce choreis intersint, ap. *AAS.*, 1916, t. VIII, p. 147 s.; 1918, t. X, p. 17.

5. BUCCERONI, *o. c.*, n° 181 ; Cf. BENED. XIV, *o. c.*, l. XI, c. 10, n° 11 ; Conc. Baltimoren. III, art. 79.

Quaenam autem spectacula in specie vitanda sint, pressius potest determinari ex usu vel statuto dioecesano.

Cf. *Stat.*, p. 25.

384. — V. **Militiae exercitium voluntarium.** « Saecularem militiam (h. e., ordinarium militare servitium) [1] ne capessant voluntarii (quando non vel nondum coguntur a lege), nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi (a servitio postea coacte suscipiendo) evadant, id fecerint » (can. 141, § 1) [2]. Clericus minor qui contra hoc praescriptum sponte sua militiae nomen dederit, ipso jure e statu clericali decidit (can. 141, § 2). Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint sunt simpliciter ab ordinibus suscipiendis impediti (can. 987, 5°) [3].

385. — VI. **Negotiatio** [4]. Omnibus clericis etiam minorum ordinum, omnibusque religiosis etiam laicis prohibitum est per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem (can. 142), nisi urgeat necessitas. Hujus praescripti transgressores congruis poenis [5] pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur (can. 2380).

Ratio hujus prohibitionis est, quod clerici per negotiationem, cum

---

1. Officium eleemosynarii aut lecticarii suscipere possunt cum licentia tamen sui Ordinarii.

2. Variis decretis cautum est conditioni eorum qui lege coacti militiae adscribuntur, aut adscripti fuerunt : cf. S. Poenitentiaria, 18 martii 1912, *Sur le ministère des soldats et la condition des clercs-soldats en temps de guerre*, ap. *Nouv. rev. théol.*, 1912, t. XLIII, p. 498 ss.; S. Cong. Consist., 16 jun. 1916, pro Italia, *AAS.*, 1916, t. VIII, p. 266 ss.; S. C. Consist., 19 nov. 1917, pro Gallia, *ibid.*, 1917, t. IX, p. 566. Cf. TEMMERMAN, *Pouvoirs accordés par S. S. Benoît XV aux aumôniers militaires belges et aux prêtres de l'armée belge*, 2e édit., Calais, 1916 ; ROUSSEAU, *Pouvoirs et privilèges des prêtres mobilisés* (français), 5e édit., Le Mans, 1916 ; *Rev. prat. d'apologétique*, 1913-1914, t. XVII, p. 759 ss.

3. Cf. Decret. Commissionis ad cod. can. interpret., 2-3 jun. 1918, ad III, *AAS.*, 1918, t. X, p. 344 ss.; *Collat. Brugen.*, 1920, t. XX, p. 134 ; Decret. S. Offic., 31 aug. 1904, ap. *Il Monitore eccles.*, 1904-1905, t. XVI, p. 289 ; Decret S. C. Consist., 2 jan. 1917 (pro Italia), ap. *AAS.*, 1917, t. IX, p. 15 s.; Decret S. C. Consist., 25 oct. 1918, de clericis e militia redeuntibus, *ibid.*, 1918, t. X, p. 481 ss.; ejusd. Congreg. declaratio in hoc decretum, 21 dec. 1918, *ibid.*, 1919, t. XI, p. 6 s.; S. C. de Prop. Fide decret., 15 jan. 1919, de missionariis e militia redeuntibus, *ibid.*, 1919, t. XI, p. 51 s. Cf. postea de regularibus militiae addictis, Pars II, tit. XI, c. 3. Cf. postea de irregularitatibus aliisque impedimentis, l. III, pars I, tit. VI, c. 2, art. 2.

4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 329 ; coll. *Dict. de théol. cath.*, v° *commerce*, ad III, col. 405 ; MAROTO, *o. c.*, n. 572 ; MONIN, *Le clergé et les opérations financières*, in *L'Action catholique*, 1920, t. VI, p. 449 ss., 580 ss.

5. Pro missionariis bulla *Sollicitudo pastoralis* Clementis IX, 17 jun. 1669, gravissimas poenas fulminat adversus illicite negotiantes etiam *semel*. Videntur istae poenae esse abrogatae. Cf. S. C. Inquist., 4 dec. 1872 ; S. C. de P. F., 29 martii 1873, ap. *ASS.*, t. VII, p. 317 ss.; litterae S. C. de P. F., 4 febr. 1860, ap. *Collectanea de P. F.*, n° 1184.

status sui dedecore, implicentur saecularibus curis, avocentur a rebus divinis, exponantur periculo adhibendi fraudes, avaritiae suspicionem incurrant, etc. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus,* ait S. Paulus, II Tim., 11, 4 [1].

A. **Gravitas prohibitionis.** Haec prohibitio *gravis* est, hujusque violatio constituit *peccatum ex genere suo grave.* « Nihilominus excusat a lethali materiae parvitas, id est si vel negotietur semel et iterum tantum ; si modicum aliquod negotietur, quod fere omnes ; sive multum, quod plures admittunt » [2]. Hisce paucis verbis universa DD. hac in re doctrina proponitur. Videlicet, juxta communem sententiam, non peccat graviter clericus *semel et iterum* (vel ter) exercens negotiationem non turpem, *in materia non gravi,* id est in quantitate non magna. Utrum vero a mortali excusetur clericus qui *semel vel iterum* tantum *in materia gravi* negotiatur, valde controvertitur. Plures hoc merito admittunt, quia jura loquuntur de clerico negotium *exercente,* quod pluralitatem actuum significat [3] ; nonnulli [4] tamen restringunt ad casum quo semel tantum in magna, non tamen enormi, quantitate clericus negotiatur [5].

B. **Declaratur et probatur prohibitio.** *Prohibetur clericis exercere mercaturam seu negotiationem lucrativam per se vel per alios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, nisi necessitas urgeat.*

387. — Dicitur: 1° *negotiatio lucrativa seu exercita lucri causa;* inde si clericus ad fidelium utilitatem objecta quaedam minoris momenti, puta cruces, coronas, libros emerit, ut eodem pretio revendat, non argui debet commercii vetiti. Attamen multo magis expedit ut haec viro laico committantur ; quia satis periculosum est, ne sub velo utilitatis fidelium procurandae latitet cupido lucrum quoddam obtinendi, neve clericus in suspicionem veniat.

At *quid* intelligitur per *negotiationem lucrativam* et *qualis negotiatio lucrativa* clericis interdicitur ?

a) Jam vero negotiatio lucrativa *generatim* dicitur omnis commutatio

---

1. Id apertissime jam constabat ex multis textibus juris antiqui, quorum aliqui graves in transgressores decernunt poenas. Cf. c. 15 et 16, X, III, 1 ; c. 1 et 6, X, III, 50. Conc. Trid. Sess. XXII, c. 1, de ref.; BENED. XIV const. *Apostolicae servitutis,* 25 febr. 1741 (*Bull.,* ed. Mechlinien., t. I, p. 62) ; CLEM. XIII, const. *Cum primum,* 17 sept. 1759.

2. D'ANNIBALE, *o. c.,* n. 156.

3. Cf. D'ANNIBALE, *o. et l. c.;* BUCCERONI, *o. c.,* n° 182 ; *Dict. de théol. cath., l. c.,* col. 408 ; SANTI-LEITNER, *o. c.,* t. III, p. 463 : « Proprie dicta negotiatio consistit *in habitu emendi* res fungibiles aut etiam non fungibiles mobiles ut carius sub eadem forma vendantur. »

4. Cf. LEHMKUHL, *o. c.,* t. II, n. 613 ; BALLERINI-PALMIERI, *o. c.,* t. IV, n. 303 ; GÉNICOT, *o. c.,* n° 38. Cf. S. ALPH., *o. c.,* l. III, n. 831.

5. Quoad opinionem eorum qui censent clericos peccare mortaliter ex unico actu gravis negotiationis, cf. CASTROPALAO, Tract. IV, disp. IV, p. XII, § 3, n. 6.

mercis, operis, pecuniae, seu alterius cujuslibet rei pretio aestimabilis, causa lucri.

Ex variis modis quibus fit negotiatio, tres praecipuos indicare sufficiat, ad quos alii facile reducuntur. Nimirum : α) Vel merces emuntur ut deinceps vendantur carius, sub eadem forma, quod gallice vocatur *commerce, vente en gros ou en détail,* latine *mercatura* vocari potest ; β) Vel emuntur ut, mutata forma in aliam per industriam aut artem, vendantur cum lucro ; γ) Vel demum fit *cambium,* aut alia operatio cum pecuniis ad lucrandum.

b) Quid de singulis hisce negotiationibus relative ad clericos dicendum sit ?

α) Negotiatio primae speciei, quae est negotiatio proprie dicta, ipsis severe prohibetur. Ita omnes, et ratio in promptu est.

Licitum tamen est ecclesiasticis, e rebus ad propriam et familiae sustentationem emptis, ea quae supersunt etiam carius quam emerint vendere, modo justi pretii non praetergrediantur limites [1]. « Proceditque hoc, ait Schmalzgrueber, etsi, quae clericus ita emit, et postea vendit superflua non sint : sufficit enim quod ea emerit pro suo, aut suorum usu, sine animo revendendi. Et hinc, si postea animum istum mutet, et vel pretio rei, quod interea auctius factum est, illectus, vel ex alio accidente persuasus, carius eam vendat, sperans se alio tempore, vel loco empturum vilius, per hoc negotiator non constituitur ;... quia in hoc casu abest animus revendendi, qui in ipso emptionis initio adesse debet et est veluti forma negotiationis illicitae ecclesiasticis » [2].

Negotiatio secundae speciei, seu negotiatio minus proprie talis, est aliquando illicita, aliquando licita, pro ratione modi quo exercetur.

Interdicitur negotiatio, qua *res emptae, aut ex alieno fundo comparatae* immutantur *labore mercenarii conductitii,* ut in alia forma vendantur lucri causa. « Exercere quamcumque artem ex re empta, et per emptos ministros, et ad effectum vendendi artificiata, non est sine propria clericis et religionis illicita negotiatione lucrativa » [3].

Prohibitum igitur est clericis, ne lucri studio aliena praedia conducant et quasi villicos se constituant ; vel ne uvas emant, ut vinum ex eis per famulos ad id conductos exprimant et postea vendant. Talis operatio in communi hominum existimatione veram constituit negotiationem.

---

1. Cf. BENED. XIV, *o. et l. c.,* c. 6, n° 2.
2. *O. c.,* lib. III, tit. 50, n° 11. Cf. *Rev. théol.,* 1858, p. 232 ; S. ALPH., *o. c.,* l. III ; n° 836 ; LEHMKUHL, *o. c.,* n° 612 ; WERNZ, *o. c.,* p. 326, 328, vocat eam *negotiationem oeconomicam.*
3. PASSERINI, *De hominum statibus et officiis,* quaest. 187, art. 2, n° 185. Cf. *Nouv. rev. théol.,* t. VI, p. 529 ; WERNZ, *o. c.,* p. 330.

Similiter illicitum censetur, citra dispensationem, artem exercere librariam vel aromaticam ut exteris vendantur medicamenta, liquores aliave id genus. Hoc prohibuere saepe RR. Pontifices regularibus in Urbe, et S. Congregatio prohibitionem ad alios omnes, ubivis locorum morentur, extendit [1].

Verum quaedam sunt species negotiationis improprie talis clericis minime interdictae.

Istarum praecipua est, qua quis *manuum suarum labore,* vel *honesto artificio,* victum sibi suisque comparare studet. Hanc approbavit S. Paulus, act., xx, 34, de seipso dicens : *Ipsi scitis quoniam ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae* [2].

Possunt igitur clerici ex marmore, ligno, vel lana, statuam aut tabulam *arte sua* conficere, eamque vendere ; commoditatis causa horticulum locare et fructus inde provenientes vendere. Haec non reputatur negotiatio in sensu canonum [3].

Altera impropriae negotiationis species, clericis permissa, est vendere res *ex propriis praediis* collectas, suaeque sustentationi superfluas. Hinc licet clericis excolere per mercenarios agros sui patrimonii vel beneficii, et fructus vendere ; emere animalia saginanda ex pascuis sui fundi, etc [4], dummodo evidenter serventur regulae decentiae clericalis et nihil intendatur nisi honesta bonorum suorum administratio.

Tandem clericis non interdicitur emere materiam ex qua operarii a se conducti conficiant vestes, res mobiles aut alimenta non lucri causa sed ad usum ipsorum [5].

Negotiatio quae fit per *cambium* activum est clericis prohibita : « Declaramus, ait Clemens XIII, Const. *Cum primum,* ac definimus cambium activum, natura sua esse actum verae et propriae negotiationis ; ideoque ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam illud contrahere » [6].

Cambium est permutatio pecuniae pro pecunia [7].

---

1. Cf. LINGEN et REUSS, *Causae selectae S. C. C.*, p. 151 ss.
2. Cf. II Thess., III.
3. Cf. SCHMALZGRUEBER, *o. et l. c.*, n. 19 ; *Il Monitore ecclesiastico,* 1913-1914, t. XXV, p. 419 s., quoad artem photographicam.
4. Cf. SCHMALZGRUEBER, *o. et l. c.*, n° 17.
5. Cf. PASSERINI, *o. c.*, n° 182.
6. Cf. BENED. XIV, *o. c.*, l. X, c. 6, n° 3.
7. Cambium vero triplex distingui potest : nempe *manuale,* quo permutatur, causa lucri, pecunia cum alia pecunia praesente, aurum v. g. cum argento, moneta unius regionis cum moneta alterius ; *locale,* quo pecunia praesens permutatur cum pecunia in alio loco percipienda, aut vicissim ; *temporale,* seu potius *temporaneum* (à terme), quo permutatur pecunia praesens cum pecunia post certum tempus solvenda, licet non semper in alio loco.

Qui cambium manuale exercent proprie dicuntur *cambiatores* seu *campsores,*

Lex omne cambium attingit. Prorsus igitur prohibitum est clericis sive personaliter, sive per interpositam personam officium campsoris exercere, seu contractum cambii activi inire, quocumque modo fiat [1].

Prohibitum quoque est emere in foro argentario titulos (vulgo *actions, obligations),* cum intentione eos ibidem carius divendendi ; quod gallice dicitur *jouer à la bourse* [2].

Nec magis licet clericis mutuam recipere pecuniam cum obligatione quotannis fructum fixum *(intérêt)* solvendi, eamdemque collocare apud mercatorem, vel campsorem, vel cum ea emere actiones aut obligationes, ut *ex illa pecuniae negotiatione* majores quotannis fructus percipere valeant.

Cf. Decr. Congr. prosyn., an. 1885, n. 12.

Ast possunt clerici, non secus ac laici, acquirere census *(rentes),* credita, obligationes *(fonds publics, lots de ville, etc.),* cum fructu fixo, modo in hunc finem non emant, ut majori pretio divendant, ut fit in commercio chirographorum et in negotiatione censuum.

388. — Dicitur : 2° *sive per se, sive per alios seu per interpositam personam.* Quod jam prohibuit Benedictus XIV, Const. cit. *Apostolicae servitutis,* 25 feb. 1741. « Et recte quidem, ait [3], quoniam juxta regulam 72 juris *in 6 : Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.* Nec verum est, addit, clericos, per interpositam personam cambiis alteriusve generis negotiationi vacantes, a curis liberari quibus negotiatores implicantur : scimus quippe, experientia edocente, eos continuo anxios et sollicitos esse de lucro, quod ex data alteri pecunia sint reportaturi, plenosque timoris ne a socio decipiantur ».

Non licet proinde clericis negotiari per alium, etiam si laicus interpositus suo proprio nomine operetur, si reipsa sit simplex mandatarius clerici ; haec enim esset negotiatio palliata. Nec etiam licet clericis societatibus commercialibus nomen dare [4], ita ut sint v. gr. socii respon-

---

gallice *changeurs ;* qui locale, etiam dicuntur *campsores,* sed magis proprie vocantur *bancarii,* gallice *banquiers.* Cambium autem temporale varia sortitur nomina pro variis civitatibus, in quibus est in usu ; sic dicitur cambium Lugdunense, Francofordiense, etc. Cf. CARRIÈRE, *De contr.,* n. 1081 ss.; BENED. XIV, *o. et l. c.,* c. 5, n° 7 ; Ilmus et Revmus WAFFELAERT, *De justitia,* n. 732 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 572.

1. Cf. BENED. XIV, *o. c.,* l. X, c. 6, n° 3 ; WERNZ, *o. c.,* p. 330.

2. Cf. Decret. S. O., 15 apr. 1885, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XXV, p. 610, et S. Poenit., 25 jan. 1885, *ibid.,* t. XXI, p. 258 sss.

3. *De Syn.,* l. X, c. 6, n° 4.

4. D'ANNIBALE, *o. c.,* n° 157 ; HEINER, *o. c.,* p. 218 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 207.

sabiles in societate accommandataria, aut socii fundatores, vel administratores in societate anonyma [1].

Ben. XIV, Const. *cit.*, pariter decrevit ac declaravit « quod si aliquod negotium ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, et ad eosdem clericos, sive hereditario jure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, et aliis heredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fuerit ; vel per se ipsos eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos coheredes, aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium hujusmodi sine ipsius clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat tunc, si intra Italiam insulasque adjacentes existat clericus, a S. Congr. Concilii, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim quod negotium hujusmodi a laico administretur, impetrare teneantur » [2].

Hodie censemus hoc in casu semper petendam esse licentiam S. Sedis, nisi urgeat necessitas.

« Verum, observat D'Annibale [3], ex receptis moribus, si clericus in negotiis hujusmodi patri successerit, una cum fratribus, ea per alios exercere permittitur ».

389. — Dicitur : 3° *sive in propriam sive in aliorum utilitatem.* Ergo non licet clericis in utilitatem alicujus societatis mercaturam exercere, nec toleranda nullatenus est agendi ratio clerici, qui *verum negotium* exercet sub praetextu lucra inde reportata impendendi in pauperum sublevamen, vel alias pias causas. Ratio est quod ille clericus vere negotietur, et a suo commercio directe percipiat lucrum, de quo pro arbitrio disponere valet. Insuper sunt alia motiva legis, praeter periculum cupiditatis. Ecclesia voluit clericos avocare a sollicitudinibus rerum saecularium; porro qui negotiatur, licet in gratiam pauperum seu in alium finem pietatis, implicatur his sollicitudinibus, et multis periculis, in detrimentum sui ordinis, se exponit. Tandem voluntas lucra sibi non retinendi est quid occultum de quo non constat in foro Ecclesiae, et sub cujus obtentu non semel latet cupiditas ; ergo interveniat necesse est aucto-

---

1. Ita merito censet PRUEMMER, *o. c.*, p. 98, non licere clericis emere titulos, vulgo *portions d'une mine, shares, Kuxen* sc. participationes in aliqua fodina, ita ut possessor illarum sit revera partialis possessor fodinae cum omnibus fructibus et periculis hujus negotiationis. Quod revera videtur esse negotiationem lucrativam per alios.

2. Cf. *Rev. des sc. ecclés.*, t. LXXIX, p. 308 ss.

3. *L. c.*, n° 156, nota 12. Cf. HEINER, *o. c.*, p. 219 ; HARING, *o. c.*, p. 152 ; WERNZ, *o. c.*, p. 329.

ritas superioris qui super lege dispenset ac simul media opportuna praescribat ad removendum pericula negotiationis [1].

390. — Dicitur : 4° *Nisi necessitas urgeat.* An ergo possunt clerici in necessitate honesta aliqua negotiatione consulere suae suorumve parentum sustentationi ?

Responsum praebet bulla Clementis XIII, *Cum primum* diei 17 sept. 1759. In primis laudatus Pontifex non admittit excusationem indigentiae *propriae* clerici : « Quandoquidem, ait, unicuique clerico canonicus ordinationis titulus, vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentent, iisque forsan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus suaeque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere ».

Quod vero attinet indigentiam « *aut parentum, aut sororum, aliarumque personarum quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur* » [2] ; idem Pontifex declarat : « Ejusmodi excusationem eidem clerico minime suffragari... nisi doceat se antea praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam et insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse earumque intuitu opportunam dispensationem et facultatem praedictas personas industria sua juvandi, vel ab eadem Apostolica Sede vel respective ab Ordinario impetrasse. » Caeterum facultates obtentas semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernit, ita ut pro irritis et revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatae conjunctorum indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi [3]. Quae facultas hodie, in quantum opportunitas datur, petenda est a S. Sede. In casibus urgentioribus recurratur ad Ordinarium.

At speciali modo hanc disciplinae partem ordinavit Pius VI, instructione sua diei 18 martii 1784, pro « sacerdotibus *ad titulum missionis ordinatis,* qui patrimonio ac beneficio carent atque missarum eleemosynis parum aut nihil comparare sibi possunt » ; videlicet :

Distinguere oportet inter necessitatem praesentem et futuram ; id est, videndum utrum clerici illi ex nunc inopia premantur, an potius providentes futuris casibus infirmitatis, senectutis, etc., lucrum aliquod ex negotiatione comparare velint, ut opportuna hac cautione futuram egestatem devitent.

---

1. Cf. ICARD, *o. c.*, t. II, p. 65 ; LEHMKUHL, *o. c.*, n° 611 ; vide etiam *Rev. des sc. ecclés., l. c.*, p. 24 ss.; t. LXXIX, p. 312 ss.; t. LXXX, p. 43 ss.

2. Casus est v. gr. missionarii qui tempore egestatis emeret frumentum pro suis neophytis, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 327, 328 s.; *Dict. de théol. cath., l. c.*, col. 400.

3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 329.

Si prius, poterunt commercium exercere ad sustentationem propriam, in quantum necesse est ut honestum parcimonium constituant. Si posterius, juxta const. Clementis XIII citatam [1], petenda est facultas Apostolicae Sedis.

391. — Scholion. Quaeritur tandem utrum clericis liceat cum propria pecunia emere et retinere *actiones* et *obligationes* societatum *commercialium et industrialium ?*

Huic quaestioni respondetur distinguendo inter actiones et obligationes.

A. Si de *actionibus* [2] agatur, controvertitur plurimum inter auctores num clericis liceat ejusmodi titulos sibi comparare.

1ª SENTENTIA negat licere clericis actiones societatum, sive commercialium, sive industrialium, sibi comparare. Ratio praecipua est quia actionarii hujusmodi societatum revera exercent *negotiationem clericis prohibitam.* Etenim omnes actionarii vere sunt societatis membra ; et commercium vel industria nomine ipsorum exercetur, ita quidem ut jus habeant ad lucrum seu *dividendum,* juxta proportionem actionis suae, percipiendum. Jamvero, societates *commerciales,* fatentibus omnibus, proprie dictam negotiationem exercent : ad societates *industriales* quod spectat, licet actio ipsarum non sit proprie dicta negotiatio, huic tamen proxima est, et merito revocatur ad negotiationem clericis vetitam, quum industria ex rebus emptis per conductos operarios lucri causa exerceatur. Nec refert quod per administratores societatis negotiatio exerceatur ; nam et per alios negotiari vetitum est clericis [3].

2ª SENTENTIA distinguit. Duplex praesertim distinctio adhiberi solet. Prior inter societates, quae commerciales, et eas quae industriales sunt ; altera inter actiones quae accipiuntur pro societate constituenda, et eas quae accipiuntur societate jam constituta. Sunt enim qui, negantes clericos posse actiones accipere societatum commercialium, concedunt id licere clericis in societatibus *industrialibus* [4] ; quia hae non exercent negotiationem clericis prohibitam [5].

Alii autem opinantur clericis permitti actiones societatis, etiam commercialis, jam *constitutae,* dummodo majorem actionum partem non

---

1. Cf. *Rev. des sc. ecclés., l. c.,* p. 305 ss.

2. Cf. hac de re bibliographiam ap. VON SCHERER, *o. c.,* t. II, p. 377 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 231 ; MAROTO, *o. c.,* n. 572, p. 655.

3. Ita censent : *Nouv. rev. théol.,* t. VI, p. 331, 518 ; t. VIII, p. 488 ; t. IX, p. 679 ; t. X. p. 116 ; t. XI, p. 115, 231 ; t. XIII, p. 331 (immutavit suam sententiam in sensum liceitatis, post edita decreta mox citanda ; cf. t. XXV, p. 604) ; *Anal. jur. pontificii,* Ser. VII, col. 494 ; DOLHAGARAY, in *Rev. des sc. ecclés.,* t. LXXX, p. 210 ss.; KONINGS, *Theol. moralis,* t. I, n. 1132 ; D'ANNIBALE, *Summula,* t. III, n° 157 ; LEHMKUHL, *o. c.,* t. II, n. 612 ; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* ed. 7, p. 471 ss., ubi adducuntur auctoritates et evolvuntur argumenta.

4. Saltem si agatur de negotiatione *industriali* vel *artificiosa* clericis non prohibita cf. supra n. 387.

5. Ita CRAISSON, in *Rev. des sc. ecclés.,* t. XIII, p. 460 ; WERNZ, *o. c.,* p. 331 s.; *Collat. Namurcen.,* 1902-1903, t. II, p. 243.

acquirant, vel saltem operationibus societatis sese de facto non immisceant : quo in casu, valent rationes primae sententiae. Severiores sunt si agatur de acquirendis actionibus pro societate *constituenda,* quum in hac hypothesi facilius oriatur suspicio cupiditatis lucri et efficacius influatur in efformatione societatis [1].

3ª SENTENTIA quam amplectimur universim affirmat, servatis cautelis quas ipsa S. Sedes determinavit [2].

Haec liceitas *probatur* 1° ex *positivis declarationibus Sanctae Sedis.* Habemus enim seriem responsionum et declarationum Congregationum Romanarum, quibus ostenditur olim *prohibitum* esse clericis acquirere actiones societatum commercialium et industrialium, dein ex *indulto et in casu particulari concessum,* demum *generatim permissum,* certis sub cautelis, quibus abusibus et periculis obviare voluit S. Sedes [3].

a) Citatur primo *Causa civitatis Castelli,* 30 jan. 1846 [4]. In hac S. C. Episc. et Regul. ad proposita dubia : « 1. *Utrum clericis in SS. ordinibus constitutis vel beneficium habentibus actiones acquirere liceat commendatariae societatis Civitatis Castelli in casu ? — Et quatenus negative ;* 2. *Utrum supplicandum sit Sanctitati Suae pro benigno indulto ?* » — Respondit : « Ad I : *Non licere.* Ad II : *Provisum in primo.* »

b) Prius, die 20 aug. an. 1841, prodiit indultum Gregorii XVI quo in favorem alicujus Alexandriae presbyteri « *annuit SS*mus *arbitrio Ordinarii* pro petita *habilitatione* (ad conservandum certum numerum actionum in quadam societate serici panni fabricationis causa instituta) *ad quinquennium* » [5].

Postea datum est responsum S. Officii, diei 1 aprilis 1857, quo « *SS*mus *concedit facultates Episcopis communicandas per S. C. Episcoporum permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones* delle strade ferrate, *de propria*

---

1. Ita SANGUINETTI, *Jur. eccl. priv. instit.* n. 217 ss.; BASTIEN, *Directoire canonique,* p. 231, Maredsous, 1904. Cf. BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.,* t. IV, p. 316 ss.

2. Ita censent GÉNICOT, *o. c.,* t. II, n° 41 ; BOUIX, in *Revue des sc. ecclés.,* t. II, p. 444 ; VECCHIOTTI, *Institut. can.* l. II, c. 2, n° 109 ; ICARD, *o. c.,* t. II, p. 68 ; AICHNER, *o. c.;* § 73 ; BERARDI, *Praxis confess.*³, t. III, n. 351 ; HARING, *o. c.,* p. 153 ; ANTOINE, in *Dict. de théol. cath., l. c., col.* 487 s.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 102, n° 116 ; BOUDINHON, in *Rev. du clergé franç.,* 1907, t. L, p. 80 ss.; GOEPFERT, in *Th.-Pr. Quart.-Schr.,* 1910, t. LXIII, p. 124 s.; BARGILLIAT, *o. c.,* t. I, n° 439 ; FERRERES, *o. c.,* p. 117, n. 305 ; PRUEMMER, *o. c.,* p. 97 s.; CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 26 ; MAROTO, *o. et l. c.;* VERMEERSCH-CREUSEN, *o. et l. c.,* Cf. etiam HEINER, *o. c.,* p. 219.

3. Notanda est analogia quae intercedit inter responsa S. Apostolicae quoad liceitatem emendi et retinendi actiones et liceitatem contractus *mutui.* Quot hac de re controversiae, antequam decreta S. S. « non esse inquietandos » prodierunt ! in hac materia de justo auctario habendo plus semel S. S. pro gratia pro praeterito et pro concessione facultatis pro futuro respondisse constat. In utraque materia, attenduntur peculiaria temporum adjuncta, status oeconomicus est idem, imponitur obligatio standi mandatis S. S., etc. Ideo quia quaestio haec pendet ab adjunctis silet hac de re Codex.

4. Cf. BIZZARRI, *Collectanea*², p. 530. Responsum est particulare quod forsan ex circumstantiis in petitione Episcopi indicatis explicari potest ; *Nouv. rev. théol.,* 1893, t. XXV, p. 605, ubi et alia documenta citantur.

5. Cf. *Anal. jur. pontif.,* Ser. VII, col. 494 s.

pecunia tantum »[1]. Illa indulta optimo jure conciliari posse cum sententia nostra nemo non videt, cum intelligatur Sanctam Sedem, stante controversia, noluisse rem dirimere, et in casu particulari providisse per concessionem indulti, quod saltem *ad cautelam* inservire poterat.

c) Sed et alia proferuntur ejusdem Congregationis majoris momenti responsa. S. Officium, die 17 novembris 1875, respondit « *non esse inquietandos qui nomina seu actiones viarum ferrearum similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium de sua pecunia acquirunt, dummodo parati sint stare mandatis Sedis Apostolicae, et certo sciant eas societates nullum habere propositum finem illicitum vel quomodolibet suspectum, et dummodo nullam in eis societatibus administrationis partem suscipiant, neque actionum earumdem societatum negotiationem exerceant* »[2].

Habetur et aliud recentius S. Officii responsum, diei 15 aprilis 1885, quod sic sonat : « *Juxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis, et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum, et praesertim ab omni contractu qui speciem habeat ut vulgo dicitur* dei giochi di borsa »[3]. Quod responsum eadem S. Congr. communicavit Episcopo Ruraemunden. per litteras C. de Prop. F. diei 7 jul. 1893[4].

Jam vero ex illis repetitis declarationibus, verbis generalibus conceptis, ubi tantum attenduntur *speciales temporis conditiones*, nulla est distinctio inter societatem constitutam aut constituendam, inter eos qui possident magnum aut parvum numerum actionum, inter societatem industrialem aut commercialem ; imo permittitur acquirere titulos *mensae nummulariae*, quae videlicet exercet actus stricte commerciales.

In Codice juris canonici non semel commemorantur *tituli*, quin ulla fiat distinctio inter actiones unius alteriusve generis (can. 594, 1539, § 2). Praeterea ad can. 142 adducuntur in annotatione fontium omnes resolutiones quae pro hac quaestione allegari solent. Caeteroquin optime

---

1. Cf. *Nouv. rev. théol.*, t. XXV, p. 607.
2. His terminis decretum S. Officii refertur in Statutis dioecesanis, a Card. Monaco la Valleta, Ep. Albanensi, editis anno 1886. Cf. *Nouv. rev. théol. l. c.*, p. 609.
3. *Ibid.*, p. 160. Verum est et facit difficultatem quod aliud dicasterium, nimirum S. C. Concilii, post illa decreta S. O., edidit, die 6 jul. 1885, responsum, quo *juxta petita* indultum duobus sacerdotibus conceditur ut, *attentis peculiaribus circumstantiis*, pro arbitrio Episcopi, *ad quinquennium tantum*, conservare valeant actiones quas in diversis societatibus commercialibus, industrialibus vel cambiariis, ex haereditate paterna consecuti erant. Cf. *Nouv. rev. théol.*, t. XVII, p. 539. Sed an illud responsum particulare cujus circumstantias ignoramus praevalere debet decretis anterioribus verbis generalibus conceptis, et etiam deinceps repetitis?
4. *Collectanea Congr. de Prop. F.*, 2 ed. (1907), t. II, p. 295, n° 1841. Episcopus facultatem petierat concedendi clericis suae dioecesis, ut ipsi acquirere possent *actiones super vias ferreas* indeque lucrum habere et respondit Congregatio communicando decretum ubi sermo est de *titulis mensae nummulariae*.

intelligitur quomodo expressum hac de re praescriptum exprimendum non esset, cum agebatur de negotio quod multum pendet ab adjunctis temporum et locorum [1].

2° Confirmatur ex eo quod qui acquirit actiones in societate commerciali vel industriali revera non exerceat *per alium* negotiationem clericis prohibitam. Etenim qui negotiatur per alium nominat revocatque mandatarium suum, determinat objectum, modum negotiationis, etc. Qui sumit actiones in aliqua societate [2], vel habet tantum partem exiguam actionum et tunc non adesse potest conventui generali qui administrat et regit societatem : vel habet partem majorem actionum et tunc, etsi jus habeat interveniendi conventui generali, ad hoc *generatim* tamen non tenetur [3].

Inde quamvis inter eos qui habent *actiones* et eos qui possident *obligationes, alia* sit *lucri ratio,* tamen differre non videntur quoad opus quod impendunt societati actionarii et obligatarii, praebendo utrique tantum conditionem sine qua non existentiae et operationis societatis. Utique inter eos *ratio lucri* differt. Ex *obligatione,* titulo securiore, percipitur auctarium pro pecunia mutuo data. *Actio* est titulus quem quis accipit ob praestitam societati pecuniam, cum duplici onere ex parte societatis, et exercendi negotiationem pro illa parte pecuniae quam actionarius societati impendit, et solvendi actionario partem legitimam *dividendi,* juxta exitum rei. In hoc titulo habetur proin aliquid aleatorii, periculum sortis, *titulus extrinsecus* superveniens. Neque dicas quod tamen administratores societatis sint mandatarii actionariorum, cum illi sint potius mandatarii conventus generalis, in quorum nominationem, competentiam, revocationem nullum influxum habere debent actionarii. Administratores faciunt negotiationem pro rata pecuniae quam actionarii mutuo dederunt ; potius repraesentant partem sortis praestitae, quam personam actionarii.

Neque objicias clericum acquirendo actiones societatum commercialium et industrialium, agitari sollicitudine de lucro percipiendo et anxiari timore perdendi sortem. Utique fatendum quod generatim periculosius sit nec ita securum acquirere actiones quam obligationes, inde

---

1. Cf. MAROTO, *o. et l. c.,* p. 657 s.

2. Hic ergo loquimur de simplicibus *subscriptoribus* seu *sociis contribuentibus,* non de *socio responsabili* in aliqua societate accommandataria (société en commandite par actions), nec de *membris fundatoribus* alicujus societatis anonymae, nec de illo qui possideret *portions de mine.*

3. Quodsi tamen adsint casus in quibus omnes actionarii adesse tenentur (quod tamen difficile verificatur, cum tunc potius deveniatur ad dissolutionem societatis), considerari posset ille interventus ut actus conservatorius, bonae administrationis, actus negotiationis oeconomicae.

cum magna prudentia hac in re agant clerici et peritorum expetant consilia ; sed periculum illicitae lucri cupiditatis avertit ipsa S. Sedes ponendo cautiones et conditiones a clericis stricte observandas.

B. Quoad *obligationes :* Licet clericis assumere obligationes in societatibus tum commercialibus tum industrialibus. Etenim, uti jam monuimus, qui hujusmodi obligationem acquirit, societati illam emittenti simpliciter mutuo praestat summam pecuniariam juxta interesse legale et determinatum quotannis percipiendum ; haec autem pecuniae mutuatio non magis clericis quam laicis est prohibita. Ita communius [1].

392. — VII. **Obligatio non discedendi a dioecesi.** Principium quod moderatur illam materiam de obligatione clericorum non discedendi sine licentia proprii Ordinarii a sua dioecesi ad hancque redeundi si, etiam legitime absentes at non excardinati, ab aliena dioecesi revocentur, enuntiatur a can. 969, § 1, juxta Trid. [2] : « Cum nullus debeat ordinari qui judicio sui Ordinarii, non sit utilis vel necessarius suae ecclesiae ».

Inde praescribitur 1° « Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant » (can. 143). Haec prohibitio exsistit, non solum pro clericis qui *certae ecclesiae vel certo officio* adscripti sunt, quorumque obligatio residentiae propria lege [3] aut proprio statuto determinatur, sed etiam pro illis qui simpliciter pro *utilitate vel necessitate dioecesis fuerunt ordinati,* licet *temporanee* nulli beneficio aut officio addicti [4]. Ideo ut legitime a dioecesi discedant per notabile tempus, sc., ultra v. gr., duos menses [5], requiritur licentia saltem praesumpta sui Ordinarii. Praesumpta licentia eruitur tum ex causa aut circumstantiis absentiae, tum e consueto modo agendi Ordinarii. Ideo etiam litteras excardinationis denegare poterit Episcopus, praesertim ubi penuria sacerdotum laborat dioecesis [6].

---

1. Cf. Decret. S. Poenitentiariae 25 jan. 1888, ap. *Nouv. Rev. théol.,* t. XXI, p. 262.

2. Sess. XXIII, c. 16, de ref. Cf. de hac materia, CLAEYS-BOUUAERT, *De obedientia canonica clericorum,* p. 192 ss., 200 ss.

3. Cf. cann. 418, 465, 475, etc. — « Clerici majores, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine ejusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum », can. 2399.

4. Cf. *Causa Reatina,* 26 jan. 1883. Cf. decretum S. C. C., 22 dec. 1894, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XXVII, p. 43. Excipimus hic casum de ingressu in religionem de quo postea ad can. 542, 2°, in tractatu de regularibus.

5. Alii censent notabile tempus esse tres menses, alii quatuor. At rationes adductae non valere videntur. Illud tempus posset optime ab Ordinario aut a Concilio Provinciali determinari. Cf. MAROTO, *o. c.,* n. 556.

6. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 233 ss., ubi plures decisiones Romanae citantur tum quae juri episcopi favent, tum quae excardinationem clericis concedunt ; conclusio, p. 241 ss.; *Nouv. rev. théol.,* t. III, p. 7 ss.; t. XXXII, p. 301 ss.;

2° « Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam dioecesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus [1], revocari potest, justa de causa, et naturali aequitate servata » (can. 144). Illa justa causa potest sese habere sive ex parte clerici, sive ex parte dioecesis propriae. Aequitas servanda est resarciendo damna e discessu orta aut praebendo clerico unde honeste in dioecesi sua vivere possit [2].

3° « Etiam Ordinarius alienae dioecesis (in qua etiam legitime degit clericus) potest ex justa causa eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium [3] eidem contulerit » (can. 144) [4].

TITULUS IV

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

Fontes. Can. 145-195. Decret., l. I, tit. 31, *de offic. jud. ordin.;* l. III, tit. 3, *de praebend. et dignit.* Cf. WERNZ, *o. c.*, t. II, pars 2, p. 1 s.
Auctores. Commentatores jur. Decret. in tit. cit.; WERNZ, *o. et l. c.;* V. SCHERER, *o. c.*, t. I, p. 403 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 208 ; AICHNER [11], *o. c.*, p. 265 ss.; BLAT, *o. c.*, p. 87 ; FERRERES, *o. c.*, p. 119 ; PRUEMMER, *o. c.*, p. 99 ; MAROTO, *o. c.*, n° 578 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n° 208.

393. — I. Connexio materiae et ordo dicendorum.

1° Valde logice, in sectione hac prima de clericis in genere postquam actum est in Codice de statu clericorum qui soli possunt potestatem sive ordinis sive jurisdictionis exercere, adducuntur canones *de officiis ecclesiasticis* secum afferentibus aliquam saltem participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive jurisdictionis, priusquam de hac utraque potestate statuantur praescripta.

2° Olim multi auctores simul agebant de *officiis* et *beneficiis* ecclesiasticis ; attamen cum jam fontes antiqui officium distinguant a beneficio, cum constituantur in ecclesia officia quin annexa sint beneficio, uti est officium superioris majoris in ordine religioso, officium canonicatus sine praebenda, cumque praeterea in ipsa notione beneficii quod definitur : *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, ratione spiritualis officii, ecclesiastica auctoritate constitutum,* elementum spirituale et prin-

---

Rev. des sciences ecclés., t. LXXIX, p. 36 ss.; *Rev. du clergé franç.*, 1912, t. LXXII, n. 105 ss. Inter causas recentiores cf. *causa Cajetana*, 27 jan. 1905 ; *causa Beneventana*, 25 febr. 1905, ap. *Il Monit. eccl.*, 1905-1906,t. XVII, p. 58 s., p. 98 s., in quibus causis agitur de juribus eorum qui adscripti sunt clero dioecesis alicujus. Vide etiam Conc. plen. Amer. latinae, n° 631. Hic spectat etiam Epist. Pii X ad Cardin. Vicar. Urbis de sacerdotibus extraneis Romae degentibus, 6 aug. 1905, ap. *Ann. Eccles.*, 1905, t. XIII, p. 367 s.; varia acta S. Sedis de clericis ad Americam aut ad Insulas Philippinas migrantibus, cf. supra n° 350.

1. Vide supra, n° 347 ss.
2. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 86 s.
3. Cf. supra n° 349.
4. Cf. S. C. Consist., 25 martii 1914, ap. *AAS.*, t. VI, p. 182 ss.

cipale beneficii sit ipsum *officium* ecclesiasticum, elementum autem temporale spirituali annexum et accessorium sit *ipsum jus percipiendi fructus,* ideo cum recentioribus canonistis Codex optimo jure officio et beneficio distinctum assignavit locum in ordine canonum, agens de officio in lib. II, P. I, sect. I de *clericis in genere ;* de beneficio vero in lib. III, *de rebus.*

3° Codex, data notione officii ecclesiastici, duplici capite absolvit hanc materiam : 1° de provisione officiorum ecclesiasticorum ; 2° de amissione officiorum ecclesiasticorum.

394. — II. Notio officii ecclesiastici.

1° *Lato sensu,* officium ecclesiasticum est « quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur » (can. 145, § 1) ; ita hoc sensu designantur officium sacristae, lectoris, confessarii, officium judicis delegati, officium vicarii coadjutoris aut cooperatoris, verbo quodvis munus ecclesiasticum cui notio officii stricto sensu intellecti non convenit.

2° *Stricto sensu* est « munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive jurisdictionis » (can. 145, § 1).

Unde quatuor sunt officii ecclesiastici stricte dicti elementa :

a) *Constitutio* sive ex legibus Christi, uti v. gr. officium Summi Pontificatus, Episcopatus ; sive ex legibus Ecclesiae, uti major pars officiorum ecclesiasticorum.

b) *Stabilitas.* Distingui solet stabilitas *objectiva* seu ex parte officii et stabilitas *subjectiva,* seu ex parte subjecti cui confertur officium. Ex parte *officii* stabilitas est de essentia, hoc scilicet sensu quod necesse sit ut officium fundetur ad semper, et jus certum ipsi titulo seu officio ex lege Christi aut Ecclesiae sit annexum, ita ut qui hoc obtinet, etiam illud consequatur et exerceat vel *nomine proprio* si est Ordinarius proprius, vel *vice alterius,* si est vicarius alicujus Ordinarii [1]. Ex parte autem *subjecti,* stabilitas seu inamovibilitas in vero officio ecclesiastico, v. gr. vicarii generalis, parochi desservitoris, multorumque superiorum regularium semper et essentialiter non requiritur, sed ipsi tamen propria est et normalis, hoc scilicet sensu, quod ordinarie qui officium obtinet, hoc ad vitam habeat ; quamvis fieri possit ex statuto pontificio, vel ex consuetudine ut alicui officio non adnectatur inamovibilitas, uti, apud nos, officio parochi succursalis.

Inde quod essentialiter ad officium stricte dictum requiratur *objectiva*

1. Ita attenditur ad distinctionem can. 197, § 2, inter potestatem ordinariam, propriam et vicariam.

perpetuitas seu stabilitas, sequitur aliquem gradum jurisdictionis etiam perpetuo et ex juris dispositione, nequaquam autem *nomine proprio* aut *vice Ordinarii*, at tantum *ex commissione alterius* exercendum, non constituere verum et proprie dictum officium ecclesiasticum [1]. Non tamen exigitur ut absque interruptione continuo hujus generis officium alicui concedatur, sed sufficit, ut saltem in certis adjunctis, velut officium legati aut vicarii capitularis, conferatur [2].

c) *Provisio canonica*, nempe ad normam canonum qui sequentur.

d) *Annexa participatio potestatis* sive ordinis sive jurisdictionis. Ideo ut officium stricte dictum jam venit illud quod secum fert jus perpetuum exercendi ratione officii functiones sacras tantum potestatis ordinis, v. gr., recitandi horas canonicas et celebrandi Missas uti verificatur in officio canonici collegialis ecclesiae. Verum tamen praeprimis de ratione officii est jurisdictio quaedam ordinaria jure divino vel ecclesiastico huic adnexa, cum inclusis tamen juribus ordinis et administrationis ecclesiasticae.

Notandum. 1° Pro interpretatione codicis valde attendenda est § 2ª can. 141 : « *In jure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat.* »

2° « De *beneficialibus officiis* in specie, praeter canones qui sequuntur, custodiantur oportet praescripta can. 1409 ss » (can. 146) [3].

CAPUT I

DE PROVISIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

395. — Connexio materiae. De constitutione divina aut ecclesiastica officiorum [4] in Ecclesia dicetur infra in sectione II, *de clericis in specie*, et in libro III, tit. XXV, c. 1, *de constitutione beneficiorum*. Hac constitutione supposita, inquirendum est *in genere* qua ratione officia ecclesiastica rite et valide *acquirantur*. Jam vero in can. 147, § 1 affirmatur principium : « officium ecclesiasticum nequit sine *provisione canonica* valide obtineri » [5]. Etenim cum Ecclesia catholica sit societas *perfecta, hierarchica* et *monarchica*, concessio officiorum ecclesiasticorum quae est pars quaedam principalis regiminis ecclesiastici, nequit fieri per extraneos, per magistratus civiles aut per populi multitudinem, at plena eorum dispositio

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 6.
2. *Ibid.*, p. 7.
3. Vide infra, lib. III, tit. XXV, ubi dicitur etiam de divisione officiorum et beneficiorum.
4. Cf. interea WERNZ, *o. c.*, p. 10 ss.
5. Cf. reg. jur. 1 in VI ; Conc. Trid. Sess. XXIII, can. 7, coll. cap. 4. In juris antiqui fontibus ad significandam canonicam provisionem in genere etiam alia usurpantur vocabula : concessio, donatio, collatio, institutio.

spectat ad Romanum Pontificem qui, licet non pauca officia ecclesiastica inferioribus praelatis concedenda relinquat, tamen neminem ad ullum munus publicum pervenire ipse invitus pati potest[1]. Qui sine provisione canonica officium occupat, *intrusus* vocatur, et ut talis poenis ecclesiasticis plectitur[2].

396. — I. **Notio provisionis canonicae.** Nomine *canonicae provisionis* venit « concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta » (can. 147, § 2). Provisio officii ecclesiastici fit : a) per *liberam collationem* a legitimo Superiore, nullo interveniente ad designandam personam cui titulus confertur ; b) vel per Superioris competentis *institutionem,* si praecesserit clerici providendi *praesentatio* a patrono aut illius *nominatio* a persona ab Ecclesia privilegiata ; c) vel per ipsius Superioris *confirmationem* aut *admissionem,* si praecesserit *electio* aut *commendatio* collegii ecclesiastici quibus designatio personae facta est ; d) vel tandem per *simplicem electionem* et electi *acceptationem,* si electio non egeat confirmatione, uti in electione Romani Pontificis et Supremi Superioris regularium (can. 148)[3].

Notandum est magnum discrimen quod intercedit inter *actum collativum tituli,* qui fit per collationem liberam, institutionem, confirmationem aut admissionem competentis Superioris, et actum *quo designatur persona* officio praeficienda, quae fit per praesentationem aut nominationem, electionem, aut commendationem. Personae idoneae designatio per praesentationem, nominationem aut electionem ad summum tribuit *jus ad rem*[4] quod alteri valide concedi nequit, imo apud superiorem instantia urgeri potest ; sed collatio acceptata, institutio praesentati aut nominati, confirmatio electi, admissio commendati *jus in re* et actionem in rem conferunt[5].

De libera collatione, electione et postulatione singuli articuli in hoc codicis capite habentur. De officiorum provisione per institutionem[6] serventur praescripta can. 1448-1471 ubi sermo est *de jure patronatus* (can. 148, § 2).

397. — II. **Praevia requisita omni provisioni communia.**

---

1. WERNZ, *o. c.*, p. 51 s. Cf. Declaratio Pii VI, 13 apr. 1791, contra electos et consecratos vi *Constitutionis civilis cleri in Gallia.* Vide *Pii IX acta quibus Ecclesiae catholicae calamitatibus in Gallia consultum est,* 2 vol. Romae, 1871, t. I, p. 155 s.
2. Cf. can. 2394.
3. Cf. can. 2393.
4. Commendatio non concedit jus ad rem personae expetitae.
5. WERNZ, *o. c.*, p. 50. Cf. can. 176, § 2 ; 181, § 3 ; 1466, § 1.
6. Cf. can. 1471, de privilegio praesentationis ad vacantem ecclesiam.

1° *Idoneitas providendi* [1].

Cum autem ecclesiasticis officiis praeficiendus est *dignus,* imo si plures digni sint, *dignior* [2], non tantum sub respectu doctrinae quam habita etiam ratione omnium qualitatum quae ad implendum officium vacans requiruntur [3], « electi, postulati, praesentati vel nominati a quibusvis personis ad ecclesiastica officia ne confirmentur, admittantur, instituantur *a Superiore infra Romanum Pontificem,* nisi antea fuerint a *proprio Ordinario,* idonei reperti, etiam per *examen,* si id jus vel officii ratio postulet aut Ordinarius opportunum judicaverit » (can. 149) [4]. *Proprius Ordinarius* cui judicium idoneitatis relinquitur est ille Superior sive saecularis sive regularis ad quem spectat provisio officii de quo agitur [5].

2° *Vacatio officii* [6].

Vacat officium quod titulari aut possessore caret. Officium dicitur vacare a) *de jure et de facto,* si neque titularem neque possessorem habet ; b) *de jure tantum et non de facto,* si careat quidem legitimo titulari, sed reperiatur in possessione alicujus absque legitimo titulo ; c) *de facto tantum et non de jure,* si ille qui legitimum titulum habet in eo officio vel nondum ejus possessionem obtinuit, aut obtinere impeditur, vel eam possessionem prius obtentam qualibet ex causa amisit.

a) « Provisio officii *de jure* non vacantis ad normam can. 183 § 1, est ipso facto *irrita,* nec subsequente vacatione convalescit » (can. 150, § 1) [7].

b) « Nec promissio ejusdem officium (nondum de jure vacantis), quicumque illud promiserit sive sit collator, sive elector, sive patronus, ullum parit effectum juridicum » (can. 150, § 2) sive in foro interno sive in foro externo. Quo in canone reprobantur et nullius valoris esse dicuntur promissiones quaecumque officii sive determinati sive indeterminati, et sub quovis modo facta, etiam sub clausula *cum potero* vel *si facultas sese obtulerit.* Nam istis promissionibus fovetur improba clericorum ambitio, immo cupiditas optandae mortis alienae et gravamina ecclesiis et personis ecclesiasticis afferuntur [8].

c) Officium *de jure tantum, non de facto* vacans, quod ergo adhuc

---

1. Cf. MAROTO, *o. c.,* n. 588.
2. Cf. can. 153.
3. De concursu ad paroecias, *infra.*
4. Cf. Trid. Sess. VII, c. 13, de ref.; can. 399, § 3 ; 459 ; 471, § 2.
5. Cf. BLAT, *o. c.,* p. 91.
6. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 76 ss.; SANTI-LEITNER, *o. c.,* t. III, p. 125 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 593.
7. Cf. can. 2146, § 3 ; 2395.
8. Cf. c. 2, in VI, III, 7 ; WERNZ, *o. et l. c.,* p. 82.

ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest dummodo rite secundum canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam [1] et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis (can. 151).

d) Coadjutores in officiis ecclesiasticis cum futura successione ab una Sede Apostolica constitui possunt (can. 1433) [2].

ARTICULUS I. — De libera collatione.

398. — Praevie notandum. Quamvis hic articulus inscribatur *de libera collatione*, tamen canones ejus loquuntur generaliter *de libera provisione*, quod innuit hos servandos esse quacumque in forma provisionis, nisi in speciali forma subsequente contrarium caveatur ; et merito quidem cum libera collatio uno actu Superioris tum designationem personae providendae tum concessionem tituli comprehendat et ita genericam naturam cujuslibet modi provisionis referat [3].

399. — I. **Notio.** Collatio libera est officii ecclesiastici vacantis clerico idoneo ab habente potestatem pleno jure et canonice facta provisio.

400. — II. **Collatores.** Competit collatio officiorum :

1° *Romano Pontifici* per totum orbem, vi primatus jurisdictionis. Verumtamen nonnisi ob graves causas jure suo utitur Pontifex, sed servat ordinem a legibus ecclesiasticis introductum [4].

2° *Cardinalibus* [5] et *Legatis a latere* [6]. Illi jure ordinario conferunt officia quae vacaverint in eorum titulis atque episcopatibus suburbicariis ; hi jure delegato aliquando hac facultate potiuntur in provincia in qua legationis munere funguntur.

3° *Ordinario loci* qui « jus habet libere *providendi* officiis ecclesiasticis in proprio territorio, nisi aliud probetur ; hac tamen potestate caret Vicarius generalis [7] sine mandato speciali » (can. 152).

401. — III. **Regulae collationis.**

1° *Qualitates providendorum.* a) « Ad vacans officium promovendus debet esse clericus [8] iis qualitatibus (v. gr., aetatis, scientiae, probitatis etc.,) praeditus, quae a jure communi vel particulari aut a lege funda-

---

1. *Ibid.*, p. 80.
2. Cf. Trid. Sess. XXV, c. 7, de ref.; Sess. XXIV, c. 19, de ref.; WERNZ, *o. c.*, p. 81.
3. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 94.
4. Cf. Can. 232, 329, 1431, 1435 de beneficiis quorum collatio reservata est R. Pontifici. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 105 ss.; SANTI, *o. c.*, p. 89 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 605.
5. Cf. can. 240, § 1 et 2 ; 1432, § 1.
6. Cf. can. 266 ; WERNZ, *o. c.*, p. 121 s.
7. De capitulo et vicario generali dicetur infra.
8. Cf. supra, n° 351.

tionis ad idem officium requiruntur » (can. 153, § 1). De his qualitatibus in specie agetur suis locis ubi de singulis officiis [1].

b) Imo « assumatur, omnibus perpensis, magis idoneus, sine ulla personarum acceptione » (153, § 2). Illa obligatio urget et quidem sub gravi quoad *officia curata*, quia id Ecclesiae bonum exigit [2]. Urget etiam quoad *officia non curata*, quia id emolumentum Ecclesiae et justitia distributiva postulant. Hic tamen non adest obligatio gravis, saltem, ut limitant aliqui, si non fiat saepius [3].

Haec tamen obligatio praeferendi digniorem non est *ad valorem*. Non idem valet de absentia qualitatum in § 1 can. 153 requisitarum ; etenim : « cum provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est *nulla*, si ita cautum sit jure communi vel particulari aut lege fundationis ; secus est *valida*, sed per sententiam a legitimo Superiore irritari potest » (can. 153, § 3).

d) « Officia quae curam animarum sive in foro externo (v. gr. officium Vicarii Generalis) sive in foro interno (officium parochi) secumferunt, *clericis nondum sacerdotio initiatis* conferri *valide* nequeunt » (can. 154).

402. — 2° *Tempus provisionis.* « Officiorum provisio cui nullus terminus fuit speciali lege praescriptus, nunquam differatur ultra sex menses utiles [4] ab habita notitia vacationis [5] (can. 155) ; secus collatio pro ea vice devolvitur ad Sedem Apostolicam [6]. Postulat Ecclesiae bonum ut beneficium non vacet diutius quam par est ; defectu enim pastoris gregem dominicum lupus rapax invadit, et in facultatibus suis ecclesia viduata grave dispendium patitur [7].

403. — 3° *Officiorum incompatibilitas.*

« Sunt incompatibilia officia quae realiter non unita una simul ab eodem clerico adimpleri nequeunt » (can. 156, § 2), sive propter legem residentiae, uti sunt omnia officia curata et dignitates capitulorum, sive quia illa officia important obligationes diversas eodem tempore exercendas, ex. gr., officium judicis et notarii, sive quia in eadem ecclesia

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.* p. 60 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 589.
2. Cf. Trid. Sess. IX, c. 1, de ref.; Sess. XXIV, c. 1 et 18, de ref.
3. Cf. SOGLIA, *o. c.*, t. II, p. 209 s.; S. ALPHONSUS, *Theol. mor.*, l. IV, n. 103. Cf. FEYE, *De beneficiis*, n° 361 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 590.
4. Cf. can. 35 ; can. 34, § 3, 3°, de tempore supputando.
5. Firmo praescripto can. 458, qui exceptionem statuit de vacante paroecia.
6. Cf. can. 1432, § 3.
7. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 99 ; *Causa S. Severinae*, 20 maii 1905, ap. *Le can. contemp.*, 1905, t. XXVIII, p. 510. Cf. S. C. Conc., 14 nov. 1916, de provisione beneficiorum durante bello, *AAS.*, 1916, t. VIII, p. 445 s.; S. C. Conc., 26 febr. 1919, quo prius decretum revocatur, *ibid.*, 1919, t. XI, p. 77 s.

eadem onera et officia habent adnexa, uti duo canonicatus in eadem ecclesia [1].

Hodierna disciplina, interdicitur uni clerico duo officia incompatibilia conferre (can. 156, § 1).

Quamvis collatio secundi officii cum primo jam obtento non sit *irrita*, tamen simultanea possessio duorum officiorum incompatibilium ita a jure prohibetur ut, si clericus aliud officium cum priore jam obtento incompatibile acceptaverit et ejusdem pacificam possessionem obtinuerit, ipso facto et sine ulla declaratione vacet prius obtentum (can. 188, 3°). Quodsi clericus primum officium cum secundo retinere praesumat, utroque privatus ipso jure existit (can. 2396).

Dispensandi potestas ad acceptanda plura officia incompatibilia est penes *Romanum Pontificem*. Attamen « concessio alterius officii a Sede Apostolica facta *non valet*, nisi in supplici libello mentio prioris incompatibilis habeatur aut clausula derogatoria adjiciatur » (can. 156, § 3).

404. — 4° *Exclusiones quorumdam a peculiaribus officiis obtinendis.* Ad evitandam omnem speciem haereditariae successionis in officiis, jure cautum est [2] ne officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis, non vero alio modo uti si per mortem vacaverit, possit ab Ordinario qui renuntiationem acceptaverit aut sententiam tulerit *valide* conferri *suis aut resignantis* familiaribus [3], consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive (can. 157).

405. — 5° *Scriptura.* Ut provisio authentico et securo modo *probari* possit, oportet *ad liceitatem* ut cujuslibet officii provisio *scripto* consignetur (can. 159).

Non eadem ratione ordinarii collatores ac R. Pontifex litteras collationis expediunt.

Episcopi in publico collationis instrumento mentionem faciunt de meritis providendi, de natura officii, de modo et tempore vacationis, de personis quibus immissio in possessionem delegatur ; dein subscribuntur litterae a cancellario collatoris, et in quibusdam dioecesibus a duobus testibus ; tandem apponitur data expeditionis.

R. Pontifex collationis litteras expedit triplici forma, nempe in forma gratiosa, in forma dignum, et in forma commissoria [4].

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 87 ; AICHNER[11], *o. c.*, p. 314 ; MAROTO, *o. c.*, n. 595.
2. Cf. PIE IV, motu proprio *Cupientes*, 11 oct. 1560, § 1 ; PIE V, const. *Quanta Ecclesiae*, 1 apr. 1568, § 5 ; BENED. XIV, const. *Ecclesiastica*, 15 jun. 1746, ap. *Bull. Mechlin.*, t. IV, p. 131 ss.
3. Sunt ii qui familiariter cum Ordinario aut resignante convivunt.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 115. Cf. *infra*, de Cancellaria Apostolica et de Dataria, n. 602 s.

406. — Notandum. « Qui, alius negligentiam vel impotentiam supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum ; sed hujus juridicus status perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam juris normam peracta fuisset » (can. 158).

ARTICULUS II. — De electione.

Animadversio praevia. Cum jus commune de electione in nonnullis casibus *jure speciali* notabiliter modificetur, ideo jus speciale attendendum est, v. gr. in electione R. Pontificis [1], superiorum religiosorum, etc.

407. — I. Notio. Electio definiri potest : personae idoneae ad vacans officium ecclesiasticum per eos, quibus jus suffragii competit, canonice facta vocatio, legitimi superioris auctoritate confirmanda vel acceptatione electi perficienda [2].

Dicitur : a) *personae idoneae* [3]. De qualitatibus requisitis a jure ut aliquis sit eligibilis seu ut habeat *vocem passivam,* dicetur agendo de singulis officiis.

b) *ad officium ecclesiasticum vacans :* Plerumque officium de quo agitur in electione est praelatura sive saecularis sive regularis, v. gr. officium Episcopi, Vicarii Capitularis, Abbatis, superioris religiosi.

c) *per eos quibus jus suffragii competit.* Electores seu qui habent *vocem activam* etiam possunt esse *laici,* uti in religionibus laicalibus, etsi generaliter, constituant *collegium clericorum* [4].

d) *canonice facta,* sc., observatis normis canonum circa formam electionis.

e) *vocatio.* Electores enim designant quidem personam eligendi, sed nullo modo ei conferunt titulum officii ecclesiastici. Collatio officii fit vel a superiore competenti confirmante electionem ; vel a jure, si electio non indiget confirmatione, ut in electione R. Pontificis, Vicarii Capitularis et complurium superiorum religiosorum [5]. Ideo dicitur :

b) *legitimi superioris auctoritate confirmanda, vel acceptatione electi perficienda.* Omnes electi a Superiore competente, v. g. a R. Pontifice, Episcopo, Generali post electionem factam petere debent confirmationem electionis canonicae, nisi ex natura rei confirmatio haberi non possit velut in electione R. Pontificis, vel ex speciali jure non exigitur, ita non raro Abbates exempti, vel Generales complurium ordinum religiosorum eo ipso quod canonice sunt electi, ex speciali privilegio S. Sedis, censentur confirmati [6].

---

1. Cf. can. 160. — De electione R. P., quae unice regitur const. Pii X, *Vacante Sede Apostolica,* 25 dec. 1904, dicetur *infra.*

2. Cf. Pruemmer, *o. c.,* p. 104 ; Maroto, *o. c.,* n. 607 ss.; Wernz, *o. c.,* p. 124 s., ubi p. 127 s., notae historicae de electione traduntur. Auctor classicus de electione est Passerinus, *De electione canonica,* Romae, 1661.

3. Cf. supra n° 397, 401. Collegium quod indignum scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice jure ad novam electionem procedendi (can. 2390, § 1).

4. Wernz, *o. c.,* p. 130.

5. Cf. Pruemmer, *o. c.,* p. 106.

6. Wernz, *o. c.,* p. 146 s.

408. — II. **Divisio secundum formam.** Forma electionis triplex est : 1° per *scrutinium,* quando vota secrete et singillatim exquiruntur ; 2° per *compromissum,* quando electores, unanimiter arbitrio paucorum, etiam extraneorum, electionem committunt ; 3° per *inspirationem* aut *quasi-inspirationem* seu *acclamationem,* cum electores omnes, nemine repugnante, in loco solito congregati, quasi divino Spiritu ducti in unum consentiunt. Iste modus videtur esse abolitus in electione *regularium*[1] ; quoad alias electiones consulenda sunt jura particularia. Adhuc admittitur in electione R. Pontificis.

409. — III. **Electionum tempus utile.** Electio *quam primum* facienda est post vacationem officii. Nisi jure communi[2] aut particulari[3] statuatur terminus brevior aut longior ; nunquam differatur *ultra trimestre utile* computandum a die certo cognitae vacationis officii ; quo termino inutiliter elapso, Superior ecclesiasticus, cui jus confirmandae electionis (uti R. Pontifex relate ad Episcopum electum) vel jus providendi successive competit (uti Metropolita in casu neglectae electionis Vicarii capitularis), officio vacanti libere provideat (can. 161).

410. — IV. **Electorum convocatio.**

1° « Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii praeses, statuto modo, loco et tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio. » (can. 162, § 1). Vocandi sunt omnes capitulares qui jus habent suffragii et commode interesse possunt[4]. Electores ordinarie non sunt cogendi per edictum poenale ut electioni adsint. Attamen, supposita institutione electionis canonicae, ex natura rei quilibet elector aliquo modo obligatur ad eligendum ; nam *jus publicum* electionis canonicae, cum det facultatem ad aliquid quod bono communitatis est necessarium, eo ipso etiam obligat ad illius juris exercitium quatenus et in quantum bonum commune hoc postulat[5].

Convocatio, quando personalis esse debet, uti pro absentibus electoribus, valet, si fiat vel in locum domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis (can. 112, § 1), si scitur ubi degunt electores ; secus, per edictum publicum.

2° « Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio *valet,* sed ad ejus instantiam *debet,* probata praeteritione et absentia, a competente Superiore *irritari,* etiam secuta confirmatione, dummodo juridice constet recursum saltem *intra triduum* ab habita notitia electionis fuisse transmissum. Quod *si plures quam tertia pars electorum* neglecti fuerint, electio est ipso jure *nulla.* Attamen « defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint » (can. 162, § 2, 3, 4).

3° Concors canoni 150 est haec dispositio § 5, can. 162 : « Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam et non ad tempus determinatum tenet, convocatio electorum ante officii vacationem de jure nullum habet juridicum effectum. »

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 144 ; PRUEMMER, *o. c.,* p. 108.
2. V. gr., octiduum in electione vicarii capitularis.
3. V. gr., in electione quorumdam superiorum religiosorum.
4. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 136 s.
5. *Ibid.,* p. 137, nota ; PRUEMMER, *o. c.,* p. 110.

411. — V. Electores.

1° « Convocatione legitime secuta, jus eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum *per epistolam,* sed etiam *per procuratorem,* nisi lege peculiari aliud caveatur »[1] (can. 163).

2° « Etsi quis plures ob titulos[2] jus habeat ferendi *nomine proprio* suffragii, non potest nisi unicum ferre » (can. 164). E contrario posset quis duplex emittere suffragium, unum nomine proprio, aliud nomine procuratorio, si hoc jure peculiari liceat.

3° Cum jus eligendi ex concessione Ecclesiae primario et directe spectat ad collegium clericorum, « nullus collegio *extraneus* admitti potest ad suffragium, salvis privilegiis legitime quaesitis[3] ; secus electio est *ipso facto nulla* » (can. 165).

4° A fortiori excluduntur *laici,* utpote incapaces actus potestatis ecclesiasticae, nisi ex solo privilegio apostolico habiles reddantur. Quare vel in ipsis ordinibus religiosis, nisi agatur de institutis religiosis mere laicalibus, fratres laici electionibus intervenire nequeunt[4]. « Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo (per se vel per alios, vi aut metu) sese immiscuerint, electio *ipso jure invalida* est » (can. 166). Electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice jure eligendi ; qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis (can. 2390, § 2). Libertatem electionum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam, quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur (can. 2390, § 1).

5° Nequeunt suffragium ferre utpote inhabiles jure naturae aut ecclesiastico :

a) Incapaces actus humani, uti amentes aut furiosi ;

b) Impuberes ;

c) Censura vel infamia juris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam ;

d) Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt ;

e) Carentes voce activa sive ob legitimam judicis sententiam sive ex jure communi aut particulari[5] (can. 167, § 1).

« Si quis ex praedictis admittatur, ejus suffragium est nullum (ergo non numerandum) ; sed electio valet[6], nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi *scienter* admissus

---

1. Quoad jus anterius, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 132.
2. V. gr., in capitulo generali Ordin. Praedicatorum, ex-Generalis qui simul est Provincialis actu. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 110.
3. Ita v. gr., jus suffragii habent canonici honorarii in electione Episcoporum in Borussia et Helvetia. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 129. Relate ad consuetudinem applicandus est can. 5.
4. WERNZ, *o. c.*, p. 130.
5. Cf. PRUEMMER, *o. c.*, p. 106 ; MAROTO, *o. c.*, n. 622.
6. Secundum regulam juris 37 in VI : Utile non debet per inutile vitiari.

fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam » (can. 167, § 2).

6° « Si quis ex electoribus praesens in domo sit in qua fit electio (v. gr. in conventu), sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium ejus scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum » (can. 168).

412. — VI. **Forma electionis.**

Inter formalitates electionum canonicarum certae sunt *accidentales,* quae, si omissae fuerint electionem non reddunt invalidam ; huc spectant, v. gr., celebratio Missae de Spiritu Sancto, absolutio a censuris, juramentum de digniore eligendo, etc.[1].

Praeter istas formalitates, *triplex* est *forma substantialis* a sacris canonibus statuta, sc. : *forma scrutinii, forma compromissi* et *forma quasi-inspirationis,* qua electiones magistratuum ecclesiasticorum ad valorem, ut videtur, fieri debent[2]. Praetermissa in art. *de electione* hac ultima forma[3], codex normas servandas statuit in duabus prioribus.

413. — A. *Forma scrutinii.* 1° *Qualitates suffragiorum.*

a) Suffragium est nullum, nisi fuerit : α) *liberum,* i. e., independenter ab arbitrio tertii, vi, metu aut dolo injuncto[4] ; et ideo *invalidum* est suffragium, si elector metu aut dolo[5], directe vel indirecte (v. gr., gravis mali minis insectando personam electori conjunctam), adactus fuerit *ad* eligendam certam personam aut plures disjunctive, v. gr., Petrum vel Joannem ; β) *secretum,* hoc nimirum aptiori modo ut singuli electores verbis aptis secrete suum suffragium scribant, clausumque scrutatoribus tradant[6] ; γ) *certum,* non ambiguum, non alternativum ; δ) *absolutum,* non conditionatum. Conditiones *ante electionem* suffragio appositae tanquam *non adjectae* censentur ; ε) *determinatum,* ita ut persona electi per nomen, cognomen, officium ita determinetur ut ab omnibus certo cognosci possit[7] (can. 169).

2° *Operationes scrutinii.* Electiones moderatur *praeses* qui non necessario est e gremio collegii, ita in monasteriis monialium comitiis eligendae Antistitae praeest Ordinarius loci[8] ; adsunt officiales, nempe duo saltem *scrutatores* e gremio collegii, quorum est suffragia colligere, scrutari, numerare[9] et palam facere ; adest etiam *actuarius* qui electionis acta accurate describat (can. 171).

414. — B. *Forma compromissi*[10]. 1° Post plura scrutinia inutiliter tentata vel ad componenda dissidia, aliasque ob causas, « electio, nisi aliud

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 138 s.
2. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 138 s.
3. Cf. supra, n° 408.
4. Vide supra n° 411, cautiones libertatis electionum praesertim contra saecularem potestatem.
5. Cf. supra, n° 329 ss.
6. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 140.
7. Cf. MAROTO, *o. c.,* n° 624.
8. Cf. can. 506.
9. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil actum est, can. 171, § 3. — Cf. de operationibus scrutinii, MAROTO, *o. c.,* n. 632 ss.
10. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 143 ; MAROTO, *o. c.,* n. 638.

jure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, si nempe electores, unanimi et scripto consensu, in unum vel plures[1] idoneos sive de gremio sive extraneos jus eligendi pro ea vice transferant, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant. Si agatur de *clericali* collegio, compromissarii debent esse sacerdotes, secus electio est invalida. Compromissarii debent pro validitate electionis conditiones (quoad *personam* eligendam aut *formam* electionis) compromisso appositas, quae non sunt contra jus commune observare ; si nullae conditiones additae fuerint, servandum est ipsis jus commune circa electiones ; conditiones autem contra jus pro non appositis habeantur (ideo nec observandae). Si ab electoribus in *unam* tantum compromissum fuerit personam, haec nequit seipsam eligere ; si *plures* designati fuerint compromissarii, nemo ex iis proprio consensu potest accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat (nempe suo suffragio adimplendo numerum votorum requisitorum ad sui electionem perficiendam) » (can. 172).

2° *Cessat*[2] compromissum ad instar mandati et jus eligendi redit ad compromittentes : a) revocatione legitime a collegio facta, re integra seu non incepta exsecutione compromissi ; b) non secuta aut non servata aliqua conditione compromisso legitime apposita ; c) electione absoluta, si fuerit nulla (can. 173).

Nota. Singuli electores qui substantialem electionis formam scienter non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri[3] (can. 2391, § 2).

415. — VII. **Vitia substantialia electionis canonicae**[4]. Sunt praecipue sequentes :

1° Si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint (c. 162) ;

2° Si quis extraneus collegio illegitime ad suffragium admittatur (c. 165).

3° Si laicus contra canonicam libertatem electioni sese quoquo modo immiscuerit (c. 166).

4° Si scienter ut elector admissus fuerit censura aut infamia juris affectus, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam (c. 167).

5° Si constet decisivum fuisse suffragium aliorum electorum qui enumerantur eodem canone 167.

6° Si suffragia data sunt ex gravi metu injusto vel dolo (c. 169).

7° Si numerus suffragiorum superet numerum electorum (can. 171).

8° Si electio facta est simoniace[5] (c. 729).

416. — VIII. **Numerus suffragiorum ad efficacem electionem.** « Is electus habeatur et a collegii praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1, n. 1 »[6] (can. 174).

---

1. Melius est ad multa incommoda vitanda, ut dispar sit compromissariorum numerus. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 143.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 143.
3. Cf. SOLE, *o. c.*, p. 396.
4. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 652.
5. Cf. can. 2392, de poenis simoniacorum.
6. Cf. supra, n° 327. Cf. etiam can. 321 ; 329, § 3 ; 507, § 1. Vide PRUEMMER, *o. c.*, p. 109 ; FERRERES, *o. c.*, p. 125 s.

417. — IX. Intimatio et acceptatio electionis.

1° Electio illico (h. e. statim post electionem si electus est praesens ; quam primùm si est absens) intimanda est electo, qui debet saltem intra *octiduum* utile a recepta intimatione manifestare utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet ; secus, si absque justo impedimento intra illud tempus nihil manifestaverit, omne jus ad rem ex electione sibi quaesitum amittit [1] (can. 175). De jure particulari complurium ordinum religiosorum, nec electo intimatur electio nec ejus requiritur consensus, sed peracta electione, protocollum electionis ad superiorem, cujus est confirmare electionem, transmittitur. Huic praescripto constitutionum religiosis standum est [2].

2° Si electus *renuntiaverit,* omne jus ex electione quaesitum amittit, etsi renuntiationis eum postea quam manifestaverit poeniteat ; sed rursus eligi potest : collegium autem *intra mensem a cognita renuntiatione* ad novam electionem procedere debet (can. 176, § 1).

3° *Acceptatione electionis* electus, si confirmatione non egeat, v. gr. in electione vicarii capitularis, plenum jus statim obtinet, seu de officio de jure providetur ; secus, si confirmatione egeat, non acquirit nisi jus ad rem, i. e., ut ipsi idoneo officium per confirmationem conferatur (can. 176, § 2).

4° Ante acceptam confirmationem, ex qua formaliter fit canonica *provisio,* ipsi electo praetextu electionis non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt [3] (can. 176, § 3).

418. — X. Confirmatio electionis.

1° Electus, si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die acceptatae electionis (hoc die quidem non computato) confirmationem a competente Superiore petere per se vel per alium debet ; secus omni jure ex electione quaesito privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione justo impedimento fuisse detentum (can 177, § 1). Ex jure ordinario confirmatio spectat ad *immediatum Superiorem ecclesiasticum ;* verum Abbates nullius et Episcopi electi per Romanum Pontificem sunt confirmandi.

Omnes qui jure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo jure pro ea vice ipso facto privati manent (can. 2393) [4].

2° « Superior, si electum repererit idoneum, et electio ad normam juris

---

1. Et quidem *ipso facto* ut in anteriori jure, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 145.

2. Cf. PRUEMMER, *o. c.*, p. 107 ; BLAT, *o. c.*, p. 115 ; WERNZ, *o. c.*, p. 145, nota (105) ; PIAT, *Praelect. jur. regul.*, t. I, p. 546 s.

3. Cf. etiam can. 334, § 2. — Quoad poenas illatas tum in eos qui ad beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam electi, praesentati, nominati in eorumdem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserint, antequam necessarias litteras confirmationis seu institutionis acceperint easque illis ostenderint, quibus de jure, tum in collegia omnesque ad quos spectat, hujusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, cf. can. 2394. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 145.

4. Cf. SOLE, *o. c.*, p. 401 s.

fuerit peracta, nequit confirmationem denegare » (can. 177, § 2). Etenim propter jus ad rem electi, huic caeteroquin idoneo et canonice electo *ex justitia* concedenda est legitimo tempore et loco confirmatio. Quare si haec injuste denegetur vel differatur, patet recursus ad Superiorem confirmatoris, qui potest et debet hunc compellere, vel ipse jure devoluto concedere confirmationem [1].

« Confirmatio in *scriptis* dari debet » (can. 177, § 3), inquisitione peracta de meritis electi et de forma electionis.

3° Confirmatio fit sive in *forma communi,* quae valorem electioni non confert, sive in *forma specifica,* qua ex certa scientia et voluntate valor electioni tribuitur, sanando defectus in electione commissos, quatenus id a confirmatore fieri potest [2]. Hunc producit effectum ut « recepta confirmatione, electus obtineat plenum jus in officio, nisi aliud in jure caveatur » (can. 177, § 4). Electus ergo acquirit jus in re et facultatem petendi *institutionem* corporalem aut immediate per se capiendi possessionem officii sibi concessi [3]. Hinc etiam sine consensu competentis Superioris suo officio acquisito renuntiare non amplius potest [4].

419. — XI. **Provisionis devolutio.** « Si electio intra praescriptum tempus (juxta can. 161 et 176, § 1) peracta non fuerit, aut collegium jure eligendi privetur in poenam (v. gr., juxta can. 2391, § 1 ; 2394, § 3), libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui jus providendi successive competit » [5] (can. 178).

ARTICULUS III. — De Postulatione.

420. — I. **Notio.** Postulatio est actus quo electores suis suffragiis designant superiori competenti clericum de officio electivo *ex gratia* providendum, quando electioni ejus quem aptiorem putant ac praeferunt, impedimentum obest, super quo dispensari possit ac debeat [6].

421. — II. **Divisio.** 1° Postulatio de qua hic agitur secernenda est ab illa postulatione *simplici* et improprie dicta quae est petitio apud superiorem ut consentiat in electionem ejus, qui suae potestati subest. Ita qui monachum eligere velit, indiget venia hujus Abbatis.

2° Sed agitur de *solemni* et vera postulatione, electioni subsidiaria, qua a Superiore competenti [7] petitur, ut ex *indulgentia* et dispensatione ad officium ecclesiasticum eum assumere permittat, qui dignus quidem est sed ob impedimentum non juris divini sed juris ecclesiastici in quo dispensari solet eligi nequit [8]. Ita Episcopus ad alium Episcopatum non eligitur sed postulatur.

422. — III. **Normae postulationis.** Quaedam tantummodo ex canonibus

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 147.
2. WERNZ, *o. c.*, p. 148.
3. Cf. can. 1444.
4. Cf. can. 187, § 2. — Quoad potestatem et privilegia Episcopi confirmati, cf. infra tit. VIII, c. 1, *de Episcopis.* Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 148 s.
5. Cf. n° 409.
6. Ita BLAT, *o. c.*, p. 117. Cf. can. 179.
7. Cf. can. 181, § 1.
8. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 156 s.

hic adducimus. a) Ut postulatio *valeat,* requiritur major suffragiorum pars, imo duae tertiae partes, si « cum electione concurrat », seu si ex universo collegio electorum una pars *postulat,* alia pars *eligit,* tum solum postulatio electioni praevalet, cum in *postulandum* duplo major suffragiorum numerus quam in *electum* consentiat[1] (can. 180, § 1). b) Formula specialis pro postulatione non ad valorem requiritur ; ambigua tamen nullam reddit postulationem. Si elector dubitat num adsit impedimentum, expedit, ut validitas voti assecuretur, adhibere formulam *eligo vel postulo,* aut aequipollentem, quae valet pro electione, si impedimentum non exsistat, secus pro postulatione (can. 180, § 2). c) Per ipsam postulationem nullum jus postulato acquiritur (can. 181, § 3) ; at admissa, acceptanti plenum jus in officio statim acquiritur (can. 182, § 2)[2]. d) Mittenda est postulatio ad Superiorem ad quem pertinet electionem confirmare, si facultatem habeat ab impedimento dispensandi ; secus, ad Romanum Pontificem aut ad alium habentem facultatem (can. 181, § 1). e) Rejecta postulatione, jus eligendi ad collegium redit, nisi electores scienter illum postulaverint qui tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari ; tunc enim provisio ad Superiorem pertinet (can. 182, § 1).

CAPUT II.

DE AMISSIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

423. — Praenotanda. 1° Quaestio de *amissione* seu *vacatione officiorum ecclesiasticorum* intime connectitur cum *provisione* canonica. *Vacatione* enim *plena* id amittitur quod *provisione perfecta* fuit obtentum, i. e., titulus proprietatis (jus in re) et *possessio actualis* in aliquod officium ecclesiasticum, cum juribus et officiis inde quaesitis.

2° Amissio officiorum ecclesiasticorum est ergo cessatio juris proprietatis et possessionis, quod clericus habet in officium ecclesiasticum. Quae amissio si comprehendat cessationem *tituli et possessionis,* dicitur amissio plena seu *de jure et de facto ;* si solummodo titulus *aut* possessio cesset, in priori casu habetur amissio officii *de jure,* in altero, quo titulus non aufertur, tantum *de facto* existit amissio officii[3].

Patet hoc loco potissimum agi de amissione *tituli* officii.

3° Amittitur officium ecclesiasticum.

a) Per mortem naturalem illius qui officium obtinuit.

b) Per mortem, resignationem, depositionem, vel alium modum quo resolvitur jus Superioris a quo fuerat concessum officium ecclesiasticum non amittitur, nisi lex aliud caveat, uti pro officio vicarii generalis quod vacat per mortem Episcopi, officio Cardinalis Cancellarii per

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 59. Cf. PRUEMMER, *o. c.,* p. 111.
2. WERNZ, *o. c.,* p. 161.
3. Ita WERNZ, *o. c.,* p. 234, coll., p. 77. Cf. supra n. 397.

mortem R. Pontificis, aut nisi in concessione habeatur clausula : ad beneplacitum nostrum (h. e., ad beneplacitum personale, non autem ad beneplacitum sedis) [1], vel alia aequipollens (can. 183, § 3).

c) Lapsu temporis praefiniti, uti verificatur pro nonnullis officiis regularibus.

d) per renuntiationem expressam aut tacitam tenentis officium.

e) per privationem aut amotionem ipso jure aut ex facto legitimi Superioris factam.

f) per translationem.

De his ultimis tribus modis agunt can. 184-195 [2].

ARTICULUS I. — Renuntiatio officii ecclesiastici.

424. — I. **Notio.** Renuntiatio generatim est libera proprii officii ecclesiastici dimissio, ex justa causa et cum consensu superioris eam acceptantis legitime facta [3].

425. — II. **Divisio.** Alia est *expressa,* alia *tacita. Expressa* est dum expressis verbis aut scriptis dimittitur officium [4]. *Tacita* est cum officium dimittitur non verbis, sed facto aliquo libero, unde ex juris dispositione renuntiatio officii consequatur.

426. — III. **Tacita renuntiatio.** « Ob tacitam renuntiationem ab ipso jure admissam *quaelibet* officia vacant *ipso facto* et sine ulla declaratione, si *clericus :*

1° Professionem religiosam emiserit, salvo circa beneficia, praescripto can. 584 [5] ;

2° Intra tempus utile jure (quovis) statutum vel, deficiente jure, ab Ordinario determinatum [6], de officio provisus, illud adire neglexerit (seu illius possessionem capere sciens et potens omiserit) ;

3° Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et ejusdem pacificam possessionem obtinuerit [7] ;

---

1. Cf. c. 5, VI, I, 3 ; BLAT, *o. c.*, p. 123 ; WERNZ, *o. c.*, p. 272 s.

2. Cf. SOGLIA, *o. c.*, t. II, p. 220 ; WERNZ, *o. c.*, p. 235 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 338 ss.; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 262 ; GILLMANN, *Die Resignation der Benefizien,* Mainz, 1901 ; GENNARI, *Sulla privazione del beneficio ecclesiastico,* Roma, 1905 ; PRUEMMER, *o. c.*, p. 112 ; BLAT, *o. c.*, p. 122 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 678.

3. Cf. can. 184 ; 187, § 1 ; WERNZ, *o. c.*, p. 236. Vocatur etiam dimissio, resignatio. Cf. GILLMANN, *o. c.*, p. 1 ss.; WERNZ, *o. et l. c.*, nota(3).

4. Distinctio inter renuntiationem expressam *puram* et *conditionatam,* explicabitur, infra, loquendo de renuntiatione beneficiorum.

5. « Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia, post triennium cetera ».

6. Cf. can. 1444, § 2.

7. Vide supra, n° 403.

4° A fide catholica *publice* [1] defecerit (sc., per haeresim formalem aut per apostasiam a fide, quamvis in alterutro casu nulli sectae nomen dederit) [2] ;

5° Matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit ;

6° Contra praescriptum canonis 141, § 1 [3] militiae saeculari nomen sponte dederit ;

7° Habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine justa causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione recepta resumpserit [4] ;

8° Residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit nec responderit [5] (can. 188).

427. — IV. **Requisita legitimae renuntiationis expressae.** Generatim ut renuntiatio jure fiat, requiritur habilitas a parte renuntiantis, justa causa, debita forma, acceptatio superioris :

1° *Habilitas subjecti.* « Quisque *sui compos* potest officio renuntiare, nisi speciali prohibitione renuntiatio sit ipsi *interdicta* » (can. 184). Inde parochus amens nequit renuntiare paroeciae [6]. Prohibentur a renuntiatione valide facienda novitii [7] ; clerici in sacris constituti, nisi constet eos necessaria ad honestam sustentationem aliunde habere [8].

2° *Justa causa* (can. 184 ; 189, § 1). Inter causas legitimas enumerantur : debilitas corporis ex senio vel morbo ; defectus scientiae ; conscientia criminis propter quod, etiam peracta poenitentia, exsecutio officii impediretur ; malitia plebis, ita ut ministerium ipsi utile amplius esse nequeat ; capitales inimicitiae etc. [9].

3° *Debita forma* [10]. a) Oportet ut sit *libera* nec *simonia vitiata.* Ideo « renuntiatio *ex* metu gravi, injuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace [11] facta *irrita* est ipso jure » (can. 185). Metus levis aut etiam gravis sed juste incussus, ita etiam error accidentalis de circum-

1. Cf. can. 2197, 1°.
2. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 125.
3. Vide supra n° 384.
4. Cf. supra n° 367 ss.
5. Cf. supra n° 392.
6. Cf. can. 2148. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 238.
7. Cf. can. 568.
8. Cf. can. 1484, 1485. Cf. GILLMANN, *o. c.*, p. 26 ss.
9. Cf. c. 10, X, I, 9 ; WERNZ, *o. c.*, p. 240 ; GILLMANN, *o. c.*, p. 36 s., 47 s.
10. Cf. DE ANGELIS, *o. c.*, t. I, p. I, p. 170 ss.; FEYE, *o. c.*, n° 406 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 241 ss.; GILLMANN, *o. c.*, p. 93 ss.
11. Cf. can. 1486.

stantia non reddit dimissionem irritam [1]. b) « Renuntiatio, ut *valida* sit, fieri debet a renuntiante *aut* scripto, *aut* oretenus coram duobus testibus, *aut* etiam per procuratorem speciali mandato munitum ; et scriptum renuntiationis documentum in Curia deponatur » (can. 186).

4° *Interventus aut acceptatio superioris.*

a) « Renuntiatio *generatim,* ut valeat, ei fieri debet a quo est acceptanda, vel, si acceptatione non egeat (uti dimissio Vicarii capitularis [2]) a quo clericus officium accepit vel qui ejusdem locum tenet. Quare si officium per confirmationem, admissionem vel institutionem collatum fuerit, renuntiatio fieri debet Superiori ad quem de jure ordinario confirmatio, admissio vel institutio spectat » (can. 187). Ideo clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit (can. 2400). Ratio horum praescriptorum patet. Sicut nemo sine auctoritate Superioris competentis ad officium ecclesiasticum *assumi* potest ; ita eadem auctoritas interveniat necesse est in dimissione officii ecclesiastici. Imo renuntiatio propria auctoritate [3] et sine licentia competentis auctoritatis facta tanquam corruptela in jure est reprobata, ideoque etiam *per consuetudinem* hujusmodi perversa praxis introduci non potest [4].

b) *Regula generali* is Superior ecclesiasticus ad renuntiationem admittendam competens est qui *provisionem canonicam* concedit. *In specie* renuntiationes officiorum *minorum Ordinarii* rite admittunt, non vero Vicarii Generales sine mandato speciali [5]. Vicarii capitulares admittere tantum possunt renuntiationem horum officiorum quae juxta can. 455, § 2 conferre valent [6]. Renuntiationes Episcopatuum, aliorumque *majorum* officiorum a solo R. Pontifice admitti possunt [7].

c) « Superiores sine justa et proportionata causa renuntiationes ne acceptent. Renuntiationem *Ordinarius loci* intra mensem (a die notificatae renuntiationis) vel admittat vel rejiciat » (can. 189).

428. — V. Effectus acceptationis.

1° « Officium, renuntiatione legitime facta et acceptata, *vacat* postquam renuntianti *significata* est acceptatio. Renuntians in officio permaneat donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit »

---

1. Cf. supra n° 329 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 241 s. Cf. S. C. C., 24 apr. 1880, ap. *ASS.*, t. XIII, p. 501 ss.
2. Cf. can. 443, § 1.
3. Cf. can. 2399.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 243.
5. Ex can. 152.
6. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 244 ; CLAEYS-BOUUAERT, *Selecta capita Cod.*, p. 30.
7. Cf. GILLMANN, *o. c.*, p. 144 ss., 183 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 244.

(can. 190). Post certam illam resignanti significationem amittit omne jus in officio quoad titulum, possessionem, administrationem, perceptionem fructus, sicuti absolvitur ab omnibus obligationibus officio annexis.

2° Quoad effectus speciales renuntiationis nonnullorum officiorum, dicetur infra ubi de potestate episcopali, tit. VIII, c. 7 et de religiosis, tit. XII, c. 3.

3° « Semel legitime facta[1] renuntiatione, non datur poenitentiae locus (ne renuntians videatur Superiori illudere), licet ipse possit officium dimissum ex alio titulo consequi » (can. 191, § 1).

429. — VI. **Renuntiationis acceptatae publicatio.** « Acceptata renuntiatio tempestive nota fiat iis qui aliquod jus in officii provisionem habent[2] » (can. 191, § 2).

ARTICULUS II. — Privatio officii ecclesiastici.

430. — 1° Privatio[3] officii est modus quo inducitur amissio officii ecclesiastici non ex *libera voluntate* expressa, tacita aut praesumpta illius qui officium obtinet, sed *coacte* et necessario sive *ipso jure* sive *ex facto* seu ex mandato revocationis *legitimi Superioris* (can. 192, § 1). Ista ablatio necessaria officii ecclesiastici incurritur sive *ex facto criminoso* ob quod clericus ipso facto privatus est, aut sententia condemnatoria privandus est vel privari potest officio suo[4], sive *ex facto non criminoso,* ex justa et proportionata causa.

2° Praeter Romanum Pontificem[5], clericum sibi subditum officio privare aut ab eo revocare seu amovere valent servatis juris normis *Ordinarii,* non vero qui eum ad officium elegerunt, vel postulaverunt aut praesentaverunt (can. 195).

3° Si agatur de officio *inamovibili,* Ordinarius nequit *valide* clericum eodem privare, nisi mediante *processu* ad normam juris (can. 192, § 3) positam in libro IV codicis *de judiciis,* et notatim in tit. XXVII et ss., sive agatur de privatione poenali propter delictum in jure expressum,

---

1. Censemus expresse factam renuntiationem debere generatim a Superiore *acceptari* ut irrevocabilis sit renuntiatio, propter connexionem cum jure anteriori, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 245 ; GILLMANN, *o. c.*, p. 111 ss. Ita CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.*, p. 30 ; MAROTO, *o. c.*, n. 683. In sensum contrarium, BLAT, *o. c.*, p. 126.

2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 242 s.

3. Privatio solet audiri de ablatione ob poenam delicti. Hic in textu canonis includit praeterea amotionem qua privatur quis officio suo ob causam justam, etiam citra gravem culpam.

4. Elenchus delictorum ob quae clerici privati sunt ipso jure, aut privandi sunt aut privari possunt invenitur ap. PRUEMMER, *o. c.*, p. 114 ss.; MAROTO, *o. c.*, n. 686 et in *Indice analytico-alphabetico* Codicis, v° *privatio.* — Notandum est poenam depositionis et degradationis includere privationem officii et beneficii.

5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 273 s.

sive de remotione etiam citra delictum [1]. Si agatur de officio *amovibili,* privatio decerni ab Ordinario potest *ex qualibet justa causa,* prudenti ejus arbitrio, etiam citra delictum, naturali aequitate servata [2], sed *certum procedendi modum* sequi minime tenetur, salvo canonum praescripto circa paroecias amovibiles [3]; privatio tamen effectum non habet, nisi postquam fuerit a Superiore intimata; et ab Ordinarii decreto datur *recursus* ad Sedem Apostolicam, sed in devolutivo tantum (can. 192, § 3). Hoc modo administrativo removere valent Ordinarii clericos ab officiis manualibus sive ad nutum revocabilibus, vel generatim ab officiis quibus ex jure communi *subjectiva* perpetuitas non est concessa, v. gr. officium Vicarii generalis, dummodo id faciant *ex justa et proportionata causa;* secus illicita est privatio aut remotio, at nullitatis argui nequit [4].

Si quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat, ea, praemissa monitione, deserere cogatur per suspensionem a divinis, aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa (can. 2401).

ARTICULUS III. — Translatio ab uno ad aliud officium ecclesiasticum.

431. — I. **Notio.** Translatio est clerici de *uno* officio ecclesiastico in *aliud* ex competentis superioris auctoritate ob causam justam necessitatis vel utilitatis Ecclesiae canonice facta mutatio [5]. Translatio cum in genere denotet ex una parte *renuntiationem* aut *revocationem* ab uno officio eclesiastico, prouti fit consentiente aut invito clerico, et *promotionem* ad aliud, ratione termini ad quem est *provisio canonica,* ratione termini a quo *renuntiationi* aut *remotioni* est adnumeranda. Inde intelligitur quomodo logice agatur de hac re in codice postquam actum est tum de provisione canonica, tum de renuntiatione voluntaria tum de privatione vel amotione coacta.

432. — II. **Divisio.** Translatio *dividitur* in *liberam,* quae sponte acceptatur a translato, et in *coactam,* quae invito imponitur ob legitimam causam, etiam absque culpa, praeprimis in *bonum animarum.* Cum

---

1. V. gr. de amotione parochorum inamovibilium.
2. Ut clerico privato aut amoto provideat de futuro.
3. In lib. IV, tit. XXVIII.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 274. Cf. S. Rot. Rom., *Bonaëren.*, remotionis a beneficio manuali, 6 maii 1916, *AAS.*, 1917, t. IX, p. 85 ss.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 257, ubi, p. 260 ss. notae historicae de translatione traduntur. — De permutatione quae est resignatio reciproqua beneficiatorum agetur in lib. III, tit. XXV, cap. 6. Vide etiam MAROTO, *o. c.*, n. 688 ss.

etiam imponi potest in poenam delicti ab officio majore ad minus, translatio habet secundario *indolem poenalem* [1].

433. — III. **Normae canonice factae translationis.** Ut translatio canonice fiat oportet ut ex auctoritate Superioris competentis, ex justa causa, et debita forma perficiatur.

1° *Auctoritas competens* [2]. Ex dictis supra intelligitur canon 193 § 1 : « Translatio ab uno ad aliud officium ecclesiasticum ab eo tantum perfici potest, qui jus habet tum acceptandi renuntiationem, tum removendi a primo officio et promovendi ad alterum. » *Romano Pontifici* reservatur translatio episcoporum aliorumque praelatorum immediate Sedi Apostolicae subjectorum. Minorum officiorum rectores transfert Episcopus in cujus dioecesi ea sita sunt aut qui horum canonicam provisionem concedere valet [3]. Ideo qui clericum ad officium elegerunt vel postulaverunt aut praesentaverunt, nequeunt eum ad aliud officium transferre (can. 195).

2° *Justa causa et debita forma.* Ad translationem, si *de consensu clerici* fiat, quaelibet *justa causa* sufficit. At patet requiri gravior causa necessitatis aut utilitatis Ecclesiae in translatione Episcopi propter vinculum matrimonii spiritualis inter Episcopum et ecclesiam suam, quam in translatione inferiorum magistratuum. Si invito clerico fiat, *eadem fere causa* requiritur *idemque procedendi modus* ac pro *privatione* [4], firmo praescripto can. 2162-2167 [5], quod ad translationem attinet parochorum inamovibilium et amovibilium (can. 193, § 2).

Cum translatio sit vera provisio officii ecclesiastici concurritque cum renuntiatione aut amotione, leges de libera collatione, renuntiatione etc., sunt observandae.

434. — IV. **Effectus translationis.** 1° « In translatione prius officium vacat cum clericus alterius possessionem canonice capit [6] nisi aliud a jure cautum sit vel a legitimo Superiore praescriptum » (can. 194, § 1).

2° « Reditus prioris officii translatus percipit, donec aliud occupaverit » (can. 194, § 2).

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 257, 260.
2. *Ibid.*, p. 263 ; PRUEMMER, *o. c.*, p. 116 ; MAROTO, *o. c.*, n. 690.
3. Quando officia in diversis dioecesibus sita sunt, consensus utriusque Ordinarii generatim requiritur. — *Vicarius capitularis* habet facultatem transferendi quoad officia quae ipse conferre valet.
4. Cf. supra n° 430.
5. Lib. IV, tit. XXIX.
6. Cf. de translatione Episcoporum, can. 430, § 3. Quoad jus anterius cf. WERNZ, *o. c.*, p. 267 s.; DE BRABANDERE-VAN COILLIE [3], *o. c.*, n° 363.

TITULUS V

DE POTESTATE ORDINARIA ET DELEGATA.

Fontes. Can. 196-210. Decret. GREG. IX, l. I, tit. 31 *de offic. jud. ordin.;* Decret. BONIF. VIII, l. I, tit. 16 *de offic. ordin.;* CLEMENTIN., l. I, tit. 9 *de off. jud. ordin.;* Extravg. com., l. I, tit. 7 *de off. jud. ordin.;* Decret. GREG. IX, l. I, tit. 29 *de off. et pot. jud. deleg.*, tit. 28, *de offic. vic.;* Decret. BONIF. VIII, l. I, tit. 14, *de off. et pot. jud. deleg.;* CLEMENTIN., l. I, tit. 8, *ead. rubr.;* Extravg. com. l. I, tit. 6, *ead. rubr.*

Auctores. FEYE, *o. c.*, p. 247 ss.; WERNZ, *o. c.*, t. II, pars 1ª, p. 1 ss.; pars 2ª, p. 282 ss.; SANTI, *o. c.*, t. I, p. 258 ss.; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 31 ss.; BARGILLIAT, *o. c.*, t. I, p. 214 ss.; AICHNER, *o. c.*, p. 67 ss.; BLAT, *o. c.*, p. 128 ss.; FERRERES, *o. c.*, n° 360 ss.; PRUEMMER, *o. c.*, p. 117 ; MAROTO, *o. c.*, n. 694 ss.; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 222 ss. — Textus ap. GALANTE, *o. c.*, p. 387 ss.

435. — I. Connexio Materiae. Postquam in praecedentibus titulis actum est de personis et officiis clericorum, convenienter jam adducitur titulus *de potestate* in genere quam clerici nanciscuntur, exercere et delegare possunt ex ipsorum officiis. Quae quidem potestas duplex est : *ordinis* et *jurisdictionis*. De potestate *ordinis* vix in titulo V agitur, sed hac de re sermo fit ubi de singulis gradibus hierarchiae et de actibus uniuscujusque ordinis. Restat dicendum ergo *de jurisdictione in genere,* nam in specie de jurisdictione singulorum graduum hierarchiae et de jurisdictione ad audiendas confessiones propriis locis tractabitur [1].

436. — II. Notio et divisio potestatis. In Libro fundamentali *de Ecclesia,* cap. III, art. 4, constitit, Ecclesiam esse ex institutione CHRISTI societatem *inaequalem,* quae per proprios magistratus, hoc est per Petrum et Apostolos eorumque successores administratur, cum potestate sibi propria nec aliunde dependente. Ista autem *potestas,* sicut potestas cujuslibet societatis perfectae, ad ejus *finem* assequendum proportionata esse debet. Cum itaque finis Ecclesiae proximus sit cultus Dei et sanctificatio animarum ; cumque ille finis nonnisi geminarum virium conspiratione comparari possit, scilicet gratia sanctificante, quam CHRISTUS per sacramenta conferri voluit ; atque hominis, tum per rectam fidem, tum per bonam vitam cooperatione ; necessario sequitur *duplex potestatis genus* in Ecclesia esse oportere, eam scilicet, quae ordinatur ad efficienda et conferenda sacramenta, quaeque *potestas ordinis* dicitur ; et eam, quae ad Ecclesiae regimen, seu ad fidelium cooperationem dirigendam, et quantum fieri potest, efficaciter urgendam instituta est, quaeque *potestas jurisdictionis* appellatur. Hanc significat can. 196 dicendo : *Potestas jurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia.*

Duplicem hanc potestatem, pro suo more, nitide exponit S. Thomas [2] : « Duplex, inquit, est spiritualis potestas ; una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quae per aliquam con-

1. Cf. PRUEMMER, *o. c.*; p. 117.
2. 2-2, q. 39, a. 3.

secrationem confertur. Omnes autem consecrationes Ecclesiae sunt immobiles, manente re quae consecratur ; et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur... Potestas autem jurisdictionis est, quae ex simplici injunctione hominis confertur, et talis potestas non immobiliter adhaeret ; unde in schismaticis et haereticis non manet[1]. »

Tertiam potestatis speciem, quam *magisterium* appellant, invexerunt nonnulli recentiores canonistae, quos inter Phillips[2] et Permaneder ; praeferuntque divisionem in potestatem *ministerii, regiminis* seu *imperii* et *magisterii*. Potestas ministerii sacramenta resque sacras administrat ; potestas regiminis ad Ecclesiae gubernationem spectat, conjunctamque habet auctoritatem condendarum legum, judicandi, poenisque coercendi ; potestas magisterii res fidei et morum docet atque definit. At non videtur discedendum a partitione in scholis catholicis communiter recepta. Si enim purum est magisterium, potestas dici nequit ; sin autem ita concipitur, ut jus eidem insit inclinandi fideles in obsequium fidei eorumque assensum imperandi, pars est potestatis jurisdictionis[3]. Nec hanc tertiam potestatis speciem admisit codex juris canonici[4].

Potestas ordinis plenius exponitur a theologis[5] ; nobis autem disserendum est de potestate jurisdictionis.

§ 1. NOTIO JURISDICTIONIS.

437. — Vi vocis jurisdictio idem est ac potestas *juris dicendi* seu judicandi. Verum in jure canonico latius accipitur, et generatim sumpta definitur *potestas publica regendi fideles, sive docendo, sive imperando, judicando, puniendo, in totius societatis ecclesiasticae vel etiam singulorum bonum, a Christo vel Ecclesia per canonicam missionem alicui concessa.*

Dicitur 1° *potestas publica,* quia ab Ecclesia, quae est auctoritas publica, exercetur et confertur clericis, qui eam non suo, sed Ecclesiae nomine exercent ; et quia versatur circa regimen seu gubernationem fidelium, in societatem publicam coadunatorum, rectumque ordinem in sacrorum administratione servandum[6].

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 4 ss. de distinctione et connectione utriusque potestatis ; FEYE, *o. c.*, p. 273 ss.; PRUEMMER, *o. c.*, p. 117.
2. Cf. PHILLIPS, *o. c.*, t. I, p. 27 ss., 304 ; t. II, p. 126 ss., 135 ss.
3. Cf. FEYE, *o. c.*, p. 249 ss.; ubi tota illa discussio scientifice exponitur ; WERNZ, *o. c.*, p. 8 ss.
4. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 486, p. 567, nota (2).
5. Circa hanc potestatem fert can. 210 : « Potestas ordinis, a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio (v. gr. praefecturae Apostolicae), sive commissa personae, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit jure vel indulto concessum ». Applicationem hujus canonis videbimus postea ubi v. gr. sermo est de reconciliatione ecclesiae pollutae aut coemeterii violati.
6. LAURENTIUS, *o. c.*, p. 33.; WERNZ, *o. c.*, p. 5.

Dicitur 2° *regendi fideles sive docendo, sive imperando, judicando, puniendo ;* nam potestas jurisdictionis latissime patet, et complectitur *a/* magisterium doctrinale, seu potestatem docendi res fidei et morum ; *b/*potestatem condendi leges, quibus societas ecclesiastica regitur ; *c/* potestatem gubernandi fideles conformiter ad leges conditas ; videlicet judicandi causas tum reales, tum personales, tum disciplinares ; et puniendi reos juris violati, ut ex decursu praelectionum patebit.

Dicitur 3° *in totius societatis ecclesiasticae vel etiam singulorum bonum,* ut ratione *finis* indicetur discrimen inter jurisdictionem fori externi et fori interni.

438. — Dicitur 4ª *per canonicam missionem alicui concessa* [1]. Potestas illa confertur non speciali aliqua consecratione seu ordinatione, ut potestas ordinis, sed legitima missione, quae definiri solet : legitima assignatio subditorum ; sive, ut aliis placet : deputatio legitima ad exercendum munus spirituale, sine qua quivis actus jurisdictionis nullus et irritus est. Illa deputatio est radix omnis potestatis peragendi officia ecclesiastica. Vocatur titulus jurisdictionis [2].

439. — Dicitur 5° *a Christo vel ab Ecclesia.* Jurisdictio est enim vel *juris divini* vel *juris ecclesiastici,* prout vel ab ipso CHRISTO, vel ab Ecclesia originem sumit.

Jure divino duplex est gradus jurisdictionis ; summus pontificatus et officium episcopale. Supremum gradum obtinet R. Pontifex, cui plenissima ac nulli subjecta potestas in universam Ecclesiam ac singula ejus membra a CHRISTO tradita est. Auctores etiam conveniunt officium episcopale in genere esse juris divini ; sed magna animorum contentione in Concilio Tridentino exagitata est quaestio an singuli Episcopi jurisdictionem suam particularem, quam vi officii pastoralis in suas dioeceses exercent, *immediate* a CHRISTO, an potius a R. Pontifice accipiant. Quaestione hac theologis relicta, notari tamen volumus jurisdictionis episcopalis exercitium a R. Pontifice pendere, qui justis de causis poterit illud ex toto, vel ex parte auferre, cum ei cura et sollicitudo omnium Ecclesiarum concredita sit [3].

Jure autem ecclesiastico constituti sunt gradus Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, atque ministrorum inferiorum, uti sunt parochi.

Nota. Adhibebimus vocem *jurisdictio* ut plurimum in sensu suo pro-

1. HELLMUTH, *Die Missio canonica,* in *Arch. für kath. Kirchenr.,* 1911, t. XCI, p. 448 ss.; 601 ss., ubi tantum agitur de officio publico docendi.
2. Infra, n° 452.
3. Cf. Praelectiones dogmaticae generalis ; DE BROUWER, *o. c.,* p. 411 ss.; VAN NOORT, *De Ecclesia Christi*², p. 213 ss.; BENED. XIV, *De Synodo,* l. I, c. 4, n° 2 ; WERNZ, *o. c.,* t. II, 2ª pars, p. 526 ss; PRUEMMER, *o. c.,* p. 158, nota 5. Cf. can. 218, § 2 ; 329, § 1.

prio indicato, simul tamen sub ea comprehendendo *administrationem*, quae consistit in variis actibus ad rectum ordinem conducentibus.

§ 2. VARIAE JURISDICTIONIS SPECIES.

Variae species jurisdictionis proveniunt a diversitate aut *fori* in quo exercetur, aut *gradus extensionis* in subjecto illam exercente, aut *modi* quo exercetur, aut *tituli* ratione cujus subjectum illam exercet.

440. — A. **Ratione fori** [1], dividitur in jurisdictionem *fori interni*, seu *in foro poli* [2] aut *conscientiae ;* et *fori externi*, seu *in foro fori* (can. 196).

a) Jurisdictio *fori interni* est illa, quae primario ac directe respicit privatam uniuscujusque fidelis spiritualem utilitatem. Ordinat relationes morales fidelium ad Deum, non relationes eorum sociales ad Ecclesiam ut societatem visibilem [3].

Haec jurisdictio subdividitur in sacramentalem seu *poenitentialem*, quae exercetur in sacramento poenitentiae vel saltem ejus occasione ; et *extrà-sacramentalem* seu *extra-poenitentialem*, quae extra illud exercetur, ut si quis extra confessionem relevetur a reservatione peccati [4]. Tractatio jurisdictionis fori interni quasi tota spectat ad theologiam moralem.

b) *Jurisdictio fori externi* est illa, quae proxime spectat ad publicam fidelium utilitatem, et externum sacrae societatis ordinem, atque exercetur publice, in facie Ecclesiae et cum effectibus publicis et socialibus [5]. Recte definitur : *Potestas publica et legitima subditos praeceptis et legibus gubernandi, eosque judicandi et puniendi in ordine ad bonum sociale Ecclesiae.*

Tuetur externam disciplinam ; et ita fideles dirigit, ut actiones eorum cum ea conveniant. Ad eam pertinent definitiones fidei, legislatio, institutio ministrorum, concessio facultatis absolvendi, facultas exercendi judicia, ferendi censuras et poenas, ab eisque absolvendi ; facultas dispensandi in votis et irregularitatibus, quamvis hujusmodi potestas quandoque tribuatur jurisdictionem duntaxat fori interni habentibus, ea conditione ut tantum in sacramento poenitentiae ea uti valeant. Consequenter jurisdictionis fori externi tractatio fere exclusive pertinet ad scientiam juris.

---

1. Nomen *Forum* acceptum est a jure Romano, in quo denotat praecipue locum in quo jus dicebatur.
2. *Polum* idem significare videtur ac *coelum* seu salus aeterna. Cf. c. 43. C. XVIII, q. 4 ; c. 3, in VI, v, 12.
3. WERNZ, *o. c.*, p. 14 ; *Collat Brugen.*, 1899, t. IV, 596 ; MAROTO, *o. c.*, n. 718.
4. Cf. can. 196 ; 202, § 2 ; 1044 ; 2250, § 3, etc.
5. WERNZ, ibid.; *Collat. Brugen.*, ibid.; MAROTO, *o. c.*, n. 721.

441. — *Ex his deducitur* 1° duplex esse in Ecclesia forum ; et graviter errare illos qui forum externum Ecclesiae abjudicant ; quod clarius eruetur ex probandis *infra* de potestate legifera, judiciaria et coercitiva.

Notari hic potest *a/* superiores ecclesiasticos jurisdictionem habere vel solius fori externi, uti esset judex delegatus ; vel solius fori interni, uti sunt parochi ; vel utriusque fori, uti sunt Episcopi.

c/ Sano modo intelligendum esse vulgare adagium : *Ecclesia de internis non judicat.* Ecclesia de internis non judicat in foro suo interno, *neg.* ; in foro suo externo, seu judiciali publico, *conc.* In hoc enim foro judicat tantum de factis externis [1], quae saltem externo modo prodierunt. Hinc simonia mentalis non subjacet poenis ecclesiasticis ; communio sacrilega, quamvis non sufficiat ad implendum praeceptum paschale, in foro externo ab Ecclesia non judicatur.

2° Differre jurisdictionem fori interni a jurisdictione fori externi, sicut utilitas privata differt a publica.

3° Quam maxime distare potestatem sacram a civili, haec enim fori interni jurisdictionem habere nequit.

442. — B. **Ratione gradus extensionis,** jurisdictio dividitur in *universalem* et *particularem* [2].

a/ Universalis illa est, quae nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias potestati Ecclesiae subjectas ; sed se extendit ad omnes et omnia in universo orbe. Ejusmodi fuit jurisdictio Apostolorum, ejusmodi hodie est jurisdictio R. Pontificis, et Concilii oecumenici. Universalis quoad loca et personas, sed non quoad materias, competit jurisdictio pluribus Dicasteriis Romanis, v. g. S. Officio, Congregationi Rituum, Tribunalibus, etc.

b/ Particularis illa est, quae restringitur vel ad certas personas, qualis est jurisdictio Praelatorum regularium in suos monachos ; vel ad certum locum, qualis est jurisdictio parochi in sua parochia, Episcopi in sua dioecesi, etc. ; vel ad certas materias, qualis est omnis jurisdictio concessa cum reservatione aliquorum casuum. Quando jurisdictio particularis determinata est ad certas personas, non ad certa loca, exerceri potest ubique locorum, modo non perturbet jurisdictionem Ordinarii

---

1. Cf. adagium Innocentii III, in c. 34, X, v, 5 : Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare. Juxta communem sententiam theologorum et canonistarum actus *mere interni,* vi *solius* jurisdictionis ecclesiasticae *directe* in foro *externo legibus* humanis praecipi vel prohiberi non possunt. Cf. WERNZ, *o. c.,* t. I, p. 114 ; cf. tamen VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 53 ss.; STRAUB, *o. c.,* t. II, p. 35 ss.; TROMBETTA, *Utrum Ecclesia habet potestatem praecipiendi actus mere internos,* Sorrento, 1920 (in sensum affirmativum). Cf. etiam *L'ami du clergé,* 1920, t. XXXVII, p. 636 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 185.

2. Cf. MAROTO, *o. c.,* n. 728 ss.

loci ; jurisdictio autem quae alicui competit ratione territorii, locum dedit sub hoc respectu pluribus dubiis, quae omnia suis locis expendentur.

443. — C. **Ratione modi** jurisdictio dividitur in *voluntariam* et *contentiosam.*

a/Voluntaria, seu *extra-judicialis,* exercetur plerumque in volentes, et versatur circa ea de quibus superior, pro prudenti suo arbitrio, ex aequo et bono, sine forma judicii, disponit, quin ab ejus administratione detur appellatio. Hujusmodi est jurisdictio *gratiosa* et *dispensativa,* qua superior largitur favores, indulgentias, privilegia, absolutionem a peccatis, dispensationes, facultates quae ab ejus voluntate pendent, etc. ; jurisdictio *legislativa, exsecutiva* et *administrativa,* qua leges condit et exsequitur, ministros instituit vel transfert ; jurisdictio *oeconomica* et *correctiva,* qua subditos corrigit aut emendat per modum paternae correctionis, potius quam per modum poenae.

b/ Contentiosa, seu *judicialis,* exercetur in invitos, et versatur circa ea quae in controversiam veniunt, ac judicari debent juxta jus strictum, adhibita stricta forma judicii servatisque regulis jure praescriptis. Tales sunt multae causae matrimoniales et beneficiales, causae criminales quae limites excedunt paternae correctionis et oeconomicae administrationis, etc. [1].

444. — D. Tandem **ratione tituli** jurisdictio dividitur in *ordinariam* et *delegatam.*

a/ Jurisdictio *ordinaria* dicitur ea, « quae ipso jure adnexa est officio », (can. 197, § 1), quae ergo alicui competit ratione officii, dignitatis aut beneficii curati, cui ex jure communi, nempe per legem aut consuetudinem, adnexa est. Habetur itaque eo ipso quod officium aliquod vel munus ecclesiasticum alicui conferatur. Attendi debet hic agi de *officio stricte dicto,* stabiliter constituto, cui objectiva perpetuitas de essentia est, etsi ei forte desit subjectiva perpetuitas [2]. Inde, v. gr., potestas jure agnita muneri confessarii non est potestas ordinaria [3].

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 16. Cf. etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 226.
2. Cf. supra, n° 384. Cf. NOVAL, *De judiciis,* n° 182, Augustae Taurinorum, 1920.
3. Olim a sat multis auctoribus agnoscebatur tertia species jurisdictionis, nempe *quasi-ordinaria,* quasi medium locum tenens inter potestatem ordinariam et delegatam. Communius intelligebatur illa quae ex una parte non consequebatur proprio et nativo jure muneris adeptionem, et ex alia parte, a superiore derivata, adeo stabiliter et permanenter, idque non per modum specialis commissionis erat adnexa muneri, ut huic ipsi inesse et quasi ex ipso profluere videretur. Cf. *Collat. Brugen.,* 1900, t. V, p. 373 ss. Haec jurisdictio quasi-ordinaria, cujus notio in fontibus canonicis non inveniebatur nec seria utilitate commendabatur, a pluribus olim jam reducebatur ad jurisdictionem ordinariam. Cf. WERNZ, *o. c.,* 1 pars, p. 16 s.; VAN BRABANDERE-VAN COILLIE [s], n° 89. Cf. apud *Coll. Gandaven.,* 1920, t. VII, p. 204 s., conamen hanc tripartitam jurisdictionis divisionem iterum inducendi.

Potestas ordinaria potest esse sive *propria,* sive *vicaria* (can. 197, § 2). Jurisdictio ordinaria *propria* est illa quam quis ratione officii principalis et proprii exercet nomine proprio, non quasi vices alterius gerens, uti Episcopus residentialis. Jurisdictio ordinaria *vicaria* [1] dicitur illa quam aliquis legitime deputatus exercet *ex officio et ex jure,* at *vice* et *nomine alterius,* sive intercedat identitas personae juridicae inter Vicarium et personam principalem cujus vices ille ex officio gerit, sive contra existat diversitas personae juridicae inter utrumque. Nempe vel lex superiori concedit ut valeat constituere vicarium qui loco sui, et ex proprio suo foro jurisdictionem exerceat officio accessorio vicarii jure annexam, talis est jurisdictio Vicarii Generalis, Vicarii Capitularis, Vicarii Provincialis regularis, Vicarii actualis et perpetui [2]; vel ipsum jus instituit officia quaedam cum potestate vicaria quae vi officii pertinet ad aliquem legitime deputatum tanquam agentem secundarium et substitutum personae principalis, cujus potestatis particeps est at non ita ut vicarius et persona principalis censeantur exercere potestatem in eadem sede, in eodem tribunali ; talis est jurisdictio Legati Apostolici, Administratoris Apostolici, Vicarii et Praefecti Apostolici, Pro-vicarii Apostolici. Censemus Vicarios primi generis proprie dicta potestate ordinaria vicaria potiri, alios vero improprie dicta quae plerumque ad ordinariam propriam accedit [3].

445. — Jurisdictio ordinaria competit : 1° R. Pontifici pro tota Ecclesia in utroque foro. De jurisdictione papali participant summus Poenitentiarius papalis ; legatus *a latere* in locis suae legationis et Congregationes Romanae. Tribunalia Romana externi fori exercent propria auctoritate jurisdictionem ordinariam.

2° Cardinalibus in suis titulis [4].

3° Legatis et Nuntiis apostolicis in provinciis, ad quas mittuntur [5].

4° Abbatibus vel Praelatis *nullius,* eorumque Vicario Generali.

5° Episcopo in sua dioecesi, pariter in utroque foro. Ordinariam quoque jurisdictionem habent Vicarius Generalis, vivente Episcopo, et Capitulum vel Vicarius Capitularis, sede vacante, aliique qui de auctori-

---

1. Notio jurisdictionis vicariae varia apud varios auctores tradebatur. Cf. HINSCHIUS, *Kirchenrecht,* t. I, p. 181 ss., t. II, p. 218 ; AICHNER, *o. c.,* p. 72 s.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 38. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 15.

2. Illi omnes, eo ipso quod ex juris praecepto aut certis in adjunctis constituantur, obtinent intra limites lege determinatas jurisdictionem jure suis muneribus annexam, ita ut etiam in his verificetur objectiva perpetuitas ad officium stricte dictum requisita. Cf. tamen BLAT, *o. c.,* p. 136.

3. Cf. de hac re MAROTO, *o. c.,* n. 697 ss., 702, ubi tamen conceptum potestatis vicariae nimis extendere videtur, v. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 225.

4. V. infra n. 565, tit. VII, cap. III.

5. Infra, n. 609, tit. VII, cap. V.

tate episcopali participant ; Archiepiscopus in dioecesibus suffraganeis, sed in visitatione et appellatione tantum.

6° Parochis et vicariis actualibus seu perpetuis pro subditis in foro interno, et *secundum quid* in foro externo, sc. relate ad paroeciae administrationem.

7° Superioribus majoribus [1] in religionibus clericalibus exemptis, uti sunt Generales, Abbates, Praepositi, Provinciales, Guardiani, pro suis subditis. Ex jure particulari Superiores locales aliquando pollent vera jurisdictione ordinaria.

8° Concilio generali pro tota Ecclesia ; provinciali pro provincia, et dioecesano pro dioecesi.

446. — Sub nomine *Ordinarii* intelliguntur ii soli, qui ordinariam, sive propriam sive vicariam, potestatem habent in foro *externo*. Consequenter « In jure nomine *Ordinarii* intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, *pro suo quisque territorio* Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis (omnibus) deficientibus interim ex juris praescripto aut ex probatis constitutionibus (particularibus) succedunt in regimine [2], *pro suis vero subditis* Superiores majores in religionibus clericalibus exemptis [3] » (can. 198, § 1) [4].

« Nomine *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis » (can. 198, § 2).

447. — *b/* Jurisdictio *delegata* ea est, quam quis non habet jure proprio, hoc est ratione officii vel dignitatis, sed solum ex peculiari commissione seu injunctione, immediata vel mediata, expressa vel tacita, alterius jurisdictionem ordinariam habentis, cujus vice exercetur [5]. Hujusmodi est jurisdictio fori interni presbyterorum, quos *Vicarios* et *Capellanos* hodie vocamus.

448. — Variae distinguuntur delegatorum *species :* 1° alii sunt delegati *ab homine,* alii *a jure,* alii *a consuetudine. Ab homine,* quando quis

---

1. Cf. can. 488, 8° : « Veniunt nomine Superiorum majorum, Abbas Primas, Abbas superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui juris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes ».

2. V. gr. Sede vacante, Capitulum et Vicarius capitularis, Pro-vicarii et Propraefecti.

3. Verisimiliter etiam eorum Vicarii, aliique ad instar provincialium potestatem habentes. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 701.

4. Cf. decret. S. Officii, 20 febr. 1888, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XX, p. 123, coll., t. XXX, p. 200 ss.

5. Cf. *Collat. Brugen., l. c.;* WERNZ, *o. c.*, 2ª pars, p. 289 s. ; MAROTO, *o. c.*, n. 704 ss.

per specialem commissionem committit alteri ea, quae ipsemet peragere potest per se, vel per alios. A *jure,* quando jus ipsum delegationem tribuit, non ratione officii, sed per modum specialis commissionis. Sic quilibet sacerdos jurisdictionem habet a jure communi in articulo mortis; sic confessarii instruuntur certis in adjunctis facultate dispensandi super impedimentis matrimonialibus [1]. *A consuetudine* tandem, quando, absque speciali superioris commissione et sine lege positiva, usu approbato receptum est ut in aliquo casu jurisdictio habeatur.

449. — 2° Alii sunt *personaliter,* alii vero *realiter* delegati. Si delegatio fit intuitu personae, *personalis* audit ; si dignitatis intuitu, *realis* nuncupatur. Nisi ex contextu vel subjecta materia aliter judicandum sit, personalis censetur delegatio si nomen delegati exprimatur, vel aliqua formula personali indicetur ; realis vero, si loco nominis, dignitas vel locus exprimatur vel nomen personae dignitati postponatur, v. g. Episcopo Brug. N. Haec transit ad successorem, illa vero expirat morte delegati [2]. In dubio censenda est personalis.

450. — 3° Alii sunt delegati *universales,* seu *ad universalitatem causarum,* quando ipsis committuntur causae universae in cura dioecesana aut paroeciali, vel saltem omnes causae certi generis, v. g. matrimoniales ; alii delegati *speciales, particulares,* quando ipsis committitur determinata aliqua causa, vel certus causarum numerus, vel causae quae agitantur inter certum personarum numerum.

451. — 4° Si pro eodem negotio plures sunt delegati, hoc potest fieri vel *in solidum,* quando unusquisque solus totum negotium tractare potest, vel *collegialiter,* quando ad valorem omnes simul debent negotium peragere.

§ 3. ADEPTIO JURISDICTIONIS.

452. — Excepto R. Pontifice, qui post electionem rite peractam, et acceptatam immediate a CHRISTO suam recipit potestatem, nullus se ingerere debet in quodvis officium seu ministerium ecclesiasticum, nisi hoc ei concessum fuerit a potestate superiori [3].

Porro ad legitimam concessionem tria requiruntur : potestas in concedente, habilitas in recipiente seu subjecto, et forma debita in actu concessionis. Haec si concurrant, efficiunt *titulum legitimum,* vi cujus habetur et exercetur quaevis jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata.

Si titulus a competenti Superiore obtentus laborat aliquo vitio essen-

1. Cf. can. 1044 ; 1045, § 3.
2. Infra, n° 478. Cf. SANCHEZ, *De Matrimonio,* l. VIII, disput. 27, n° 3.
3. Cf. supra, n° 395.

tiali, sive ex parte potestatis in concedente, sive ex parte habilitatis in recipiente, sive ex parte formae requisitae in actu concessionis vocari potest *titulus invalidus*. Quodsi reapse a nulla aut incompetenti auctoritate fuit concessus vel ab legitimo superiore debite fuit revocatus dicitur *titulus nullus* aut *fictus*. Titulus invalidus aut fictus, qui validus existimatur aut revera adesse putatur a communitate cujus interest est *titulus putativus* aut *existimatus* [1].

Proinde ad legitimum titulum jurisdictionis tum ordinariae tum delegatae requiruntur, ut diximus, tres conditiones : potestas in concedente, habilitas in subjecto, forma debita in actu concessionis ; de quibus seorsum agere nunc oportet.

A. Potestas in concedente.

453. — I. Subjectum activum jurisdictionis ordinariae.

Cum jurisdictio ordinaria unice acquiratur per obtentionem officii, dignitatis vel beneficii, cui adnexa est, sequitur eam conferri ab illis solis, qui potestatem habent conferendi officium, dignitatem vel beneficium cui jurisdictio concedenda adhaeret. Quaestionis itaque solutio repetenda est e variis hujus *Compendii* locis, in quibus de collatione singuli officii, dignitatis vel beneficii sermo erit.

454. — II. Subjectum activum jurisdictionis delegatae.

A. **Potestas delegandi.** « Qui jurisdictionis [2] potestatem habet *ordinariam,* potest eam alteri ex toto [3] vel ex parte *delegare,* nisi aliud expresse caveatur [4] » (can. 199, § 1). Hic agitur de illo qui habet jurisdictionem ordinariam utriusque fori, vel *saltem fori externi,* modo materia sit delegabilis, et delegatus habeat dotes requisitas [5].

Dicitur *saltem fori externi :* quia in praesenti Ecclesiae disciplina delegare amplius non possunt ii, qui solam *interni fori* jurisdictionem

---

1. Quoad notionem tituli invalidi, ficti, putativi, colorati sub anteriori jure, cf. De Brabandere-Van Coillie [8], *o. c.*, n° 97. Titulus *coloratus* vocabatur plerumque ille qui collatus *a competenti superiore,* vitio aliquo *occulto* et *ex facto* provenienti laborabat, ita ut inefficax esset ad conferendam jurisdictionem, non obstante *apparentia* seu *colore* legitimitatis propter conferentis competentiam.

2. Quae potestas delegandi non se extendit ad privilegia. Cf. S. Poenitentiaria, 18 julii 1919, apud *AAS.*, 1919, t. XI, p. 332.

3. Dummodo illa totalis delegatio sine temporis limitatione et restrictione facta non aequivaleat resignationi, et institutioni novi Ordinarii, quod non valet facere Ordinarius inconsulto competente Superiore.

4. Sic multa sunt negotia quae Episcopus tantummodo valet Vicario suo Generali delegare et quidem ex mandato speciali.

5. C. 7, in VI, I, 16 ; reg. jur. 68 in VI : *Potest quis per alium quod potest facere per seipsum ;* Conc. Trid. Sess. XXIV, c. 6 de ref. Hoc bonum publicum et abundantia rerum postulat. Cf. etiam can. 66, § 2. Materia non delegabilis est v. gr., infallibilitas.

habent [1]. Sic parochi, licet habeant jurisdictionem ordinariam, sed fori interni, stricte dictam jurisdictionem concedere nequeunt [2]. Nihilominus possunt plures functiones per alios exercere : quinimo ipsis licet, ad paucos dies, totam curam parochialem committere presbytero ad confessiones et praedicationem approbato. Ratio est quod ad omnes illos actus, excepta confessione et praedicatione, sufficiat *licentia,* et non requiratur jurisdictio proprie dicta. Excipienda tamen est delegatio *generalis* ad assistendum matrimoniis, si ille presbyter non est vicarius cooperator [3].

455. — *Nota. Jurisdictio delegata* multum differt a simplici *licentia,* seu commissione ad actus qui non requirunt *veros subditos.* Licet igitur haec etiam saepe vocetur delegatio, et facultas per eam accepta dicatur et ipsa delegata potestas, vel subinde etiam, sed improprie, jurisdictio, res tamen non sunt confundendae. Actus enim, ad quos requiruntur veri subditi, ideoque vera jurisdictio, uti absolutio et actus qui pendent a potestate regiminis, defectu jurisdictionis semper sunt *invalidi ;* actus vero, ad quos sola requiritur licentia, *non sunt invalidi,* nisi licentiae necessitas ad valorem sit praescripta, ut pro assistentia matrimonio coram parocho loci. Consequenter, tunc regulariter requiritur tantum licentia, quando quis aliunde habet agendi potestatem quoad substantiam actus ; sed propter rectum ordinem ea potestate uti nequit, nisi de consensu alterius.

456. — B. **Potestas subdelegandi.**

1° « Potestas jurisdictionis ab *Apostolica Sede* [4] delegata *subdelegari* potest sive ad actum sive etiam habitualiter » (can. 199, § 2), tum ob eminentem dignitatem illius quem delegatus repraesentat, tum ne negotia justo longius protrahantur [5].

Ita Episcopus ordinarie potest subdelegare facultates Apostolicas sibi concessas. Ista subdelegatio fieri potest pro tota causa delegata vel pro parte tantum (can. 199, § 2).

Excipe : a/ quando electa est a R. Pontifice *industria personae ;* id est, quando sufficienter Papa indicat se velle rem expediri per ipsum delegatum. Hoc autem praesumitur fieri : *α/ implicite,* dum agitur de

---

1. Cf. can. 401, § 1, de canonico poenitentiario.

2. Cf. can. 874, § 1, cum interpretatione authentica Comm. ad interpret. cod. can., 16 oct. 1919, ad 3, ap. *AAS.,* 1919, t. XI, p. 476 ss.; *Coll. Brugen.,* t. XX, p. 139. Cf. *Rev. ecclés. de Liége,* 1920-1921, t. XII, p. 86 s., cum auct. ibi citatis ; *Theol. Prakt. Quartal-Schrift,* 1920, t. LXXIII, p. 87 ss.; MAROTO, *o. c.,* n. 706.

3. Cf. can. 1096, § 1.

4. Cf. can. 7. — Non dicitur a *jure communi* delegata.

5. C. 3, 28 et ultim. X, I, 29. Cf. Decret. S. O. 14 dec. 1898, ap. *ASS.,* 1899, t. XXXI, p. 635.

causa ardua [1] ; β/ *explicite*, regulariter dum in rescripto occurrunt haec vel similia verba : *per te ipsum ; personaliter ; tuis manibus ; de industria, discretione,* aut *prudentia tua* [2].

Excipe : b) si subdelegatio fuerit prohibita (can. 199, § 2). Proinde in praxi sedulo inspicienda et observanda est forma rescripti Apostolici.

457. — 2° Etiam certum est delegatum *ab eo qui infra R. Pontificem,* habet potestatem ordinariam, puta ab Episcopo, vel a parocho, *subdelegare* non posse. Legitur enim cap. *Cum causam.* De appellationibus [3] : « cum nonnisi delegatus a principe alii valeat delegare ».

Potest tamen *subdelegare* jurisdictionem, licentias vel facultates, sed tantum in singulis casibus et non habitualiter [4] : *a/* si sit delegatus ad *universalitatem causarum* (can. 199, § 3). Sic vicarius, qui cum approbatione Episcopi deputatus est ad vices parochi absentis gerendas, alteri committere potest unam alteramve causam, uti Baptismum, S. Eucharistiam, Extremam-Unctionem, S. Viaticum, imo benedictionem nuptiarum secundum jus commune ; non autem praedicationem illi qui ad concionandum ab Episcopo non fuit approbatus ; quia jure cautum est, ut in ecclesiis non exemptis soli approbati praedicare valeant, nec facultatem excipiendi confessiones ut statim vidimus [5]. *b/* Si delegatio tantum sit ad *certas causas,* « potest potestas jurisdictionis delegata subdelegari tantummodo ex concessione expresse (non ex praesumptione) facta, sed articulum aliquem non jurisdictionalem (uti est examen testium) etiam sine expressa commissione judices delegati possunt subdelegare » (can. 199, § 4). Hinc Decani, seu vicarii foranei, qui deputantur ad quosdam actus jurisdictionis episcopalis, subdelegare possunt, si concedat Episcopus. Hinc delegati a proprio parocho ad assistendum matrimonio, subdelegare alterum non possunt, nisi sint delegati ad universalitatem causarum, aut potestatem subdelegandi acceperint.

Notandum vicepastores nostrae dioecesis et in Belgio generatim, licet ab Episcopo jurisdictionem accipiant, et universalem licentiam alia sacramenta administrandi in parochia, delegatos tamen non esse ad matrimonialia [6].

---

1. Cf. c. 3 (in fine), X, I, 29.
2. C. 43, § 1 *de offic. deleg.* X, I, 29 ; c. 12, in VI, I, 14. — Cf. de rescriptis, can. 57, vide supra, n° 301.
3. C. 62, in fin. X, II, 28.
4. Potestas delegata vel subdelegata *in singulis casibus*, pro *unico actu* valet ; *habitualiter* concessa, valet pro numero casuum definito vel pro omnibus casibus per certum tempus. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 228.
5. Cf. resp. cit. Com. ad interpr. cod. can., 16 oct. 1919, ad 3.
6. Cf. *Nouv. rev. théol.*, 1897, t. XXIX, p. 365 ; Decret. S. O., 7 sept. 1898, ap. *Collat. Brugen.*, 1899, t. IV, p. 110 ; *Nouv. rev. théol.*, 1899, t. XXXI, p. 179 ; DE SMET, *a. c.*, n° 120.

A parochis autem licentia assistendi matrimonio dari non solet nisi ad singulos casus. Si tamen parochus, in absentia sua, vicario suo universam curam parochiae committat, censetur comprehendi facultas assistendi matrimoniis ; tumque delegatus subdelegare potest ad casus particulares [1].

3° Nulla *subdelegata* potestas potest iterum *subdelegari* nisi id expresse concessum fuerit (can. 199, § 4).

B. Habilitas subjecti passivi.

458. — I. **Subjectum passivum jurisdictionis ordinariae.**

1° Juxta superius dicta [2], *requiritur ut sit clericus.*

In quo autem gradu debeat clericus esse constitutus, determinant SS. canones pro variis officiis et dignitatibus, ut suis locis videbitur.

2° Plures requiruntur in clerico *dotes,* quae generatim sunt : *a/* aetas praescripta ; *b/* morum honestas, quae potissimum consistit in immunitate a censuris et irregularitatibus ; *c/* scientia competens. Opus non est notare has dotes pondere et praestantia officiorum esse dimetiendas.

459. — II. **Subjectum passivum delegationis vel subdelegationis.**

Delegari et subdelegari generatim possunt omnes illi qui nec natura, nec lege excluduntur, et dotibus requisitis sunt instructi [3]. 1° Natura excluduntur ii soli qui privantur usu rationis. Lex excludit non tantum mulieres, sed et laicos, ut statim diximus, excommunicatos [4], et juxta plures, irregulares. Ratio est quod assumptio ad officium vel dignitatem, vel etiam ad exercitium jurisdictionis, sit quaedam communicatio ecclesiastica, quae excommunicato interdicitur. Item dicendum videtur de personaliter interdictis et suspensis [5].

Quod spectat autem ad irregulares, illicite saltem conferretur ea pars jurisdictionis, quae supponit exercitium SS. Ordinum.

2° Ad *dotes* quod attinet, oportet ut pro gravitate negotii eligatur delegatus *providus, juris gnarus, discretus* [6].

Olim delegandus a Papa, propter R. Pontificis dignitatem, et propter idoneitatis praesumptionem, de jure constitutus esse debebat in aliqua *dignitate* ecclesiastica, vel possidere *personatum* aut *canonicatum* eccle-

---

1. Cf. *Theol. Mechl., De Matrimonio,* n° 88, q. 3 ; *Nouv. rev. théol.,* 1871, t. III, p. 254 ss.; Feye, *o. c.,* p. 192 ; De Smet, *o. et l. c.,* coll. p. 419, *addenda et complenda.*
2. Cf. n. 351, 401.
3. Cf. C. 3, X, h. t. 29 ; Maroto, *o. c.,* n. 708.
4. Cf. can. 2264 ; c. 24, X, II, 27.
5. Cf. can. 2275, 2279.
6. C. 1, X, IV, 14.

siae cathedralis ; tales sunt Officialis seu Vicarius Generalis Episcopi, Vicarius Capitularis, Prior conventualis [1]. At illa regula non amplius commemoratur in Codice.

Episcopus vero potest delegare simplicem clericum, caeteroquin discretum et juris gnarum, etiam *non subditum* [2]. Hic autem potest delegationem recusare [3] ; quod subjectus Episcopi nequit ; at si acceptaverit, tenetur munere sibi commisso fungi usque ad finem negotii, quia sponte se subjecit hac in parte jurisdictioni Episcopi.

C. Forma debita in actu concessionis.

460. — I. Forma collationis jurisdictionis ordinariae.

Cum jurisdictio ordinaria adnexa sit officio et officium conferatur clerico per *provisionem canonicam,* haec interveniat necesse est in collatione jurisdictionis ordinariae [4].

461. — II. Forma collationis jurisdictionis delegatae.

1° *Nulla forma specialis* requiritur pro collatione jurisdictionis delegatae, quae confertur *a jure* vel *consuetudine ;* talis enim cum officio confertur in locis, ubi jus illud vel consuetudo viget. Neque generatim pro illa, quae acquiritur *ab homine ;* sufficit ut verbo, scripto, vel alio signo expresse manifestetur *voluntas* superioris jurisdictionem concedentis. Notandum est etiam canonem 100, § 2 statuere : « Ei qui se delegatum asserit, incumbit onus probandae delegationis » ; quod facilius fieri poterit, si delegatio scripto fiat. Si tamen jus praescripsit aliquam formam sub poena nullitatis servandam, haec procul dubio est adhibenda.

2° Utrum vero requiratur jurisdictionis delegatae *acceptatio,* non convenit inter auctores. Videtur tamen affirmandum, saltem si delegatio facta fuerit clerico *non subdito ;* quia non censetur concedi, nisi acceptetur sive explicite sive implicite nempe usu facultatis concessae. Unde probabilius invalide daretur ignoranti [5].

3° Agitur hic de conferenda *jurisdictione delegata :* nam, si opus tantum esset simplici *licentia,* non requireretur ex ipsa notione licentiae actus delegantis positivus ; sufficeret consensus de praesenti merito

---

1. C. 11, in VI, I, 3 ; c. 2, Clem., I,2. Cf. De Angelis, *o. c.,* t. I, pars 2, p. 126 ss.; Wernz, *o. c.,* p. 295 ; Santi, *o. c.,* t. I, p. 263 s. Cf. supra, n. 301.
2. C. 41, X, h. t.
3. C. ult., in VI, I, 2 : « *Extra territorium jus dicenti impune non paretur* » ; c. 28, X, h. t. 29 ; c. 11, X, I, 31.
4. Cf. supra n° 395 s.
5. Cf. can. 37 ; supra *de rescriptis,* n° 292. Cf. Maroto, *o. c.,* n. 709.

praesumptus, aut etiam ratihabitio rationabiliter sperata [1]. Istud applicatur celebrationi Missae in parochia aliena, Baptismo et Extremae-Unctioni ministrandis in absentia parochi, etc. ; non tamen assistentiae matrimonio [2]. Sed rationabiliter non praesumitur consensus, quando quis potest facile petere licentiam, et negligit.

§ 4. INTERPRETATIO POTESTATIS JURISDICTIONIS.

462. — I. Cum *ad dubia solvenda* circa amplitudinem potestatis jurisdictionis multum juvat cognoscére num haec *late* vel *stricte* pro natura sua sit interpretanda, sequentes statuuntur a Codice regulae (can. 200, § 1).

1° « Potestas jurisdictionis *ordinaria* et *ad universitatem negotiorum delegata, late* [3] interpretanda est ; alia quaelibet stricte [4] ». Potestas enim ordinaria in jure favorabilis censetur ; eique aequiparatur potestas delegata ad universalitatem causarum.

2° « Cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non posset, » v. gr. absolvere a censuris si quae forte obstant dispensationi consequendae, saltem ad hunc effectum [5]. Ratio est quod ille qui finem committit, etiam media ad finem necessaria commisisse censeatur [6].

463. — II. Ad praecavendas usurpationes et ut cum certitudine constet de existentia mandati, « ei qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis » (can. 200, § 2). Delegatus non potest *valide* procedere antequam mandatum delegationis aut rescriptum pontificium receperit, nisi praevia hujus notitia ad eum fuerit auctoritate delegantis transmissa [7]. Praeterea opus est ut se legitimet seu delegationem acceptam probet [8]. Hoc autem fit litteras authenticas communicando Ordinario et ligitantibus, si sit delegatus a R. Pontifice ad aliquod negotium fori externi, vel adhibendo testes [9], si absque litteris ab infe-

1. Cf. supra, n° 455.
2. Cf. DE SMET, *o. c.*, n° 117. Sufficere tamen censetur delegatio *tacita*.
3. Non dicitur *extensive*, cf. can. 67.
4. Cf. tamen can. 66, § 1, juxta quem facultates *habituales* accensentur privilegiis praeter jus, ergo late interpretandae (can. 50).
5. Cf. can. 66, § 3.
6. Cf. c. 1, 5, 7, 11, 21, 26, X, I, 29 ; WERNZ, *o. c.*, p. 297 ; SANTI, *o. c.*, p. 266 ss.
7. Cf. can. 53, supra *de rescriptis*, n° 302. Cf. SANTI, *o. c.*, p. 265 ; WERNZ, *o. c.*, p. 298 ; S. Poenitent., 15 jan. 1894 ap. *Nouv. rev. théol.*, 1895, t. XXVI, p. 406, quo responso confirmatur decret. S. Off., 14 aug. 1892 ; juxta quae responsa, notitia telegraphica gratiae concessae non sufficit, nisi transmissa fuerit ex officio auctoritate S. Sedis. Cf. DE SMET, *o. c.*, n° 879.
8. Cf. SANTI, *o. c.*, p. 265.
9. Cf. c. 10, X, II, 22.

riore Ordinario sit delegatus. Ratio est quod delegatio sit factum, et facta non praesumantur.

§ 5. EXERCITIUM POTESTATIS JURISDICTIONIS.

464. — I. Quoad personas et territorium.

1° « Potestas jurisdictionis potest in *solos subditos directe* exerceri » (can. 201 § 1). Quod principium deducitur ex ipsa natura potestatis jurisdictionis. Quinam sunt subditi *ordinariae* jurisdictionis, tum quoad jurisdictionem territorialem, tum quoad eam quae personarum causa definitur dicitur alibi [1]. Quoad jurisdictionem *delegatam* erunt insuper applicanda principia : Potestas delegatorum maxime erui debet ex mandato sibi commisso, et : Nemo potest plus juris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur [2].

Notetur quod *indirecte*, i. e., ratione conjunctionis cum subditis jurisdictio aliquando exerceatur in non subditos, v. gr., si ageretur de impedimento matrimoniali disparitatis cultus.

2° *Judicialis* potestas (fori sive interni sive externi) tam ordinaria quam delegata exerceri nequit : a) in proprium commodum (cum nemo judex in propria causa), aut b) extra territorium (juxta effatum : Extra territorium jus dicenti impune non paretur), salvis praescriptis can. 401, § 1 et 881, § 2, de jurisdictione *ordinaria* judiciali *fori interni* extra territorium valide exercendi, et can. 1637, quoad jurisdictionem judicialem *fori externi*, quae sub certis conditionibus, extra territorium quoque exerceri potest (can. 201, § 2).

Contra « nisi aliud ex rerum natura (v. gr. dispensatio ab irregularitate) aut ex jure constet, potestatem jurisdictionis *voluntariam* seu *non-judicialem* (sive ordinariam sive delegatam) quis exercere potest etiam in proprium commodum [3], *aut* extra territorium existens, *aut* in subditum e territorio absentem » (can. 201, § 3) [4]. Patet jurisdictionem delegatam semper restringi posse quoad territorium [5].

465. — II. Quoad forum.

1° « Actus potestatis jurisdictionis sive *ordinariae* sive *delegatae* colla-

---

1. Cf. can. 94 s.; 111 ss.; pars secunda libri II *de religiosis*, etc. Cf. supra, n. 312 ss., 347 ss.
2. Reg. jur. LXXIX, in VI. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 138.
3. Cf. Resp. S. C. de Indulg., 1 febr. 1905, juxta quod qui impertiatur absolutionem generalem possit ipsemet eamdem recipere, cf. *Il Monitore eccles.*, 1905-1906, t. XVII, p. 205 s.
4. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 139 s.
5. Quoad jus anterius cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE [3], *o. c.*, n° 95 ; KONINGS-PUTZER, *Commentar. in facultates Apost.*, p. 71 ss. — Pro dispensatione matrimoniali, cf. DE SMET, *o. c.*, n° 776 s.

tae pro *foro externo*, valet quoque *pro foro interno*, non autem e converso (can. 202, § 1).

2° « Potestas collata pro foro *interno* exerceri potest etiam in foro interno *extra-sacramentali*, nisi sacramentale exigitur » (can. 202, § 3). Ideo, confessarius habens facultatem dispensandi a lege jejunii, ea potest uti etiam extra confessionale.

3° « Si forum, pro quo potestas data est, *expressum non fuerit* potestas intelligitur concessa *pro utroque foro*, nisi ex ipsa rei natura (v. gr. si agitur de absolutione peccatorum) aliud constet » (can. 202, § 3).

466. — III. **Validum exercitium jurisdictionis.**

1° *Officium est delegati vel subdelegati, mandatum*, quod ipsi a delegante vel a jure commissum est, *accurate exsequi*. Ideo « delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit » (can. 203, § 1), seu invalidum actum ponit [1]. « Hos tamen fines excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit [2], ea ad quae delegatus est, peragit (v. gr., absolvens reum aut damnans levius vel severius), nisi modus ipse fuerit a delegante praescriptus tanquam conditio » [3] (can. 203, § 2).

2° « Quod quis Superiorem (puta R. Pontificem) adit, inferiore (puta proprium Ordinarium) praetermisso, non idcirco *voluntaria* suspenditur inferioris potestas (eaque interim *valide* exercetur), sive haec ordinaria fuerit sive delegata. Attamen rei ad Superiorem delatae (ad liceitatem) ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa ; et hoc in casu statim Superiorem de re moneat » (can. 204). Ita enim servatur erga Superiorem reverentia, vitaturque in exercitio potestatis opposita decisio [4].

467. — IV. **Delegatio simul pluribus facta.**

1° « Si plures jurisdictionem delegatam obtinuerint pro eodem negotio [5], et *dubitetur* utrum delegatio facta fuerit *in solidum* an *collegialiter* [6], praesumitur (praesumptione juris) facta *in solidum* in re *voluntaria, collegialiter* in re *judiciali* [7] (can. 205, § 1). Hoc bonum partium exigere videtur.

---

1. Cf. c. 31, 37, X, I, 29 ; *causa Aretina* Pensionis, 25 nov. 1911, ap. *AAS.*, 1912, t. IV, p. 119, ss., 123 ss.
2. Cf. SCHMALZGRUEBER, in hunc tit. 29, lib. I, n. 28 ; SANTI, *o. c.*, p. 266.
3. Cf. can. 39. Vide supra, n. 302
4. Cf. can. 1048 ; DE SMET, *o. c.*, n° 784. Cf. etiam can. 43, 44, n. 291.
5. Cf. exempla in C. 2, 16, 22, 23, X, I, 29. Cf. de appellatione postea lib. IV, tit. XIV, cap. 1.
6. Vide supra n° 451.
7. Excluditur evidenter delegata potestas pro sacramentali foro.

2° « Pluribus in solidum delegatis, qui antea negotium occupavit [1], alios ab eodem excludit, nisi aut posthac impediatur (v. gr. infirmitate) aut nolit (aut malitiose recuset) ulterius in negotio procedere » (can. 205, § 2). Sic, v. gr. pro aliqua dispensatione matrimoniali in foro interno solet S. Poenitentiaria delegare omnem confessarium, quem poenitens dispensandus elegerit. Huic confessarius qui primus a poenitente eligitur, potest dispensationem fulminare [2] ; quodsi iste sit impeditus aut nolit dispensationem exsequi, poenitens potest libere alium confessarium adire [3].

3° « Pluribus *collegialiter* delegatis, omnes simul pro actorum *validitate* in negotio expediendo procedere debent [4], nisi in mandato [5] aliud cautum sit » (can. 205, § 3).

4° « Pluribus *successive* delegatis, ille negotium expedire debet cujus mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit » (can. 206).

468. — Nota. Mandatum suum eo modo exsequi debet delegatus, quo sufficienter indicetur rem peragi auctoritate superioris. Idcirco RR. Pontifices consueverunt praescribere, in nonnullis causis majoris momenti, ut exprimatur in actu concessionis facultatem dari ex auctoritate S. Sedis. Quod canone 1057 pro dispensationibus matrimonialibus expresse praecipitur.

§ 6. RESTRICTIO ET SUSPENSIO JURISDICTIONIS.

469. — I. Restrictio jurisdictionis ordinariae et delegatae.

1° De jurisdictione *delegata* nulla est difficultas ; potestas enim delegati vel subdelegati ea omnis et sola est, quam libere superior in mandato exprimit. Restringitur itaque ad arbitrium delegantis, quoad formam procedendi, modum exsecutionis, tempus, locum, etc. [6].

2° Jurisdictio autem *ordinaria* restringitur duplici modo : nempe *a/* per *exemptiones,* quando ei subducuntur personae seu subditi quidam, vel loca, ut immediate subjiciantur superiori, ut videbimus in tr. *De regularibus ; b/* per *reservationes,* quando ei subducitur certa materia quae alioquin ei subjacuisset ; v. g. absolutio a gravi quodam peccato, dispensatio in aliquo voto, etc. [7].

---

1. Ille judex delegatus censetur causam occupasse qui acceptis litteris a partibus, mandatum edit citationis partibus intimandae, cf. SANTI, *o. c.*, p. 267.
2. Cf. DE SMET, *o. c.*, n° 865.
3. Cf. PRUEMMER, *o. c.*, p. 120.
4. Cf. can. 1577, § 1 ; cf. SANTI, *o. c.*, p. 268.
5. Cf. c. 21, X, I, 29.
6. SANTI, *o. c.*, p. 266 s.
7. ICARD, *o. c.*, p. 494 s.

470. — II. **Suspensio jurisdictionis ordinariae et delegatae.**

Suspenditur jurisdictio sive ordinaria sive delegata quando, licet non tollatur officium vel non revocetur delegatio, adest tamen impedimentum, quominus vel licite, vel etiam quandoque valide exerceatur, quamdiu aliquid non fuerit sublatum. Haec autem impedimenta sunt *appellatio, censurae* et *irregularitates*. Silet enim jurisdictio ordinaria, ait can. 208, legitima appellatione interposita, nisi forte appellatio sit tantum in devolutivo, firmo praescripto can. 2264, 2284 de illiceitate aut invaliditate actus jurisdictionalis positi ab excommunicato aut suspenso.

Haec omnia suo loco opportune tractabuntur. « Annotare sufficiat, ait Icard [1], principium, vi cujus hae *restrictiones seu suspensiones* jurisdictionis fiunt, inhaerere formae constitutivae Ecclesiae. Admisso semel quod in societate sit potestas distributa per gradus, et jurisdictiones inferiores a superioribus dependeant, sequitur primum hierarcham posse, intuitu boni publici, causas seu reales, seu personales quasdam sibi reservare, illas subducendo jurisdictioni Praelatorum inferiorum ; et vicissim istos Praelatos posse, pari jure, nonnulla etiam sibi reservare, restringendo facultates ordinariorum sibi subditorum, qui humiliorem jurisdictionem obtinent.

« Idem dicendum de relationibus causarum (per canonicam appellationem), et de exemptionibus ».

§ 6. CESSATIO JURISDICTIONIS.

471. — I. **Cessatio jurisdictionis delegatae.**

Sex praesertim modis cessat jurisdictio delegata : nempe, expleto mandato ; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit ; cessante causa finali delegationis ; revocatione delegantis, renuntiatione delegati, resoluto jure delegantis in duobus casibus (can. 207, § 1).

472. — 1° *Expleto mandato* seu *finito negotio* pro quo delegatio fuit concessa [2].

Negotium censetur finitum, in causis *justitiae*, per exsecutionem sententiae definitivae, si delegatus eam exsequi potest, vel per definitivam latam sententiam, si eam exsequi nequit, nec protrahitur jurisdictio eo quod appellatione interposita, exsecutio forte impeditur ; ratio est cum idem judex eamdem causam bis non videt [3]. In causis *gratiae* finit negotium per effectivam gratiae provisionem.

---

1. ICARD, *o. c.*, p. 495.
2. C. 9, X, h. t.
3. SANTI, *o. c.*, p. 272 s.

Unde *a/* in causis *justitiae,* expirat judicis delegati jurisdictio, sive bene sive male officio suo perfunctus fuerit, etiamsi tulerit sententiam ipso jure nullam, ex. gr. si partem adversam non citaverit. Attamen si sententia ejusdem nulla fuerit, quia *formam mandati* non observavit, causam reassumere potest, quia in eo casu cum aliud egit ac mandatum est, censetur non usus esse jurisdictione delegata. Sententiam nulliter a se latam reformare potest etiam judex qui delegatus est ad universalitatem causarum ; nam hic aequiparatur judici *ordinario* et post latam sententiam ejusque exsecutionem jurisdictionem non amittit [1].

b/ In causis vero *gratiae,* delegatus, postquam per errorem facti vel juris, exsecutionem seu provisionem gratiae factae [2] *invalide* alicui fecit, potest denuo de gratia eum providere, quia concessiones gratiae sunt late interpretandae. Papa committens exsecutionem, seu provisionem gratiae, v. gr. beneficii, censetur mandasse exsecutionem seu provisionem cum effectu ; adeoque, quamdiu effectus obtentus non est, permanet gratia, et consequenter ejus exsecutio tamquam accessoria valide fieri potest [3].

473. — 2° *Lapsu temporis aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit.* Hinc si delegationis tempus est limitatum, seu certum tempus praefixum ad causam exsecutioni mandandum, elapso tempore, jurisdictio delegata expirat, absque ullo actu superioris, absque ulla notificatione. Excipitur tamen si terminus judicialis statutus, ante elapsum tempus, de communi partium consensu, a judice fuerit prorogatus [4].

Hinc etiam si confessarius habet jurisdictionem ad triennium vel potestatem absolvendi quinquies a casibus reservatis, elapso triennio jurisdictio, vel absolutione quinquies data delegatio cessat. Hic tamen statuitur exceptio valde notanda pro praxi, videlicet : « Potestate pro foro *interno* (sive sacramentali sive extrasacramentali) concessa, actus per *inadvertentiam* positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est » (can. 207, § 2). Quae prudens cautela in pagellis S. Poenitentiariae confessariis concedi solitis jam inserebatur a multo retro tem-

1. WERNZ, *o. c.,* p. 299 ; v. SCHERER, *o. c.,* t. I, p. 420, nota (33).

2. Cf. can. 59. Non vero si agatur de gratia *facienda* in casu particulari ab exsecutore *voluntario* (cf. suprà *de rescriptis,* p. 203, nota 4, et infra, n° 477). Tunc enim exsecutor sive bene sive male judicaverit non potest amplius se in illo negotio intromittere, quia per sententiae prolationem jam sua jurisdictio expiravit. Cf. *Causa Aretina* cit. 25 nov. 1911, ap. *AAS.,* 1912, t. IV, p. 124 ss.

3. Cf. reg. jur. 16 in VI : *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum ;* DARIS, *o. c.,* t. I, n° 32. Cf. *Causa Aretina* cit. ap. *ASS., l. c.* Quid autem speciatim de exsecutoribus dispensationum apostolicarum pro foro interno et externo statuendum sit, vide ap. FEYE, *o. c.,* p. 576 ; DE ANGELIS, *o. c.,* pars 2, p. 141 ; WERNZ, *o. c.,* t. IV, *De Matrimonio,* n° 641.

4. Cf. can. 1634, § 2 ; c. 4, X, h. t.; REIFFENSTUEL, in h. t., n° 146.

pore. Hic generalis fit lex pro delegatione ad forum internum, a quocumque ipsa detur [1].

474. — 3° *Cessante (totaliter) causa finali delegationis,* v. gr., composita amicabiliter controversia, ad quam decidendam fuit data delegatio ; abrupto matrimoniali tractatu, cui matrimonio ineundo obstabat impedimentum ex habita delegatione dispensandum [2].

475. — 4° *Revocatione mandati* directe intimata delegato a delegante, aut ejus successore, aut superiore in eodem genere [3].

Cum delegatio unice pendeat a voluntate delegantis, poterit is pro suo arbitrio, quin teneatur allegare causam et quin detur a revocatione appellatio, concessam delegationem revocare. Parvi refert utrum delegatus jurisdictione uti coeperit, necne.

Quae revocatio fit quoque a subdelegante, sed cum hac limitatione, ut si *totam* suam jurisdictionem delegaverit, et res amplius non sit integra, revocatio locum non habeat, quia in subdelegatum efficaciter transivit jurisdictio [4].

Revocatio semper est valida ; licita quoque erit, si justa habeatur causa.

476. 5° *Renuntiatione* delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata.

477. — 6° *Resoluto jure delegantis* sive per mortem vel per aliam quamcumque rationem qua jurisdictionem suam amittit, *non cessat* jurisdictio delegata, sive in causis justitiae sive in causis gratiae, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61 [5], nempe : a) si amissio jurisdictionis resoluto jure delegantis ex additis clausulis appareat ; b) si rescriptum delegationis contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis et res adhuc integra sit.

Igitur, abstractione facta a clausula *ad beneplacitum nostrum,* vel alia huic aequivalenti, *a/* jurisdictio delegata in causis *gratiae,* perseverat, re etiam integra, si, ut aiunt, sit gratia *facta :* « *Decet* enim *concessum a Principe beneficium esse mansurum* [6] ».

Habetur *gratia facta,* dum facultas alicui directe conceditur in gratiam ejus ad proprium usum, puta facultas benedicendi rosaria, celebrandi in oratorio privato, erigendi viam crucis, legendi libros prohibitos,

1. Cf. BLAT, *o. c.,* p. 143.
2. *Ibid.,* p. 142.
3. C. 24, X, I, 3 ; c. 28, § 2, X, h. t. 29. de off. deleg. Intimanda est revocatio per praesentationem litterarum revocatoriarum delegationis, factam directe delegato etiam per alium.
4. C. 37, X, in h. t.; c. 7, in VI, in h. t.
5. Cf. supra n° 303.
6. Reg. jur. cit. 16 in VI ; c. 36, in VI, III, 4.

absolvendi a casibus reservatis, dispensandi in votis, in impedimentis matrimonii, in lege jejunii et abstinentiae ; praedicandi, confessiones audiendi, recipiendi ordines ab alieno Episcopo, et aliae hujusmodi gratiae et facultates.

Habetur etiam *gratia facta*, dum superior ita committit alicui personae a se delegatae munus concedendi favorem, ut delegatus habendus sit veluti exsecutor *necessarius* ; v. g. si R. Pontifex mandet Episcopo, ut dispenset cum Paulo, modo preces veritate nitantur ; ut beneficium jam vacans aut proxime vacaturum conferat Petro : vi ejusmodi mandati Paulus et Petrus jus quoddam acquisiere, nempe cogendi Episcopum, ut concessionem exsequatur ; ac is revera tenetur eam exsequi [1].

b/ Jurisdictio delegata in causis gratiae morte concedentis expirat, si delegata fuit ad gratiam certae personae *faciendam*, et res adhuc est integra.

Tunc reputatur facultas delegata *gratia facienda*, quando R. Pontifex ita aliquem delegat ad gratiam certae personae conferendam, ut relinquat concessionem libertati delegati [2] ; v. g. delegatio Episcopo facta conferendi beneficium Petro aut facultas dispensandi cum Paulo in impedimento matrimonii, si expedire videatur : in his enim casibus Episcopus est exsecutor *voluntarius*, et nullum Petro vel Paulo jus quaesitum est.

Sin autem res non est amplius integra, jurisdictio est quasi radicata in delegato, isque gratiam conferre potest etiam mortuo concedente.

Jam vero jurisdictio dicitur incoepta, et res non amplius integra est, posito primo actu qui ad causam refertur ita ut in negotium jam apposuerit manum.

478. — 7° *Morte delegati* cessat jurisdictio ejus stricte *personalis* [3] ; si vero delegatio fuit *realis* transit ad successores. Quare facultates non stricte personales a S. Sede delegatae Episcopo [4] non expirant resoluto

---

1. Cf. supra *de rescriptis*, p. 301.
2. Cf. supra *de rescriptis, l. c. ; Collat. Brugen.*, 1902, t. VII, p. 264 ss.
3. Cf. n° 449 ; c. 42, X, h. t. 29.
4. Quoad facultates quinquennales, triennales, annales ante diem 18 maii 1918 in usu, cf. KONINGS-PUTZER, *o. c.*, p. 299 ; *Collat. Brugen.*, 1905, t. X, p. 488 ss.; 1913, t. XVIII, p. 238 ss.; cf. textum facultatum ap. *Liber Manualis Brugen.*[2], p. 20 ss., cum modificationibus, ap. *Collat. Brugen., l. c.*, t. X et XVIII ; circa illorum originem, cf. MERGENTHEIM, *Die Quinquennalfacultäten pro foro externo*, Stuttgart, 1908, coll. *Zeitschrift der Savigny-Stiftung*, kan. Abth., 1912, p. 100 ss.; *Rev. d'hist. ecclés.*, 1909, t. X, p. 851 ss.; *Arch. für k. Kr.*, 1910, t. XC, p. 586 ss. — Decreto S. C. Consist. 25 apr. 1918, ap. *AAS.*, 1918, t. X, p. 190 s., in universis dioecesibus, juri communi obnoxiis, facultates omnes *pro foro externo* Ordinariis concessae a die 18 maii 1918 cessaverunt ; facultates vero *pro foro interno* a S. Poenitentiaria datae... abolitae non sunt. Cf. *Coll. Gandav.*, 1920, t. VII, p. 125 ss.; DE SMET, *o. c.*, n° 768 ss.

jure delegati sed transeunt ad successores. Ad rem facit can. 66, § 2 : « Nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales (quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum) Episcopo aliisve de quibus in can. 198, § 1 ab Apostolica Sede concessae, non evanescunt resoluto jure Ordinarii cui concessae sunt, sed transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt ; itemque concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali » [1].

479. — 8° « Pluribus *collegialiter* delegatis, si unus deficiat (sive per mortem sive aliter) aliorum quoque delegatio expirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet » (can. 207, § 3).

480. — Cessatio jurisdictionis ordinariae.

1° Potestas ordinaria *non* extinguitur resoluto jure concedentis officium cui annexa est, nisi, ad normam can. 183, § 2, aliud lex caveat aut in concessione habeatur clausula : ad beneplacitum nostrum aut aliqua aequipollens (can. 208). Officium enim cui adhaeret jurisdictio gratia est ; gratia vero non amittitur morte concedentis : quia decet beneficium Principis esse mansurum. Excipienda tamen est jurisdictio Vicarii Generalis, quae extinguitur morte Episcopi, ut *infra* videbimus.

2° Cessat amisso officio, cum in ipso fundatur.

Quibus modis vacare officium potest, vidimus supra [2].

§ 8. SUPPLETIO JURISDICTIONIS.

481. — I. **Conditiones suppletionis.**

Ecclesia extra casum jurisdictionis indubiae aut tituli legitimi supplet jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam, tam in foro externo quam in foro interno, modo tamen debitae concurrant conditiones.

Ante promulgatum codicem, juxta sententiam probabiliorem, ut Ecclesia suppleret jurisdictionem, casu quo deficiebat titulus legitimus, tres requirebantur conditiones : a) ut vitium tale esset, cui Ecclesia posset mederi ; b) ut adesset error communis et probabilis circa factum aut circa jus dubium et incertum ; c) ut daretur titulus coloratus. Disputabatur inter auctores num sufficeret error communis sine titulo colorato [3]. Bono animarum consulens, finem imposuit Ecclesia intricatis

1. Quoad disciplinam anteriorem huic praescripto, cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE [5], *o. c.*, p. 165 ss.

2. N° 423 ss.

3. Cf. quoad disciplinam anteriorem codici, DE BRABANDERE-VAN COILLIE [5], *o. c.*, p. 146 ss.; SANCHEZ, *De Matrimonio*, l. III, disp. XXII ; LEHMKUHL, *Kirchl. Jurisdiktion und das Supplieren derselben*, in *Zeitsch. für kath. Theol.*, 1882, t. VI,

controversiis et largiorem sententiam amplexatus statuit in codice legislator : *In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive juris sive facti, jurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno* (can. 209).

Proinde ut suppleat Ecclesia deficientem forte jurisdictionem duae requiruntur conditiones :

1° *Prima* conditio est, *ut vitium tale sit, cui Ecclesia possit mederi.* Manifestum autem est Ecclesiam impedimentum juris naturalis vel divini tollere non posse. Hinc si judex careat usu rationis, vel parochus non sacerdos sacramentaliter absolvat, gesta eorum irrita sunt et nulla absque remedio.

2° *Secunda* conditio est, ut adsit *error communis* aut detur *dubium positivum et probabile sive juris sive facti.*

a) Supplet Ecclesia in casu *erroris communis.* Error circa veritatem tituli censetur *communis,* quando quis communiter a fidelibus putatur habere jurisdictionem ordinariam vel delegatam, quam revera ob occultam causam non habet. Ad errorem istum communem sufficit, ut vitium ignoretur in eo loco, pago seu oppido, ubi exercetur jurisdictio, etiamsi alio in loco notorium sit. Item sufficit ut praesenti tempore vigeat, etiamsi factum in eo ipso loco olim fuerit publicum. Proinde error communis solus sufficit ut Ecclesia certo suppleat jurisdictionem. Nec requiritur titulus coloratus ; sufficit merus titulus putativus seu existimatus [1].

b) Supplet etiam Ecclesia in *dubio positivo et probabili sive juris sive facti* [2].

Dubium debet esse *positivum* seu fundatum seriis motivis seu rationibus pro et contra ; praeterea oportet ut sit *probabile,* tale nempe ut rationes quibus innititur natae sint movere virum prudentem. Et nihil refert num illud dubium versatur circa jus aut circa factum. Dubium juris existit si dubitatur de existentia, objecto, subjecto, limitibus legis, v. gr., num censura sit reservata vel non, num in lege valide dispensetur propter talem causam [3]. Dubium facti existit, si dubitatur num factum sit aut tale sit, quod sub lege cadat, e. gr., num praefixum tempus jurisdictionis

---

659 ss.; LAHOUSSE, *Tract. de Sacr. Poenitentiae,* p. 220 ss., Brugis, 1894 ; *Coll. Brugen.,* 1899, t. IV, p. 639 ss.; *Nouv rev. théol.,* 1898, t. XXX, p. 421 ss.; *Il Monitore ecclesiastico,* 1910-1911, t. XXII, p. 180 ss.; *Collat Namurcen.,* 1910-1911, t. X, p. 144 ss.; CASTILLON, *La probabilité de fait en matière de juridiction pénitentielle,* in *Nouv. rev. théol.,* 1912, t. XLIV, p. 534 ss.; 673 ss.; 718 ss.; GENNARI-BOUDINHON, *Consultations de morale,* t. I, p. 392 ss. Paris, 1907 ; *Theol. Prakt. Quart.-Schrift.,* 1909, t. LXII, p. 616 ss.

1. Cf. supra n° 452.

2. Cf. etiam can. 15. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 232 de errore interpretativo.

3. Cf. BOUQUILLON, *Theol. mor. fundament.* [2], n° 278.

sit elapsum, num adfuerit voluntas ac intentio vovendi aut promittendi.

Doctrina proposita de suppletione jurisdictionis clare solvit controversias quae existebant de absolutione sacramentali data cum jurisdictione putativa dubia probabili [1].

482. — II. Usus jurisdictionis cui supplet Ecclesia.

I. Quoad *Superiorem :* 1° Ut Superior licite utatur jurisdictione in casu *dubii positivi et probabilis* sive facti sive juris, sufficit practice ut in legitimo exercitio suae potestatis versetur [2]. 2° Superior qui, in casu *erroris communis*, certo novit defectum sui tituli *illicite* eo utitur extra casum gravis necessitatis aut etiam probabiliter rationabilis causae sese habentis ex parte poenitentis [3]. His in casibus enim Ecclesia supplet ob bonum commune fidelium non ad privatam utilitatem utentium jurisdictione.

II. Quid vero dicendum *de privatis,* qui tituli superioris defectum cognoscunt ? 1° Sane scientia illa nonnullorum non impedit *validum* exercitium ministerii apud superiorem ; quia jura non considerant errorem unius aut alterius, sed errorem communem, et attendunt ad communiter contingentia. Consequenter sicut error particularis non sufficit, ut gesta judicis illegitimi valeant respectu ignorantium invincibiliter impedimentum ; ita nec scientia alicujus particularis impedit, quominus gesta respectu ipsius valeant.

2° Utrum vero fideles hujusmodi superiorem *licite* adeant, ex circumstantiis dijudicandum est. Regulariter requiritur *justa ratio,* quae major vel minor esse debet pro gravitate actuum jurisdictionalium ; puta urgens necessitas, vel vera difficultas alium adeundi. Ad hoc maxime attendendum venit pro sacramento poenitentiae ; nam absolutio a tali ministro prolata potest esse *invalida,* non quidem ob defectum jurisdictionis, sed *ob indispositionem poenitentis,* qui defectum tituli cognoscens, absque rationabili causa eum adit, ac ita obicem sacramentali absolutioni ponit [4].

---

1. PRUEMMER, *o. c.,* p. 122.

2. Merito supponi potest v. gr., pro confessario audiente confessiones, adesse causam justam quae requiritur ad usum hujus potestatis extraordinariae. His in casibus Ecclesia supplet *ad cautelam* tantum, quod aeque in favorem judicis quam subditi facere censenda est. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 232.

3. Cf. S. ALPHONSUS, *o. c.,* l. VI, n° 571 et 573 ; *Collat. Brugen., l. c.; Nouv. rev. théol.,* t. XXX, p. 427 ss. — Causae rationabiles reputantur in foro poenitentiali : si poenitens indigeat consilio aut auxilio confessarii qui hoc titulo pollet ; si periculum adsit ne poenitens non integre alteri confessario confiteatur.

4. Cf. *Theologia Mechliniensis, De poenitentia,* n° 70, et *De Sacramentis in genere,* n° 38, Mechliniae.

TITULUS VI.

DE REDUCTIONE CLERICORUM AD STATUM LAICALEM.

Fontes. Can. 211-214. Quoad fontes antiqui juris, cf. WERNZ, *o. c.*, t. II, p. I, p. 345.

Auctores. MAROTO, *o. c.*, n. 732 ss.; WERNZ, *o. et l. c.*; GASPARRI, *Tract. canonicus de sacra ordinatione*, t. II, n° 1137, Parisiis, 1893 ; MANY, *Praelectiones de sacra ordinatione*, p. 57 ss., 599 ss.; SALTET, *Les réordinations*, Paris, 1907 ; *Diction. apologétique de la Foi cath.*, v° *ordinations* et *réordinations*.

483. — Connexio et divisio materiae. Post titulos de statu clericorum cum suis juribus et obligationibus, de officiis quae ab ipsis obtineri possunt, de potestate ecclesiastica his officiis adnexa aut personae clericorum commissa, superest agere ut completa sit tractatio, de amissione status clericorum per reductionem canonicam ad statum laicalem seu communem fidelium. Itaque post quasdam praenotiones agetur 1° de reductione clerici majoris vel minoris ad statum laicalem ; 2° de regressu reducti ad hunc statum ad statum clericalem ; 3° de effectibus reductionis ad statum laicalem.

484. — I. Praenotanda. 1° Hic non agitur de *interna* et *proprie dicta* amissione ordinis per ablationem *ipsius potestatis* ordinis in se spectatae, sed de amissione ordinis *impropria* et *externa*, quae *manente* ipsa *potestate* ordinis, tantum aufert *licitum usum* potestatis ordinis et *jura* atque *officia* quaedam per sanctiones *canonicas* in clericis ordinatis orta [1].

2° Nam amissio status clericalis, quatenus is acquiritur saltem uno *ex tribus ordinibus hierarchicis* (Episcopi, presbyteri, diaconi), vere et intrinsece a nulla potestate humana fieri potest. Character enim sacramentalis animae indebiliter et in perpetuum est impressus. Hinc quicumque clericus talem ordinem recepit, neque *libera sua voluntate*, neque ex *dispensatione Ecclesiae* neque in *justam poenam* neque *juris dispositione et interne* ex statu clericorum expelli et ad statum laicalem reduci *potest*. Hinc potestas jure divino characteri sacramentali exclusive adnexa, quoad *validum* usum neque auferri neque limitari potest. At exercitium *licitum* potestatis ordinis, etiam juris divini, subjectum est *jurisdictioni* Ecclesiae.

Sed aliud judicium ferendum est de potestate ordinis quae ex *institutione ecclesiastica* repetit originem. Hujusmodi potestas ab eadem Ecclesia, quae illam instituit, ita auferri et limitari *potest*, ut non solum illicitus, sed *sublata potentia* etiam *invalidus* sit usus. At, stante controversia

1. WERNZ, *o. et l. c.*, p. 346 ; MAROTO, *o. c.*, n. 732.

de institutione divina vel ecclesiastica ordinum infra diaconatum, Ecclesia ob periculum violandi jus divinum *de facto* illa potestate non utitur. Ideo nullo in casu ordines illi inferiores semel valide collati, *per veram reordinationem* iterum conferuntur. Consequenter quicumque aliquo gradu etiam *inferiori* statui clericali adscriptus est, saltem *de facto* nunquam per absolutam et internam ablationem ordinis iterum ad eum statum laicalem reducitur, in quo ante ordinationem fuerat constitutus sed omnis reductio ad statum laicalem, ut in ordinibus hierarchicis, ad effectus externos et canonicos restringitur [1].

485. — II. **Reductio ad statum laicalem**

1° *Clerici majoris.* Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, nunquam irrita fiat [2], clericus tamen major ad statum laicalem redigitur : a) rescripto S. Sedis voluntarie obtento ; ergo per dispensationem Sedis Apostolicae, mediante proprio clerici Ordinario obtinendam ; b) decreto vel sententia judicis competentis, coram quo clericus probavit se metu gravi coactum [3] ordinem sacrum recepisse, nec postea, remoto metu, se ratam habuisse, saltem tacite per ordinis exercitium, obligationum clericalium susceptionem. Requiritur processus proprie dictus ad probanda duo facta modo indicata, nempe coactionem et ratihabitionem ; qui quidem processus, servatis servandis, similis est processibus matrimonialibus et est instituendus juxta canones 1993-1998 [4] ; c) poena degradationis (can. 211, § 1).

2° *Clerici minoris.* « Clericus minor ad statum laicalem regreditur : a) non solum ipso facto ob causas in jure descriptas [5] ; b) sed etiam sua ipsius voluntate, praemonito loci Ordinario ; c) aut ejusdem Ordinarii decreto justa de causa lato, si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter judicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri » (can. 211, § 2). Imo fieri potest ut clericus propter certa delicta per poenam *degradationis* a prima tonsura vel ordinibus minoribus e statu clericali solemniter ejiciatur.

486. — III. **Regressus ad statum clericalem.**

1° « Qui in *minoribus ordinibus constitutus* ad statum laicalem *quavis de causa* regressus est, ut inter clericos denuo admittatur, requiritur [6]

---

1. Ita WERNZ, *o. c.*, p. 346 ss.; cf. GASPARRI, *o. c.*, n° 1137 ss.
2. Cf. rationes n° praecedenti expositas.
3. Illa coactio ex metu gravi non irritam reddit ordinationem. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 127.
4. Can. 214. Cf. NOVAL, *Commentar. cod. jur. can.* Lib. IV, p. I, de processibus, p. 585, Augustae-Taurinorum, 1920 ; MANY, *o. c.*, p. 599 ss.; WERNZ, *o. c.*, p. 127.
5. Cf. can. 132, § 2 ; 136, § 3 ; 141, § 2, etc.
6. Non ut prima tonsura aut ordines minores denuo conferantur. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 353.

licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit per ordinationem, non concedenda, nisi post diligens examen super vita et moribus, et congruum, judicio ipsius Ordinarii, experimentum » (can. 212, § 1).

2° *Clericus* vero *major* qui ad statum laicalem rediit, ut inter clericos denuo admittatur, indiget Sanctae Sedis licentia » (can. 212, § 2).

487. — IV. **Effectus reductionis ad statum laicalem.**

1° « Omnes sive in majoribus sive in minoribus ordinibus constituti qui e clericali statu ad laicalem *legitime* redacti aut regressi sunt, eo ipso amittunt officia, beneficia, jura ac privilegia clericalia et vetantur in habitu ecclesiastico incedere [1] ac tonsuram deferre » (can. 213, § 1).

2° « Clericus tamen major obligatione coelibatus tenetur, salvo praescripto sequente » (can. 213, § 2). Quare transitus ad nuptias huic clerico non est permissus absque dispensatione Apostolica. Quae dispensatio rarissime conceditur pro *presbyteratu,* ac nunquam, ut videtur, super *episcopatu* [2].

3° Clericus qui probavit se *coacte ex metu gravi* suscepisse ordinem majorem illumque postea ratum non habuisse, sententia judicis ad statum laicalem redigitur sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus (can. 214).

---

1. Cf. can. 683.
2. Nullum est exemplum quod Episcopo consecrato transitus ad nuptias fuerit concessus. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 354. Vide de dispensatione ab impedimento ordinis, DE SMET, *o. c.,* n° 578, 757 ss.

Typis Desclée, De Brouwer & Socii. Brugis.

Books printed in Italy

26790